Hoc actum eſt vſq; ad quartum annum (A). Sed pius ille *Sator*, qui non dormitat, neq; prorſus dormiet vnquam, quod olim abſenti promiſerat ſuo Gregi, dicens: Nolite timere puſillus Grex meus, quoniam complacuit patri veſtro dare vobis regnum: ipſe ſolerti, ac vigilanti ſtudio & mentes Præpoſitorum, & ſubiecti Gregis ſic ſolerter inuigilare dignatus eſt, vt neq; illos amicitijs, neq; iſtos falſa calliditate decipere quoquo pacto quiuiſſent. Sed vbi ſœuiſſimi Perſecutores iam credebant totius Prouinciæ populum in ſui dogmatis errorem machinatum, in patulò hos, quos ſe amicos finxerant habere, cœperunt compellere iterum, vt eorum nefandæ ſectæ conſentirent. Quod vbi ſemel eorum ſanctis auribus intonuit, omni cum annixu clamabant vnanimiter dicentes, malle ſe magis corporis vinculis abſolui, quàm aſſenſum præbere. Sed infandi Perſequutores, virus, quod ſe clam in corda ſimplicium infundere putabant, conſpicientes nil peſtis inferre, mouent arma ſœuitiæ ſuæ manifeſtæ mixtim in his, quos ſe decepiſſe rati erant, & in his, cum quibus falsò amicitias coniunxerant. Inde factum eſt, vt cateruatim ab vnaquaq; Prouincia Sanctos Dei vinctos adduci præciperent. Sed cum ingenti multitudine etiam & Sancti viri, moribus, & honeſtate præfulgẽtes, etiam (B) ſummi *Sacerdotij* honore præditi intererant, qui grantantes cum commiſſis Gregibus gradiebantur. Ex quibus præcipuè rutilabant meritis, & moribus, & ſenſus decore Roſius, Priſcus, Tammarus, & ab B

in-

indole Sanctus enitens Caſtrenſis. Sed vbi ſcelerati Tyranni tam ingentem multitudinem conſpexerunt, ſœuiſſimis Miniſtris eos cuſtodiendos tradiderunt, donec in viperea mente tractarent quid de tam præclaro cœtu peragerent: Quos dum ſœui ſatellites in arcta cuſtodia retruxiſſent, ſeparatimq; ab alterutro alterum ſeparaſſent, vt Sanctos Dei Athletas præcipuæ ſanctitatis, & abſtenuitatis nitore præfulgentes Priſcum, & Caſtrenſem ex ergaſtulo educerent, talibuſq; eos alloquijs decipere conarentur. Cum Vos & decor, & forma corporis, & generoſitatis nobilitas, necnon & Ducum amicitia, & Philoſophiæ decus cæteris præponat, cur Vos metipſos ad huiuſce ignauiæ dedecus trahitis, vt inter hos deputemini, quorum genus, & patriam ignorari omnino certum eſt? Ad hæc conſtantèr Sancti dixerunt. Quod iniqui Sathanæ Miniſtri nobis talia auſi eſtis conferre, & veſtris ſœuiſſimis ſuaſionibus noſtra corda ad hæc conamini inflectere, quæ Diuina Gratia, ita ad copiam diuinæ celſitudinis direxit, & ita potenter ab iſtius ſæculi voluptatibus abſtraxit, vt non ſolùm Dei filios, ſed etiam fore Deos teſtetur per Prophetam dicens, Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes. Tunc iſti nimio furore accenſi, curſim Ducum tecta ſubeunt, clamantes: Ecce ò Domini, virus, quod infundebatur clam per ſingulorum corda, nè veſtris quiſpiam obediret præceptis, nunc in patulo per ſuperbos, & contemptores veſtri Imperij infunditur, in tantum eorum exarſit proteruia, vt etiam Vos ipſos ſœuos, ac crudeles nominent Tyrannos. Quod audientes ſceleſti Duces, mouent cæſaries concuſſis capitibus, per quæ terq; quaterq; iurant, hos non ſinere viuos, abſq; vindictæ fama abire. Tunc toruis luminibus ad ſuos tendentes ſatellites aiunt: Ite properè, & quidquid parricidis inferendum fore dignum creditis, his ſceleratis dupliciter inferte, vt per Vos dedecus noſtræ celſitudinis auferatur. Hoc audientes

crude-

Digitized by Google

crudeliſſimi ſatellites, agminatim pergentes, Sanctos in vnum congregare fecerunt locum, & alios virgis, alios alapis, alios cum lapidibus cædebant. Sed Sancti Dei alacri mente in ſuperni Regis amore permanentes, nec ſuſpirium quidem emittere videbantur: Cumq; brachia cædentium omnino deficerent, & Sancti mente, & corpore ſtabiles permanerent, ſtupefacti ſeparauerunt ſe ad inuicem muſſitantes in ſe metipſis quo genere mortis Sanctos Dei perderent. Nec multo poſt in vno congregati agmine, cæperunt alterutrum inter ſe ſuas cogitationes edicere; Sed cum nihil ex his, quæ fatebantur, eis congruum videretur, vnuſquiſq; remeauit ad propria, altero die reuerſuri ad perficiendum ſcelus: Sanctos verò Dei in ima carceris retrudi fecerunt: eadem verò nocte apparuit Angelus Domini, & ſplendor mirabilis circunfulſit omnes, qui erant in cubiculo carceris, dixitque illis: Ecce Dominus Noſter Ieſus Chriſtus miſit me ad Vos, vt meis colloquijs corroborarentur corda, & corpora veſtra, antequam vos ſœuiſsimi Perſequutores in vaſti æquoris profundum demergere tentent. Per me ſciatis quia Rex æternus vnicuiq; veſtrum præparatum habet locum, in quo & vos ipſi in Chriſto requieſcatis, & multitudinem in illis commorantium populorum partibus ab omni errore abſoluatis. Ad hæc Sancti vnanimiter dixerunt: Sit laus in altiſsimis, Deo ſuamq; in nobis æterna pietas impleat pietatem: hoc tantum nobis conferat Diuina Maieſtas, vt quos ab vno ſolo pro ſui nominis gloria tranferre dignatur, infra vnius Patriȩ terminos, ſua pietate concedat, vt noſtra corpora ſepeliantur. Quibus Angelus placido ore reſpondit: pro certo ſcire vos volo, quia quidquid poſtulabitis, ſecundùm veſtrum votum adimplebitur; & quiſquis veſtri memoriã fecerit, hic & in æternum præmia digna percipiet: quo dicto Angelus ab eorum oculis abſceſsit, lux verò per totam noctem exu-

beraait

Digitized by Google

berauit in carcere: & Sancti per totam noctem hymnis, & canticis exultauerunt. Altera verò die infanda caterua cum pugionibus, & virgis ſuper Sanctos ruentes, putabant ſe eos ſuo terrore inflectere: Sed Sancti Dei fidenter expectantes promiſsionem Angelicam, pro nihilo minas eorum ducebant. Tunc Sanctus Caſtrenſis circuminduit ſe ſtola ſua: quod vt vidit ex circunſtantibus paganus vnus, qui cæteris erat audacior, cæpit illum trahere per eam, ac ſi per vilem funem. Quem diuina pietas illicò percuſsit, vt non ſolùm manus, qua ſtolam Sancti Viri apprehenderat, verum etiam vtraq; brachia ei areſcerent. Qui mox ad pedes corruens Sanctiſsimi Caſtrenſis, eiulando cæpit clamare, & dicere: Miſerere, Miſerere Sancte Sacerdos Dei, Miſerere mei, & erue me ab hac, quæ mihi meis pro delictis euenit ariditate. Ad hanc vocem S. Caſtrenſis miſericordia mo-
2 tus, conuerſus ad Confrates, & *(2)* Coepiſcopos, ita eos alloquutus eſt: Fratres mei, & domini, memores eſſe debemus dicti Domini, & Saluatoris noſtri, dicentis: Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos: Vnde Fratres omnes vnanimiter rogemus Dominum, quò hæc retrograda brachia, & has aridas manus ſua pietate ad priſtinam ſanitatem reintegrare dignetur. Eadem hora orauerunt ſinguli ſingulatim in corde ſuo, & quaſi ex vno ore omnes pariter reſponderunt, Amen. Ad hanc vocem agonizator iterum exclamat: Pontifex Dei, miſerere mei. Cumq; iuſſu Dei famuli à terra erigeret ſeſe, confeſtim brachia, manuſq; eius priſtinæ ſanitati ſunt redditæ. Quo viſo, pagani, neſcio quo ſpiritu pleni, magnis cum vocibus cæperunt magnificare Deum, cuius nomine. S. Caſtrenſis oratio tàm cito infirmum priſtinæ ſanitati reſtituit. Sed cum à ſuperuenientibus Chriſtianis redarguerentur ex peractis in Sãctos Dei ſceleribus; iterum rediuiua eorum veſania in iram exarſit, cæperuntque compellere SS. Dei vt Regalibus obedirent

præ-

Digitized by Google

præceptis; Sed cæperunt deridere amplius veſaniam eorum. Tunc vnus, in quo corporaliter habitare Satanam creditum eſt, nomine Ariſtodemus, huiuſmodi voces contra Sanctos Dei cæpit emittere: Hos ſi ignis cremauerit, puluis, qui ex eis remanſerit, iterum maculat: ſi ferrum extinſerit, cruor eorum quocunq; in rure ceciderit, inficiet. Nunc ergo acquieſcite conſilijs meis, & huiuſce ſectæ, qui exiſtunt auctores, (3) ita funditus perdere ſtudeamus, vt nec 3
veſtigium eorum in terra inueniatur: ſint in paſtum marinis belluis, & tumulus eorum imputetur profundum Abyſsi. Conferatur vetuſtiſsima nauis, quæ non ſolum nauigantibus vtilitatem non habeat, verum etiam, nec exiguam partem, ex quo compactæ detinentur tabulæ, bitumen retineat: in qua nec aliqua pars ſolaminis inueniatur, abiectis tropis, & antennis, omni ſolatio viduata clauorum, vix per pauciora ſpatia æquoris ambulantes, à pelagi abſorbeantur faucibus. Talibus alloquijs vt eſt affatus, ſœuæ cateruæ multitudinem ille iniquus peſtifer, paſsim hinc, illincque confeſtim ſegregati, cæperunt diſcurrere, atq; cum exertis brachijs vetuſtarum nauium lora contundere, ne quid in eorum viribus ſancti habere valuiſſent ſolatij; Cumque multarum abieciſſent nauium copiam, viſa eſt vna vetuſtior, quæ per multorum annorum curricula ſolummodo ab auium ſtercoribus putrefacta marcuerat: hanc vnanimiter complexantes, cum læto animo ad oras maris perducere feſtinant, anxij proclamantes, hanc debere Chriſticolas tranſportare nauim ad alias oras. Cumq; eam in æquora proieciſſent, ſimulantes ſe nomina Sanctorum ſegregatim cum honore digno vocare, ita exorſi ſunt: Ingrediatur primus huc veneranda canitie, & ſanctitate præditus Roſius; poſt hunc ſecundæ ſobolis proles Secundinus: & tertius in loco iura Chriſti qui in populis audacter conſperſit Heracleus: eum iuxtà fas eſt, vt (C) Benignus, Priſcus reſideat; El- C



Digitized by Google

pidius necnon lateris ad vltimam ſedeat partem, & intra dehinc alterius partis detineat locum Marcus, & Auguſtus, Canion, & Vindonius pariter cum eo recumbent. Signifer præceptor Caſtrenſis puppis poſsideat arcem: Tammarum fas eſt proram gubernare benignè. Talia dum ſœui diſponunt Miniſtri, repentè ſuperuenit innumera multitudo (D) Chriſticolarum permixtim viri, ac mulieres, adoleſcentes, & paruuli, omnes pariter clamantes; miſeremini conciues, & nè veſtræ manus polluantur ſanguine noſtro, ſinite nos ſequi veſtigia *Sanctorum* Patrum. Hanc acclamationem indignè ferentes, ſeu & in deriſionem vertentes, cæperunt feſtinanter cogere eos aſcendere nauim, atque deridentes dicere: Dignum eſt, vt ſimul cum iſtis, quos imitati eſtis, efficiamini in paſtum marinis belluis. Multitudinem verò Sanctorum, Sanctarumque idcirco minimè præſumpſimus nominatim nominare, quia nullus ſub cælo inuenitur, qui dicere audeat ſciſſe ſe nomina ſingulorum, niſi ſolus ille, cui omnia præſentia ſunt.

D

Cumq; ſœua concio Militum vnanimiter viros, ac mulieres, adoleſcentes, & paruulos agminatim conſpicerent velle nauim conſcendere, metuentes nè vetuſta nauis in litore mergeretur, ſtatuerunt, vt hi demùm, qui ſe eorum conſortio copulare voluiſſent, vſque ad eos nauigio firmioris ratis deducerentur. At Omnipotens Deus, cui eſt in mari via, & ſemita in aquis multis, mutato ordine, eorum verſutiam in Sanctorum gloriam mutauit mirabiliter. Nam cum multitudo nauium vix vſque ad pelagus Sanctorum deduxiſſet exercitum, permixtimque in vetuſtam nauim certarent inijcere, vt pariter interitus Chriſticolarum veniret demerſo vetuſto nauigio; virtus tunc ſuperni Regis hoc præbuit ad virtutis indicium, vt hi, qui Sanctos Dei deuinctos ad pelagus vſq; deduxerant, nequaquam ſuarum nauium mutarent remigia, donec ipſi cum ſuis viderent luminibus

minibus qualiter Chriſtus Deus noſter ſuis in mari præberet vias, & in aquis ſemitas. Sicq; gaudentes, & exultantes, atq; Chriſto Regi ſæculorum grates referentes, peruenerunt in Campano litore (E) Maius cum menſis diem compleret à Kalẽdis. Hinc cùm placidas arenas maris proprijs calcarent pedibus, Pater Sanctus Caſtrenſis vetuſto nauigio confracta ſolidat, ad locum ex quo fuerat proiectus redire mandat. Quod, aura leni flante, per vaſtum æquor iter arripuit. Exinde, Angelo docente, perrexerunt ad loca propria (F) quæ illis Chriſtus ſtatuit pro ſalute credentium. Tunc Pater Caſtrenſis mœnia Sueſſanæ vrbis adijt. Quem vt loci percontati ſunt incolæ vnde genus duxiſſet, vel quo illuc perueniſſet temerè; ille, pius vt erat Pater, cuncta refert clementiùs: Quod cum populus audiſſet eius ab ore placido, vnanimiter extollunt voces ad ſydera, Chriſto Deo gratias referentes, qui pro ſalute plebis ſuæ eduxit ab Orbis finibus Antiſtitem benignum, ac Patrem eximium, qui ſuæ vitæ cuſtos eſſet, ac ductor alterius. Sic fertur pia mente ſpreuiſſe laudes, ac contempſiſſe pręmia, quo nec copias rerum, nec faſtus perciperet, ſed pro magno ſibi foret breue habitaculum, ſi in ſuburbanis eiuſdem vrbis donaretur à Domino. Quod omni annixu adimpleuit gaudens populus (G) Cultor Trinitatis: Cellulæ pauperculæ magis eſt amplexatus hoſpitium, quàm terrenas diuitias, ac fauores populi. Sed Deus, qui nec vrbem ſuper montem, nec lumen ſub modio permittit condi, funditus ab illis finibus, à quibus proiecti fuerant, eius nomen prædicari dignè conſtituit. Ex quo enim præumens ſpiritu ſuperbiæ vir ſœuus, & crudelis, Adamantius nomine, nefando ore dederat conſilium, vt Sancti clauderentur in vetuſto nauigio, quo mergerentur in profundum, continuò oppreſſus, ac contractus, ex tunc ſemper extitit vti giboſus, ac terram ſemper concernens.

E

F

G

 illius

illius atq; coniux Beatrix ex nomine graui, prægrauata extitit continuo morbo, quem hæmorrhoidem vocant Phyſici: quas infirmitates tamdiu perpeſſi ſunt, quamdiù, Angelo monente, tranſmarinis in finibus Campano in litore Caſtrenſem inuenit benignum Antiſtitem, cuius accepta benedictione, ab humo ſanus erigitur: eius & abſens coniux pariter incolumis efficitur. Sed qui eum cum ſuis deduxerant vehiculis, aceruum fœni Patris cum iumentis deuorant, quæ ſtatim corruerunt mortua. At vt ſe miſerandos Patri proclamarunt, veniamq; ſibi concedi petiuerunt, die ſequenti proprijs cum ſtraminibus inuenerunt iumenta læta in paſcuis. Hoc reuertēte viro, etiā nauis, quæ ad dedecus Sanctorum marinis in fluctibus iactata fuerat, auxiliante Deo (vt S. Caſtrenſis Campani litoris arena calcata mandauerat) in litore, ex quo eiecta fuerat, reperta eſt.

H (H) Non multò poſt ex eiſdem finibus, in quibus B. Caſtrenſis habitabat, quendam malignus hoſtis arripuit hominem: Qui dum ex præcepto viri Dei compelleretur vt exiret, protinus exclamauit: Præceptis tuis contraire nequeo, ſed iube quò eam. Et Sanctus: Non ſit tibi aditus niſi in profundum Abyſſi: tunc tremebundus Dæmon compulſus exijt: Sed dum profundum maris expeteret, ecce nauis ferens diuerſa commercia, veniebat, quam Dæmon conabatur euertere. Tunc nautæ voces ſimul dederunt ad Dominum, ſtatimq; B. Caſtrenſis viſus eſt increpare Dæmoni, & dicere: Miſer, & crudeliſſime quantum fas tibi eſt, vt in Dei ſeruos talia peragas? Et Dæmon: Iuſſu tuo profundum expetiui Abyſſi. Econtra Sanctus: Non ſic, ſed inferioris Inferni tibi aditus tributus eſt. Tunc miſero cum clamore miſerabilis proclamare cœpit Dæmon: Ecce nec cōſpectum mei valeo adire Principis, nec ſocios proprios conſpicere, quia vndiq; me miſerabilem reddis: Atq; his cum clamoribus obſcura petit ima profundi. Diuino ſiquidem nutu feſtinè

ſtinè nauis litus contingit. Atq; vt Beati Caſtrenſis cognouerunt vultum perſpicuum, ſpontè deuouerunt, quo ſtatuto tempore dona eius deferrent Eccleſiæ. Quorum exẽplo omnis nauta ad id litus perueniens, pio cum amore grātanter eorum promiſſa implere deſiderat. Sed nè in longum ſermo deductus faſtidium generet, omittamus ea, quæ eo viuente geſta ſunt miracula, & ad eius præclarum tranſitum percurramus.

Cum ſe ſanctiſſimus Pater ab Ergaſtulo carnis ſoluendum cognoſceret, conuocans diuerſos fratres, dixit. Tempus eſt vt pius Rex nobis conferat hoc, quod Pſalmographus cecinit, vt cum gaudio excipiamus fructus, quos cum mœrore ſeminauimus. His prolatis verbis, cœpit eos commonere de ſpe futuræ beatitudinis, & vt charitatem inter ſe mutuam detinerent, ſine qua nemo poteſt Deo dignè placere. Cumq; quidam ex circumſtantibus, Benignus nomine, & opere, eum humili cum deuotione rogaret, vt ei manifeſtius ediceret quid ſermo implexior contineret, reſpondit: Ab Ergaſtulo carnis egreſſurus, hanc hæreditariam pacem prædicare ſtudui: Sed tu ipſe te ad hoc præpara, quia non multo poſt meum diſceſſum eris comes mei itineris. Hoc expleto ſermone, oſculum pacis omnibus circunſtantibus contulit, annuncians eis, quia poſt tres dies perenne gaudium à Deo eſſet accepturus. Hinc concrepuit pariter vox, & gemitus cunctorum. Cur clemens Deus orbatæ non condoles plebi? At mitiſſimus Pater Caſtrenſis ſic eos alloquutvs eſt: Nolite filij mei ad hoc mentes veſtras triſtando deducere, vt vos viduatos poſt meum diſceſſum credatis: ego enim ſecurus de Dei miſericordia, hoc vobis ſolatium ſpondeo, quod nunquam abſens ero ſpiritu ab huius loci defenſione. His, & alijs alloquutionibus per tres dies, quibus ſuperuixit, ſanctam Dei plebem alloquutus eſt. Sed cum iam dies tertius illuxiſſet, conuocatis omni-

bus,

bus, lætus, & gaudens Diuina Myſteria celebrauit. In qua oblatione dum inchoaret ſecretè principia, diuinitus tanto lumine eius facies, ac corpus irradiatum eſt, vt nullus eſſet ex circunſtantibus, vel etiam multitudine, qui in Eccleſia conuenerant, qui eum perſpicuè conſpicere valeret. Qui ſplendor non receſsit, donec aſtantibus cunctis poſt expletam Miſſam, ſeſe in ſepulchro ipſe collocauit, atq; ſanctum Deo reddidit ſpiritum. Audiuimus etiam relatu quorundam Sacerdotum, qui digni huic reuelationi interfuiſſe creduntur; quòd quaſi ignis ex altari progrediens inter ipſa ſacrificia, ad Cœlum vſque tetendit. Cumq; omnis multitudo eum (in ſepulchro) vt dormientem inſpiceret, beatæ memoriæ Oroſius Præsbyter ſub eius capite leuiter manus ſubmiſit, exiſtimans eum ad huc viuere: Sed cum eum exanimem reſpexiſſet, graui cum mœrore, aſtantibus eius exitum denunciauit. Tunc ſtupor omnium mentes concuſſit, quod tàm iucundanter hoc à ſæculo egreſſus eſſet, vt nullus ex circunſtantibus eius obitum percipere potuiſſet, cœperunt ſinguli cum magnis vocibus, & cum cordis gemitu lachrymas fundere dicentes. Quis vnquam viſurus eſt Antiſtitem? Superuenerunt vicinarum Vrbium Sacerdotes, & populi grauiter flentes: & dum omnis multitudo in eius exequijs pernoctat, ſequenti die cum omni diligentia clauſerunt eius venerabile ſepulchrum. (K) Migrauit autem
K B. Caſtrenſis ex hoc ſæculo vndecimo die menſis Februarij plenus virtutibus bonorum operum, & confertus. Amen.

## NOTATIONES.

*Hanc vitam S. Caſtrenſis quaſi totam habemus in C. M. S. Longobardo Monaſterij Monialium S. Ioannis: Integram verò exſcriptam e C. M. S. Montis Regalis in Sicilia attulit ad me Pater Rufinus à Caturano Cappuccinus prædicator Euangelicus.* Vuan-

Digitized by Google

Vuandalica. *Baron. in Notat. Iunij 22. & in Ann. T. V. habet Vuandalos ingreſſos eſſe in Africam anno 427. ſub Regibus Gunthario, & Genſerico germanis fratribus: Idem in Not. Octob. 28. habet perſequutionem à Vuandalis ipſis conflatam, exagitaſſe Africanam Eccleſiam ab anno 439. at in Ann. T. V. habet incboatam perſequutionem ab ann. 437. & hanc vltimam eius ſupputationem ſequimur.*

Ad annum 4. *Si expulſio S. Caſtrenſis contigit anno 4. oportet contigiſſe anno 440. agente Theodoſio annum Imperij 33. & Valentiniano Decimumſextum.* A

Summi Sacerdotij. *Quatuor, ideſt Roſium, Tammarũ, Priſcum, & Caſtrenſem fuiſſe ſummi Sacerdotij, ideſt Epiſcopatus honore præditos, expreſsè habent hæc Acta: ſed reliquos octo eadem dignitate præfulsiſſe, eadem Acta non obſcurè videntur innuere. Ego noto illa verba* ex quibus præcipuè, *& inquio; ergo erant alij Epiſcopi præter hos quatuor. Noto illa 2.* Ad confratres, & coepiſcopos *& inquio: ſi Caſtrenſis conuerſus eſt ad omnes illos; ergo omnes illi erant Epiſcopi. Noto illa 3.* & huius ſectæ, qui exiſtunt auctores: *& inquio, cur hi duodecim Sancti appellantur auctores Chriſtianæ ſectæ? profectò quia cum eſſent Epiſcopi, erant aliorum Duces. Noto illa 4.* cum honore digno vocare: *& inquio: ſi illi ſceleſti deridendo Sanctos, & quaſi digno proſequentes honore, inuitant duodecim, quaſi eodem honore dignos, cur nõ dicemus illos duodecim omnes fuiſſe Epiſcopos? Noto illa 5.* Veſtigia Sanctorum Patrum: *fideles, qui ſunt in litore, appellant Patres, exiſtentes in Naui: Ergo erant illi duodecim Patres, & Paſtores. Quare* S. Caſtrenſis *ſocij, qui his in Actis & in Rom. Martyrol. Kal. Septembr. nominantur, videntur ſine ſcrupulo Epiſcopi eſſe cenſendi.* B

Benignum. *Hæc Acta duodecim* SS. *Confeſſores nominãt: totidem nominat Rom. Martyrol. at hæc Acta commemorãt Benignum, & tacent Adiutorem; Martyrol. verò Benignum* C

præ-

Digitized by Google

*prætermittit, & Adiutorem notat: fortaſſe S. binominis fuit.*

D Innumera multitudo. *Quando occurrit mihi aliquis Sanctus, cuius Acta penitus ignorantur, ſoleo mecum ipſe cogitare, quis ſcit an ſit ipſe ex innumera illa multitudine Africana?*

E Campano litore. *Litus, ad quod appulit nauis illa ſanctorum vectrix, ignoratur: alterutrum verò fuiſſe creditur, nempè vel quod propè Vulturni fauces, vel quod propè Gariliani: his enim in locis etiam hodie colitur memoria Sancti Caſtrenſis.*

F Ad loca propria. *Habent Acta S. Caſtrenſem propè Sueſſam conſediſſe: habet Breu. Capuanum S. Priſcum conſediſſe Capuæ: de reliquis nihil adhuc certi aſſeritur: ſunt qui dicant Tammarum Beneuenti, Adiutorem apud Cauam, Elpidium Atellis. Sed lege Kal. Septemb. in S. Priſco.*

G Cultor Trinitatis. *Non credam caſu, vel generali quodam loquendi modo Populum Sueſſanum dictum eſſe cultorem Trinitatis: imò credam populum, qui nunc habet Eccleſiam ſub inuocatione Sanctiſſimæ Trinitatis, iam tùm antiquitus ſub hac eadem inuocatione Eccleſiam, ſeu Oratorium habuiſſe.*

H Non multo poſt. *Duplex miraculum hic narratur, vnum de Energumeno liberato, alterum de nautis quoque ſaluatis ab ira Dæmonis illius, qui ex Energumeno expulſus fuerat. Et hoc eſt quod in Eccleſia Montis Regalis in Sicilia duobus verſibus inſcriptis exprimitur.*

Conſeruat Nautas, & Dæmonis eripit iræ
Quem priùs obſeſſo de corpore fecit abire.

*Sæpeſæpius inquirẽtibus amicis An S. Caſtrenſis fuerit Capuanus Epiſcopus, Ego tandem ex his, quæ hic habentur, neganti ſententiæ ſubſcripſi: hic non obſcurè indicatur S. Caſtrenſem in ora maritima cellam, & Eccleſiam habuiſſe, id quod de Eccleſia Capuanâ quindecim ferè milliaribus à mari di-*

Digitized by Google

*ri diſtante affirmare non licet. Ego noto Dæmonem iuſſum petere abyſſum, intellexiſſe de abyſſo maris, non de abiſſo inferni, nec ſuæ fictionis potuit eſſe commodior cauſa, quàm propinquitas maris. Noto præterea, nautas cognouiſſe vultum Sancti Caſtrenſis exiſtentis in mari propè nauim; ergo S. Caſtrenſis erat benè notus hominibus, à quibus, etiam perterritis, agnitus fuit: cuius agnitionis non videtur aſſignari poſſe cauſa commodior quàm ex propinquitate litoris, occaſio, ſæpius videndi Sanctum, & colloquendi cum eo.*

*Tandem noto illa verba,* Ad id litus. *Erat igitur Eccleſia in ora maritima: igitur S. Caſtrenſis* Capuæ *non conſidebat. Sed dicet quis: Auctoritas Romani Martyrol. videtur multum obſtare; ait enim* Capuæ S. Caſtrenſis Epiſcopi: *Hic enim ordinarius Martyrol. loquendi modus ſignificat nominatos Epiſcopos, nominatarum Ciuitatum Epiſcopos extitiſſe. At re vera Martyrol. nobis non obſtat: nam etſi phraſis ordinaria plerumque, & ferè ſemper ſignificat nominatum Epiſcopum fuiſſe Epiſcopum nominati loci, & præſertim ſi non conſtat fuiſſe illum Epiſcopum alterius loci; tamen non ita eſt omnino ſemper: habemus exempla, 3. Kal. Ianu.* Aquilæ in Veſtinis S. Raynerij Epiſcopi: *& tamen Raynerius fuit Epiſcopus Furconienſis. 3. non. Februarij,* Lugduni SS. Lupicini, & Felicis, itidem Epiſcoporum: *Et tamen Felix alterius ciuitatis Epiſcopus exiſtimatur: & Non. Februar.* Brixinone SS. Epiſcoporum Genuini, & Albini: *& tamen Genuinus fuit Epiſcopus Sabionẽſis. Profectò Martyrol. rationem habet vel geſti muneris pontificij, vel Ortus, vel Obitus, vel Martyrij, vel incolatus, & ſimilium. Quando ergo ait:* Capuæ S. Caſtrenſis Epiſcopi, *non ideo dicit, quòd fuerit Epiſcopus Capuanus; ſed quia ipſe S. Caſtrenſis intra fines Capuanæ Prouinciæ, eo etiam tempore ſatis amplos, habitauit: & quia tandem cum migrauit è vita, corpus eius Capuam tranſlatum eſt. Accedit ad hæc, quòd*



Digitized by Google

*iure optimo* Capuanorum *cultus erga* S. *Caſtrenſem augeri potuit, quia fuit ille* S. *Priſci præcipuus comes, & commilito.*

K Venerabile Sepulchrum. *Dicendum eſt Sanctum Caſtrenſem ſepultum fuiſſe in Eccleſia illa oræ maritimæ, & ideo aliqua Martyrol. Manuſcripta, vt eſt Martyrol. Monaſterij* S. *Ioannis, & Caſſinenſe, habent:* Campaniæ Sancti Caſtrenſis Epiſcopi, & Mart. S. *Petri Beneuenti habet,* In Campania S. Caſtrenſis, &c. *Nota quòd ſi Martyrol. Caſſinenſe habet* Caſtrenſis Epiſcopi, & Martyr. *nomen Martyris accipiendum eſt vt accipi ſolet pro* Confeſſore, *ideſt* Chriſtiano, *qui fidei cauſa tormenta paſſus eſt. Sed corpus tandem eius tranſlatum fuiſſe ad Epiſcopium Capuæ Veteris, conſtat ex his, quæ dicimus in* S. *Paulino. Nunc verò eſt in Eccleſia Metropol. Montis* Regalis: *ſed an eò à* Capua *veteri, an ab hac noua tranſlatum ſit, ignoramus. Ferrarius in nouo* Catalogo *notat* S. *Caſtrenſis tranſlationem die 29. Decembris.*

*In territorio Sueſſano eſt* Pagus *cum Eccleſia ſub inuocatione* Sancti *Caſtrenſis. In Diœceſi Capuana extat Parochialis in* Caſtello *ad Mare de Vulturno. Inuenimus extitiſſe aliam in partibus trans flumen an.* 1125. *& aliam in partibus* Cancielli *anno* 1573. *& aliam in Marcianiſi. Magna igitur erga* S. *Caſtrenſem pietas antiquorum fuit.*

## DE S. DECOROSO EPISCOPO CAPVANO.

15. *Feb.*

M*Artyrol. Rom.* Quinto decimo Kalen. Martij Capuæ S. Decoroſi Epiſcopi, & Confeſſoris. *Breu. in* Kalen. xv. kal. Mart. Decoroſi Capuani Epiſcopi duplic. *in Officio.* Oratio. Propitiare, quæſumus Domine, nobis famulis tuis per huius S. Decoroſi Confeſſoris tui, atq; Pontificis, qui in præſenti requieſcit Eccleſia, merita glorioſa, vt eius pia inter-

Digitized by Google

intercesſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis. Lect. 1. Commendabilia Sanctorum trophæa, & Chriſti geſta fortium Athletarum, factaq; victricia memoratu digna venerabili, ad imitationem animos prouocantia infirmorum non ſunt aliquatenus reticenda, iuxta Pſalmigraphi celebris dicentem Verſiculum, Annunciaui iuſtitiam tuam in Eccleſia magna: ecce labia mea non prohibebo, Domine tu ſciſti: Necnon iuxta illud Tobiæ miſericordis elogiũ aſtruentis. Etenim ſecretum Regis aſcondere bonum eſt, opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum eſt. Lect. 2. Ideo huius Confeſſoris almifici, & egregij Antiſtitis Decoroſi vitam celebrem recenſendo, Fratres cariſſimi, iubilationibus ouantes mẽtaneis, ſynceriſq; præcordiorum affectibus, & indefeſſis laudum præconijs iocũdemur. Hæc eſt enim dies, in qua Sancta Mater Eccleſia multiplici exultatione tripudiat, huius recolendo feſtum. Cuius exẽplis, & verbis multifarijs ſupernorum Ciuium participem ſe eſſe cognoſcit. Lect. 3. Beatus igitur Decoroſus Capuanæ Vrbis indigena, qui non tantum fuit nomine Decoroſus, ſed opere, & ſermone: Fuit quippè (A) charitatis obſeruator inuictæ, cultor fidei, ſpei ſectator, pietatis alumnus, A
zelator iuſtitiæ, prudentiæ norma, temperantiæ forma, & veræ titulo fortitudinis inſignitus; largus pauperibus, hoſpitibus gratus, orphanorum, ac pupillorum, & certa protectio viduarum. Lect. 4. Reſidebat enim in Eccleſia Capuana idem Beatus Decoroſus Epiſcopus, & Antiſtes Chriſti (B) temporibus Iuſtiniani minoris Imperatoris, filij B
Conſtantini, ex patre Conſtantino, ſub Papa Sergio Romanæ Eccleſiæ, & ſub Grimoaldo Duce gentis Longobardorum. Erat enim B. Decoroſus valde Religioſus ac timens Deum, qui cum quadam die ſtaret in (C) cella ſua ſolus, C
& cum Deo oraret, ſubitò factus eſt eiulatus, & clamor maximus ante fores Eccleſiæ Beatorum Martyrum



Digitized by Google

Stephani, & Agathes. Lect.5. Ad cuius clamoris ſtrepitum de cella exiens, quæſiuit humiliter quidnam hoc eſſet. Illicò ſibi quædam mulier occurrit, cuius filius graui arreptus incommodo, & ad extrema quaſi deductus, tandem pro mortuo habebatur. Quæ anxia, & plena doloribus de graui eius filij ſtatu, à Sancto Decoroſo Epiſcopo diligenter cæpit inquirere de tranſlatione corporis Beati Rufini Capuani Epiſcopi, & Confeſſoris prædeceſſoris ſui, facta per ipſum de loco, in quo id condiderat. Lect.6. Qua per manum apprehenſa, ad tumulum, in quo eiuſdem Sancti Rufini conditum erat corpus, perrexit cum ea, ipſius filium quaſi defunctum ſecum ferens. Et cum vehementi gemitu, & eiulatu ante altare Sancti Protomartyris Stephani iuxta locum, vbi tumulatum fuerat ipſius Sancti Rufini corpus, puerum poſuere prædictum, & clauſis ianuis, quæ ante ipſum conſiſtebant altare, præfati pueri mater intus Eccleſiā degens, orabat. Lect.7. Beatus autem Decoroſus orans foris ſtabat, & dum aliquantiſper expectarent, ſollicita mater plorans, & eiulans, videre voluit quid de filio eſſet actum, & cum appropinquaret loco, in quo ipſum poſuerat, vidit eum ambulantem, & ambientem altare ſancti Protomartyris Stephani, & per manum eum apprehenſum, ad Beatum Decoroſum hilarem perduxit, & ſanum. Lect. 8. Demum mater ſciſcitata eſt Decoroſum, quid de filio eſſet factura: cui Beatus Decoroſus reſpondit. Vade, & educa eum vſq; ad tempus conueniens, & ad illum ſeruiturum reduc, à quo hilarem, & ſoſpitem aſſumpſiſti: & mulier facto Vale, cum filio ad propria remeauit, & ſic in charitate Dei, & proximorum dilectione perſeuerans, ſoli Deo vitā finire gaudebat. Lect. 9. Cumq; iam dictus Antiſtes Decoroſus, vt per cuncta laudabilis, quodam die Dominico loca ſancta ex conſuetudine circumiret, aſcendens pulpitum,

D (D) ſermonem ad populum fecit mellifluum, ac etiam luculen-

luculentum: quo expleto, ſyncopi cordis ſibi ſuperueniente, ſtatim ad cælum extenſis brachijs, manibuſq; comploſis, Saluatorem omnium collaudabat, dicens: Magnus es Domine Deus noſter, magnus, & mirabilis, cuius magnitudinis non eſt finis. His dictis, conuerſus ad clericos ſuos ante altare Domini, in pace, & tranquillitate obdormiens, ſpiritum Altiſſimo commendauit.

## NOTATIONES.

CHaritatis, *Charitas qua S. Decoroſus erat affectus in omnes, inter ipſum, & S. Barbatum Beneuentanum Epiſcopum ſuauiter intercedebat: Sancti Epiſcopi in Chriſto amici inter ſe diligebant: Ambo Romano Concilio ſub Agathone Papa ann. 680. interfuerunt, & ſubſcripſerunt.* A

Temporibus, *Hoc non eſt ita accipiendum, quaſi Imperatoris Iuſtiniani, Sergij Papæ, & Ducis Grimoaldi tempora conuenerint; ſed vt intelligamus & Iuſtiniani, & Sergij, & Grimoaldi tempore S. Decoroſum in Epiſcopatu vixiſſe: Iuſtinianus cæpit Imperium anno 685. Sergius anno 688. ad Pontificatum euectus eſt. Grimoaldus fuit Quintus Dux Longobardorum: primus enim fuit Zoto, Secundus Aricbis, Tertius Aio, Quartus Rodoaldus, & Quintus Rodoaldi filius Grimoaldus, qui ex Duce factus eſt Rex. Huic Duci ſucceſſit Romoaldus, Romoaldo Giſulfus, Giſulfo Romoaldus, Romoaldo filius eius Giſulfus. Sunt qui prætermittant Giſulfum primum, ac ſeptimum Ducem, & pro Romoaldo ſecundo, octauo Duce nominant Grimoaldum alterum: Hæc noſtra parum interſunt: quia ſiue vnus, ſiue duo Grimoaldi fuerint, Breuiarium de primo loquitur: Nam ſi de altero loqueretur, aliquod diſtinctionis ſignum appoſuiſſet, quēadmodum in nominando Iuſtiniano ſecundo, ad differentiam Primi, Iuniorem eum appellauit. Hic Grimoaldus ex Duce factus eſt Rex anno (vt* B

*Baro-*

*Baronius computat) 663. Quare ante hunc annum S. Decoroſus fuit Epiſcopus & cum peruenerit ad tempora Sergij Papæ; oportet ob iſſe poſt annum 688 proindè aſſirmandum videtur S. Decoroſum annos Triginta, vel etiam ampliùs in Epiſcopatu vixiſſe.*

C Cella. *Obſerua quæſo domum Epiſcopi appellari cellam. & vide illam coniunctam Eccleſiæ.*

D Sermonem. *Vt legitur in S. Rufino, Longobardi Gens primitus Idololatra, tempore S. Decoroſi, religiosè cæmeteria Sanctorum excolebant, & antiqua Martyrologia peruoluebant, hoc nonniſi mellifluis, & luculentis Sancti Decoroſi ſermonibus attribuendum eſt: vt Beneuenti Sanctus Barbatus, ita ſanctus* Decoroſus *pro extirpanda Lõgobardorum Idololatria feliciter* Capuæ *laborauit.*

## DE S. BERNARDO EPISCOPO.

### 12. *Mart.*

M*Artyrol.* Rom. IV. Id. Martij Capuæ Sancti Bernardi Epiſcopi, & Confeſſoris. *Breu. in Kalend.* IV. Id. Gregorij Papæ, & Doct. duplex, & Bernardi Epiſcopi. *De Sancto Bernardo Capuæ monumentum aliud non habemus. Inter amicos ſæpè quæſitum eſt, an Bernardus in Martyrol & in Breuiario nominatus, ſit Bernardus Eccleſiæ Calenenſis Epiſcopus? & profectò eſſe vnum, eundemque Epiſcopum credi poteſt: In Eccleſia Calenenſi Bernardus celebratur illa ipſa die Martij duodecima, quando Martyrol. aſſerit, Capuæ celebrari Bernardum Epiſcopum: tum quia, niſi vnus, idemq; Bernardus eſſet, eſſet maximè mirum, & vix credibile excidiſſe Acta, & vix nomen haberi Sancti, qui nonniſi poſtremo Capuæ veteris ſæculo vixiſſe coiectatur. Ita ſenſit Illuſtriſſimus* D. C. *Bellarminus, qui inter nomina Capuanorum Antiſtitum à ſe collecta, Bernardum non cooptauit:*

*tauit: & anno 1609. Octobris Decimo ſexto die, reſcribens Capitulo Capuano, apertiſsimè aſſeruit, non debere cooptari illa ſanè motus ratione; quòd in Breuiario Capuano S. Bernardus non appelletur Epiſcopus Capuanus, nec annotetur literis rubris, nec celebretur officio duplici, vt appellantur, annotantur, & celebrantur Decoroſus, Vitalianus, Germanus, & alij, qui Epiſcopi noſtræ Ciuitatis habentur. His addam ego Nomen S. Bernardi in Kal. Capuanis non eſſe multum antiquum, ſed in ea poſt annũ 1300. inuectum eſſe: Reperitur enim kalendario antiquiori (quod eſt tertiũ infra in 4. parte) non à principio adſcriptum, ſed additum, & additum literis nigris, inelegantibus, formatis manu alicuius vel tremuli ſenis, vel inepti ſcriptoris. Quod argumento eſt, non eſſe aliud nomen, quàm quod illo ſæculo Capuæ notum erat, nomen ſcilicet Bernardi Epiſcopi Calenenſis. Domino Card. Bellarmino conſentit Ferrarius in noua Topographia, & in Catalogo SS. Italiæ.*

## VITA SANCTI BERNARDI EPISCOPI Calenenſis ex officio M. S. Calenenſis Eccleſiæ.

RAtionabilis creatura ad imaginem Dei formata, & quodam participio numinis inſignita, &c. Quippè tunc temporis, vir magnifici nominis (A) Richardus, filius Iordani Principis Capuani, Bernardum adſciuit in ſuum conſortium, vt eius haberet conſilium, & ille pro Principe offerret ſacrificium hoſtiæ, quæ totius mundi tulit immolata, peccatum: Ea etenim tempeſtate B. Bernardus ſacerdotali fungebatur officio, quem ideo præfatus Princeps voluit habere Cappellanum, quia ipſius plenè cognouerat cœlibatum. Qui tantam viro Dei pro meritis reuerentiam exhibebat, vt nihil tractaret, vel ageret, vnde prius Sancti A

Qui conſilium non haberet. Verùm B. Bernardus tanta tanti viri familiaritate donatus, in gloriam non eſt elatus humanam. Accidit vt Calenſis ciuitas, cui Ionatas præfati Principis filius, præerat in regimine ſeculari, ſuo deſtituta Paſtore, idoneum quæreret Pontificem. Diuina igitur gratia prouidente, quæ ciuitatem ſupra montem non facit abſconditam; B. Bernardum, de quo fama tam celebris habebatur, memoratæ ciuitatis clerici in Pontificem elegerunt, & ſolemniter inthronizatum, paſtoralis infulæ digni-
B tate, (B) ritu canonico ſublimarunt. Sublimatus autem, & poſitus in officio paſtorali, ſicut ait Apoſtolus, non dominans in clero, ſed forma factus gregis, ſubditis ſuis quaſi ſolare iubar apparuit, dupliti virtute præradians, lumine videlicet cognitionis, & feruenti deſiderio charitatis. Prædicationem verò ſuam iuxta Apoſtolicam ſtuduit diſpenſare doctrinam; verbum Dei opportuna voce diſſeminans ſagacitate mirabili, ſicut ad eum ſpectabat, manſuetos colligens, & corripiens inquietos: quæ autem ſubditis ſuis ſciebat eſſe contraria, ſuis oſtendebat actibus non agenda.
C Erat eo tempore Epiſcopalis manſio, loco qui (C) Forum Claudij dicebatur; videlicet ſtrata publica euntibus Romam, & Neapolim, planum vſq; hodie monſtrat acceſſum: qui locus à Calenenſi ciuitate duobus fere millibus diſtat. Videns autem Sanctus Dei, populum ſuum longè à ſe remotum, frequens ab eo conſolationis non habere conſilium, cœpit intra ſe magna cum deliberatione verſare, vtrum poſſet Epiſcopatum ad prædictæ ciuitatis clauſtra transferre, ad hunc enim effectum mancipandum neceſſariam fore conſiderans Principis voluntatem, virum nobiliſſimum Ionatam, cuius fecimus mentionem, adijt, & quod ſancto concepiſſet propoſito, manſuetè auribus patefecit. Quod audiens vir Illuſtris, valdè iocundatus eſt, & diuinæ inſpirationis gratia perluſtratus, locum pro conſtruen-

Digitized by Google

da Eccleſia, & Eccleſiæ domibus pia largitione conceſſit, ſpondens liberaliter ſe Pontifici adiutorium ſemper impendere, & ipſi Eccleſiæ libertatis priuilegijs prouidere: corroboratus verò Epiſcopus dono (D) Principis, pariter & promiſſo, in honorem ſanctæ, & intemeratæ Virginis Mariæ, & Beati Ioannis Baptiſtæ fabricauit Eccleſiam, & domos competentes, in quibus Epiſcopus cum ſuis clericis habitarent, vt competentiùs ad diuinum ſeruitium tempore officij matutinalis occurrerent. S. Bernardus de operis inchoati conſummatione ſolicitus, quaſi apis officioſa, quæ de diuerſis pratis diuerſos floſculos colligit, pandò vectus aſello, ad diuerſa loca pergebat, & quidquid ei fuiſſet pro Dei amore collatum, ad nidum propriæ manſiunculæ deferebat. Peractis igitur ædificijs, Sanctus Dei de virtute in virtutem procedens, deſiderium mundi non appetens, carnem cum vitijs, & concupiſcentijs crucifigẽs, ad faſtigium ſanctitatis aſcendebat. Vnde ſuperno placuit Conditori, vt qui carnem ſuam ſanctificabat in terris, eius corpus haberet, cuius ſpiritus lætabatur in cœlis: nam ſanctiſſimi viri Martini corpus (cuius in dialogo Beatus meminit Papa Gregorius) de monte Marſico ad ſuam (E) tranſtulit Eccleſiam, pium religionis officium exequens, adiutorio diuini muneris reclamantibus, & repugnantibus Sueſſanis. Bernardus igitur ſupernis deſiderijs inflammatus, præſentem vitam reputabat exilium, & corpus ſuum habens pro carcere, vehementiùs affectabat ab iſta ſubleuari peregrinatione: Cuius deſiderium intuens mentium ſcrutator, poſt multos labores, in quibus non fruſtra ſudauerat, de valle lachrymarum ad montem gaudij ſubleuauit: nam viceſimo tertio Pontificatus ſui anno, plenus Spiritu ſancto, migrauit à ſæculo.

D Mira-

Digitized by Google

## Miracula Sancti Bernardi.

CVm, iuxta morem, corpus beatiſſimum vita functum lauaretur, quidam languidus, membrorum deſtitutus, qui inter alios, quos in vita ſua Sanctus miſericorditer ſuſtentabat, ibi præſens erat, & patris, atque benefactoris obitum deplorabat; hic ſubitò, diuina viſitante clementia, erectus, & membris conſolidatus eſt, ita vt peluim, vbi continebatur aqua, acciperet, qui manum, & pedem hactenus mouere nequiſſet. Diaconus quidam, quem ſæpènumero Sanctus pro ſua corripuerat lenitate, cum Sancti corpus in loculum poneretur, vt Bernardum ſepeliret, adfuit, & ſancti viri caput arripiens, tam durè intra ſepulchrum ire dimiſit, vt marmori illud allideret, & de ipſo capite cruor profluus emanaret; aliud addens opprobrium, quòd anulum bonum in digito poſitum abſtulit, & quemdam alium plumbeum poſuit, quod factum vltio condigna ſequuta eſt: nam prædictus Diaconus elephantino morbo percuſſus eſt, & leproſus factus eſt in carne, qui ad Sancti commonitionem lepram nō fugauit à mente, & talem pœnam tulit, qui Sāctum in vita contempſit, & inhoneſtè in morte tractauit. Terna die poſt humationem Beati Bernardi, mulier quædam graui gutturis infirmitate detenta, ferè officium vocis amiſerat, quæ veniens ante ſanctum corpus, orationem fudit ad Dominum, & Præſulis merito euaſit periculum, & plenum reportauit ſoſpitatis effectum. Alia plura leguntur miracula in ſepulchro ſancti Bernardi facta, nēpè reſtitutio viſus Beatrici Matronæ nobiliſſimæ, atque pulcherrimæ, oculorum tamē luminibus orbatæ. Item expulſio maligni ſpiritus à muliere Gaudia, necnō à Martha: præterea ſolutio linguæ cuiuſdam Ioannis muti à natiuitate: adhuc perfecta ſanatio ſtabilis hydropici, Ioannis

leproſi:

Digitized by Google

leproſi: Raynaldi de Sangro, & Calandræ Beneuentanæ paralyticorum. Inſuper paupercul æ prægnantis, quæ eleemoſynam quæritans, Calinum vſq; peruenerat, & pariendi tempore ſuperueniente, parere non poterat, exoneratio ventris. *Attamen pro coronide ponam miraculum ab Auctore (vt legitur in ipſo officio) verſibus expoſitum.*

Vnus homo, placido reſolutus membra ſopore,
Dum iacet, & dormit, anguem ſuſcepit in ore:
Lubricus immergens dilabitur intus in aluum,
Non patiens hominem torquendo viuere ſaluum:
Hoſpite tam duro plangit miſer, & lachrymatur,
Vndiq; quærit, abeſt medicus ſibi qui medeatur.
Expetit auxilium Sancti, miſerabilis orat,
Vt vincat peſtem, per quam moriendo laborat:
Pontificis ſancti dum voluitur ante ſepulchrum,
Factum monſtrauit pulchro ſatis ordine pulchrum:
Ore gemens patulo ſupra Sancti monumentum,
Anguem, quo lædebatur, vomit ore cruentum:
Sic requiem cuncta poſt detrimenta laborum
Cepit, qui petijt votorum ſumma ſuorum:
Et redijt ſanus Paſtore ſacro mediante,
Qui fuerat dudum miſer, & miſerabilis ante.

## NOTATIONES.

Richardus filius Ioardani. *Hic fuit Richardus ſecundus, filius Iordani, nepos Richardi primi: Hunc pater Iordanus conſortē principatus nominauit anno milleſimo octogeſimo: At patre mortuo, ſolus principatum adminiſtrauit ab anno milleſimo nonageſimo tertio. Obijt milleſimo centeſimo ſexto. Sub hoc igitur Principe* S. *Bernardus floruit & Epiſcopatum accepit anno* M LXXXVII. *quem cum tenuerit annos* XXIII. *conſequens eſt ipſum obijſſe anno* A



Digitized by Google

*M C IX. cæterum etſi Auctor officij dicit ſe ignoraſſe carnalem originem S. Bernardi, nec de illius Patria meminit; tamen fuiſſe illum nobilem Capuanum ſemper creditum eſt: ſi quis in hoc contentioſus eſſe velit, ſufficit nobis S. Bernardum ſaltem ex longo incolatu ius Capuanæ ciuitatis acquiſiuiſſe.*

B Ritu Canonico. *Cum S. Bernardus acceperit Epiſcopatum anno ab Incarnatione M L X X X V I I. confirmationem, & conſecrationem accepit ab Archiepiſcopo Capuano Roberto, hic enim reperitur Archiepiſcopus in exordio anni M LXXXVIII. ab Incarnatione.*

C Forum claudij *Anno M LXXI. ab Alexandro Papa II. conſecrata fuit Eccleſia Caſſinenſis: in Actis conſecrationis, quæ M.S. ſeruantur ibi, nominatur Ioannes Epiſcopus Calenus, qui tamen ſuſcribens vnà cum alijs Prælatis bullæ datæ ab Alexandro Papa, ſcripſit;* Ioannes Epiſcopus Fori Claudienſis: *illa Acta manuſcripta nunc habentur impreſſa.*

D Principis. *Auctor debuit dicere Comitis, nō Principis: ſola enim Capua Principem habebat; reliquæ autem ciuitates Principi Capuano ſubiectos Comites: & publicis inſtrumentis, quæ in reliquis ipſis ciuitatibus conficiebantur, nomen Capuani Principis, & anni Principatus eius apponebantur; id quod certiſſimum eſt. De Ionata filio Principis Iordani meminere monumenta Ammirato nota.*

E Tranſtulit. *Non ſemel, at ſemper fruſtrà, tentatum fuerat alio transferre corpus Beati Martini. In officio M.S. apud Calenenſem Eccleſiam ita legitur.*

1 ANnis (1) ab Incarnatione Domini reuolutis ſeptingentis triginta, anno duodecimo Imperij Conſtantini Imperatoris, qui nonus erat à magno Helenæ filio, menſe Iunio, Indictione decima, erat Beneuenti Princeps,

Arechis

Arechis nomine, charitatis, & iuſtitiæ virtute munitus; Dei ſeruorumq; eius cultor deuotus, erga pauperes benignus, ſuis humillimus, hoſtium debellator inuictus: Is poſt annũ Principatus ſui duodecimũ corpus Beati Martini, quod in ſpelunca Marſici montis poſitum audierat, Beneuentum, ob ſui, ſuorumq; ſalutem, transferre propoſuit. Vocata igitur Theophania coniuge ſua, cuius & fidem, & liberalitatem in multis expertus fuerat, ei & propoſitum ſuum indicare non diſtulit: illa verò Ioannem Epiſcopum, qui Beneuentanæ tunc temporis Eccleſiæ præſidebat, vitæ venerabilis virum, vocare, & ab eo conſilium ſuper hoc expeti conſuluit. Accerſito igitur Epiſcopo, vterque ei quid ſuper hoc propoſuerint, quidue tractauerint, indicare procurant. Quo audito, Epiſcopus hoc non ſine conſilio, & licentia Vrbani Papæ, qui tunc ſeptimus à Beato Gregorio Romanæ Sedis curam gerebat, fieri adhortatur. Miſſis igitur ad Papam literis, pro conſenſu adhibendo deprecatorijs per Seuerum Diaconum, qui geſti huius notitiam primus poſteris commendauit, non ſolùm licentiam, ſed etiam cum hortatione, Apoſtolicam adepti ſunt benedictionem. Indicto igitur, & celebrato ieiunio triduano, Epiſcopus & Princeps, cũ coniuge, maxima etiã pars cleri, & populi, cinere capita aſperſi, cum litanijs Dominum deprecantes, nudis pedibus iter aggreſſi ſunt: Cumque iter diei, & dimidium peregiſſent, montis Marſici cacumen aſcendunt: ſpeluncam, in qua ſanctum corpus poſitum fuerat, intrant: Miſſam ad memoriam eius celebrant, & Euchariſtiæ perceptione omnes participari procurant. Expletis igitur Miſſarum obſequijs, ſacris veſtibus indutus Epiſcopus, vnà cum Principe ad tumulum Sancti accedens, orare cœpit obnixè Dominum deprecans, vt, pro quo venerant, ſancti Martini corpus ab eis transferri permitteret. Omnes etiam, qui cum Epiſcopo, & Principe venerant,

ad

Digitized by Google

ad terram proſtrati, ſanctum Martinum transferri ſe permittere, ſuppliciter implorabant. Et ſubitò vehementiſſimus terræmotus acceſſit, ita vt mons ruere videretur: exterriti, Sanctum ſuis nullo modo petitionibus in hoc acquieſcere perceperunt: ſicq; triſtes ad propria ſunt reuerſi.

2 Alio tempore cum (2) Pandulfus Princeps, Landulfi filius, & Landulfi, cui Normādi Principes ſucceſſerūt, auus, Capuæ dominaretur; Abbas quidam religioſus, Hilarius nomine, S. Vincentij monaſterio præerat: is cellæ, in qua S. Martini monaſterium erat, monachum quemdam præpoſuerat; Qui furtim venerabile corpus abducere, & aliquid pretij ſe poſſe pro hoc acquirere, cogitauit: Cumque noctu ad tumulum tangendum temerarius acceſſiſſet, ſubitò tantus factus eſt terræmotus, vt montis ruinam inſtare crederet: ſanctus autem Martinus Abbati prædicto, qui apud Monaſterium ſancti Vincentij Capuæ dormiebat, in ſomnis apparuit, dicens: Quid talem corpori meo cuſtodem adhibuiſti? Ad hanc vocem Abbas expergefactus, & trepidus, ſtatim equos, quibus montem aſcenderet, apparari præcepit, & monachum ſuum, quid nocte illa egerit, diligenter interrogauit: Qui tandem ſe ad ſancti corporis tumulum furtim acceſſiſſe, ſed ex nimio repentini terræmotus ſonitu tremefactum eſſe profeſſus, paternæ correptionis virga correptus, ab ea, quam maletractauerat, præpoſitura deiectus eſt. *At de tranſlatione facta à ſancto Bernardo agitur tum in officio ipſius ſācti Bernardi, tum in officio ipſius ſancti* Martini: *nos hic, quæ in ſancti* Martini *officio ſunt, apponimus, & ita ſe habent.*

3 Anno (3) ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo quarto, in anno quartodecimo Principatus Richardi, filij Iordani Principis, Forum claudij regente venerabili Epiſcopo Bernardo, in Octauo Pontificatus ſui anno, Indictione ſecunda. Quod dudum animo ſuo propoſuerat idem

idem venerabilis Epiſcopus (*Bernardus*) replicare cœpit, decreuerat enim, vt conſilium à Domino (4) Guimundo 4
Auerſanæ ſedis Epiſcopo, magnæ auctoritatis viro, per Archipræsbyterum ſuum Ioannem acceperat, vt ſancti Martini corpus, cui creſcente præpoſitorum iniquitate, non more ſolito debitum ſoluebatur obſequium, ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſancti Ioannis, cui præerat, transferret: ſciebat enim frequentiora ibi & à clero, & populo ſanctis perſoluenda membris obſequia. Ionata itaq; Richardi Principis filio, qui tunc Caleni præerat, accerſito, equitum prudentiſsimo, conſilium ab eo qualiter hoc fieri poſſet, expetijt. Ionatas verò, vti magnæ inter ſæculares vir prudentiæ, eum comprouinciales Epiſcopos ad id ſecum agendum inuitare commonuit, ſeq; quidquid melioris ſuper hoc conſilij, & auxilij poſſet, daturum efficaciter ſpopondit. Conuocatis itaq; Theanenſi, & Caluenſi Epiſcopis, conſtituto die, quo ſcilicet ſanctorum Martyrum Ioannis, & Pauli erat celebranda ſolennitas, montem aſcendit, ad ſancti corporis tumulum cum maxima reuerentia deuotionis accedunt. Primus itaq; Bernardus Epiſcopus, theſauri tam nobilis amore ſuccenſus, oratione completa, ictum marmori, quo venerabile corpus tegebatur, incuſsit: & quæ pluribus antea difficilis fuerat, tam facilis prædicto venerabili Epiſcopo, & comitibus ſuis ſancti corporis eſt facta reuelatio, vt ipſius Sācti ad ſuæ reuelationis effectum conſentanea voluntas facillimè poſſet agnoſci. Omnes verò qui aderant, tanto iucundæ ſuauitatis odore ſunt repleti, vt Paradiſi ciuem, & cœlicolam, cuius corpori aſsiſtebāt, eſſe non ambigerent. Abſtractis igitur diù deſideratis ſancti viri reliquijs, gratias agens Epiſcopus Bernardus Domino, & vltra quàm dici poſſet exhilaratus, omnibus etiā, qui cum eo ierant, læta voce Dominum laudantibus, oſſa venerabilia diligenter in mundo poſuit linteamine: & ſicut

cut

Digitized by Google

cut qui victoria potiuntur, beati redire ſolent, omnes de tam inſperata theſauri tanti inuentione alacres deſcendunt. Cum autem populus ciuitatis aduentum ſancti corporis agnouiſſet, omnes viri, & mulieres, paruuli, iuuenes, & ſenes obuiam proceſſerunt: Ionatas etiam cum vxore ſua, & militibus ſuis gratias agens Deo, pedibus nudis occurrit, & ſic cum maximo honore reliquiæ ſanctæ Baſilicam vſq; Epiſcopij delatæ ſunt, in qua plurima per eundem Sanctum petentibus fiunt beneficia.

5 Quidam Capuanæ ciuitatis homo nobilis (5) Ioannes Maledictus nomine, audiens quæ in tranſlatione, & poſt, beneficia Sanctus præſtiterat, cum haberet quandam filiam cernuam, manibus, pedibus, & greſſu contractam, eam cum quibuſdam ſanctimonialibus monaſterij cui eam deuouerat, ad ſancti Martini petendum adiutorium miſit: quibus ad orationem ante altare proſtratis, virgo quoq; proſtrata, & parùm ſomno dedita, ſana ſurrexit.

1 Annis, &c. *Quæ hic habetur conſignatio temporum nulla ex parte conſiſtit. Notatur annus 730. cum Indictione decima: at illo anno erat Indictio decima tertia. Item cum eodem anno notatur annus duodecimus Conſtantini: at Arichis Princeps vixit tempore Conſtantini Copronimi, & Conſtantini filij Irenes: annus Copronimi duodecimus erat annus Chriſti 751. alter verò Conſtantinus cum matre imperauit decem tantùm annos, & deinde ſolus ſeptem: quòd ſi illis decem velis addere ſeptem, annus duodecimus erat ann. Chriſti 795. Præterea notatur cum anno Chriſti 730. & cum anno Conſtantini duodecimo, Annus Principatus Arichis duodecimus quoq; at ex Paulo Diacono certum eſt Arichim Principem Beneuentanum obijſſe an. 787. die Auguſti 26. & vixiſſe annos quinquaginta tres & fuiſſe Principem an. 30. habet enim in epitaphio quod illi ſcripſit.*

Ter binis luſtris patriæ hic rexit habenas,
Fluctibus vt lintrem nauita doctus agit.



Digitized by Google

*Quare ab anno obitus retrogradiendo, & numerando triginta, inuenimus Arichim accepiſſe Principatum an. 758. & numerando quinquaginta tres, inuenimus ipſum natum anno 735. ideoq; annus duodecimus principatus fuißet ann. Chriſti 769. Inſuper nominatur Theophania vxor Arichis: at nomen vxoris erat Adelperga: ſed fortaſſe hæc Adelperga fuit ſecunda vxor. Tandem nominatur Vrbanus Papa à Gregorio ſeptimus: at in ſerie Romanorum Pontificum nullus inuenitur Vrbanus poſt Gregorium Magnum, vel Gregorium ſecundum, ſeu tertium, qui ſeptimus in Petri Cathedra ſederit; libenter credam vitio ſcriptorum corruptam fuiſſe veram temporis conſignationem.*

*Cæterum Arichim Beneuentanum Principem, fuiße ſtudioſiſſimum inquirendi, & transferendi ad Eccleſiam Sanctæ Sophiæ corpora Sanctorum, ex Heremperto apud Chron. Caſſinenſe liquido conſtat.*

Pandulfus. *Hic Pandulfus eſt cognomento de Sancta Agatha, qui fuit filius Landulphi Principis Beneuentani, &* 2
*Pater Paldulphi, & Auus Landulphi. Hic principatum Capuanum accepit anno milleſimo primo.*

Anno. *Hinc ſatis clarè colligitur annus, quo S. Bernardus conſecratus eſt Epiſcopus, quoue migrauit ad Dominum,* 3
*vt ſupra notatum eſt.*

Guimundo. *Hic Guimundus eſt ille, qui à Card. Bellarmino dicitur Guitmundus, & inter Eccleſiaſticos ſcriptores* 4
*annumeratur: ſcripſit celeberrimum opus, libros tres de corpore, & ſanguine Domini in Euchariſtia Sacramento; necnon Confeſſionem de S. Trinitate, de Chriſti humanitate, & corporis Domini veritate.*

*Hic, vt ex hac vita S. Bernardi colligitur, viuebat etiam ann. 1094. & proinde ſub Victore 3. & Vrbano 2. PP.*

Ioannes. *De Ioanne Maledicto facit mentionem Priuilegium à Roberto Principe conceſſum Monaſterio S. Ioannis* 5



Digitized by Google

*ann. 1108. de altero Ioanne Maledicto fit mentio in Actis Alexandri Papæ tertij, quæ habent, illum à Federico Imperatore factum fuiſſe præfectum vrbis: & per aliquod tempus Tuſculana potitum ciuitate, Baron. tom. 12. an. 1170. Illum fuiſſe genere Capuanum, & Ioannis hic commemorati forſan ſe nepotem, ſuadet nomen, & cognomen, & Federici Imperatoris erga Capuam, & Capuanos beneuolentia, munificentiaque ſingularis.*

## DE SS. QVARTO, ET QVINTO MM. CAPVANIS.

### 10. *Maij.*

M*Artyr. Rom.* VI. Idus Maij Romæ via Latina ad centum aulas, Natalis SS. Martyrum Quarti, & Quinti, quorum corpora Capuam tranſlata ſunt. *Breu. in Kalend.* VII. Idus Maij Quarti, & Quinti Capuanorum Epiſcoporum dupl. *& in Officio*, in SS. Confeſſorum Quarti, & Quinti Capuanorum Epiſcoporum, Oratio. Propitiare quæſumus Domine nobis famulis tuis, per horum Sanctorum Confeſſorum tuorum, atq; Pontificum Quarti, & Quinti, qui in præſenti requieſcunt Eccleſia, merita glorioſa, vt eorum pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis; per Dominum, &c.

*Ecce vides, candide lector, quantum à Romano Martyrol. Capuanũ Breuiarũ differat: Breuiariũ de his agit VII. Idus Maij: Martyrol. verò VI. Idus: Breuiarium appellat eos Epiſcopos, & Confeſſores; Martyrol. Martyres. Conueniunt autem in eo, quòd Martyrol. aſſerit eorum corpora Capuam fuiſſe tranſlata, & Breuiarium in præſenti Eccleſia requieſcere proteſtatur. Quid ergo cenſendum? Martyrol. Romano contradicemus? abſit. Breuiarium noſtrum contemnemus? minimè quidem. Mea ſententia eſt, plures Capuæ fuiſſe Quar-*

*Quarti, & plures Quinti nomine nuncupatos: at (quod Priſco, Ruſo, ac Marcello contigit.) in vnum conſtata nomina, confuſas eorum perſonas, & memoriam antiquorum prætermiſſam eſſe. Planè mihi perſuadere non poſſum, à Breuiario caſu, vel temerè, & non abſq; aliqua, leui ſaltem umbra lucis, appellatos fuiſſe Epiſcopos Quartum, & Quintum. Huius verò nuncupationis alios extitiſſe aliàs proprio loco patebit. Nunc autem vnum admoneo, nempè non mirandum, ſi aliquis alius Quartus, vel Quintus alio loco nominandus, videtur dici poſſe Epiſcopus, licèt in citandis Martyrologijs Epiſcopus non appelletur; non mirandum inquio, nam ſimplicitati antiquiſſimorum temporum id adſcribere poſſumus: Ita Epiſcopali nomine tacito, Priſcus in Martyrologijs paſſim dicitur Martyr Capuæ in via Aquaria, & in illo antiquiſſimo Martyrologio Capuano, cuius mentio eſt in vita S. Rufini, S. Rufinus dicitur Confeſſor, & S. Ruſus Martyr, qui tamen fuerunt Epiſcopi. At verò Quartus, & Quintus, Romano adſcripti Martyrologio, fuerunt Clerici Capuani, Martyres, paſſi Romæ in via Latina. Neq; id gratis aſſerimus: In Cappella, quæ nunc dicitur S. Franciſci, erat antiquum altare, quod appellabatur Sanctorum Quarti, & Quinti: voluit Cappellæ Patronus permittente Archiepiſcopo Cæſare Coſta, illam marmoribus, marmoreiſq; Sanctorum Franciſci, Quarti, & Quinti ſtatuis exornare: idcirco antiquum altare dirutum eſt: inuentus ſub eo loculus, duo tandem corpora, cum inſcriptione, quæ propter antiquitatis ſitum, tota non legebatur: quod autem legi potuit ita ſe habet:* Corpora Sanctorum Clericorum Cap. hic ſita ſunt: *Quæ verba Archiepiſcopus Coſta in inferiori crepidine noui altaris, ibidem erecti, ſculpi tantùm voluit. Age nunc, coniungamus cum traditione firma, inſcriptionem, & de clericatu SS. Quarti, & Quinti non dubitabimus. Accedit, quòd in Eccleſia Sancti Priſci horum imagines, inter*

*alias multas antiquiſſimas, ex muſiuo conſpiciuntur: Sanct. imagines coniuncta, vultu admodum iuuenili, capite tonſo, vt nunc mendicantibus tonderi mos eſt: habent in manu coronam: certè corona fuiſſe martyres arguit. Archiepiſcopus Caſar Coſta, cum ad Eccleſiam S. Priſci animi cauſa diuertiſſet, adorato ſanctiſſimo Sacramento, imagines illas viſit, legenſq. inſcripta nomina, eleuata manu ad me conuerſus,* Videte ( *inquit* ) Martyres cum coronis. *Tonſura quidnam niſi fuiſſe clericos oſtendit? Et vultus ille quaſi puerilis, inter alias SS. Eccleſiaſticorum imagines, vel ſenum, vel virorum, vel iuuenum, quin in minori ordine conſtituti fuerint, dubitare num ſinet? At ſi Capuani clerici, qua de cauſa paſſi Romæ? Hinc ipſe colligo, SS. Quartum, & Quintum fuiſſe viros in vrbe Capua primarios, & ortos ex nobili genere: ſolebant Præfecti Prouinciarum nobiliores genere Chriſtianos comprehenſos, Romam amandare: Baron. an. 104. Ita cenſendum eſt contigiſſe SS. Quarto, & Quinto, nempè comprehenſos ipſos ob fidei Chriſtianæ confeſſionem, amandatos Romam, ibique ab Imperatore ( quiſquis ille fuerit ) capite plexos, & corpora tandem Capuæ eorum patriæ reſtituta.*

## DE S. VITALIANO EPISCOPO CAPVAE.

**16. *Iulij.***

M*Artyrol. Rom.* XVII. Kalen. Auguſti: Capuæ S. Vitaliani Epiſcopi. *Breuiarium in Kalen.* XVII. kalen. Vitaliani Capuani Epiſcopi, & Confeſſoris dupl. *& in Officio;* In Sancti Vitaliani Epiſcopi, & Confeſſoris. Lect. I. Igitur Sanctus Vitalianus Capuanæ ciuitatis editus, & nutritus, cum bonis polleret moribus, per Dei prouidentiam ordinatus eſt in eadem ciuitate Epiſcopus. Viuens in caſtitate, atq; ſimplicitate, eleemoſynas ſine ceſſatione

tione

tione, prout poterat, pauperibus erogabat: viduarum, atq; orphanorum aſsiduus erat nutritor, atq; conſolator: triſtis ad eum quicunq; aduentaſſet, lætus reuertebatur; qui æger, in Dei virtute, & eius meritis ſanabatur: pulcher aſpectu, mente præclarus. Lect. 2. Rectus in omnibus, nullus vnquam eum in aliquo crimine, vel odio, ſeu iracundia, vel detractione inuenire potuit: ſed in omnibus præclarus, & modeſtus, humilis, atq; manſuetus, & ſimplex in omnibus erat: & ſic ſibi vixit in ſæculo iſto, vt in omnibus viueret: nullum ſpernens, nullum lædens, nullum deſpiciens, contumelias deſpiciebat, odium vitabat. Qui cum omnibus diebus vitæ à iuuentute ſua ſic viueret, inuidus Diabolus, qui humano generi nunquam defecit (A) in aduerſis, & qui in abditis eius multa perpetrauit, & ſemper eum Dominus in omnibus ſuo ſeruo ſubdit; tamen palam ei ſuos ſatellites ita induxit. Lect. 3. Cum eſſet annorum ſeptuaginta, vt eum Dominus probatum ſibi inueniret, ſicut aurum ab igne, inuidioſè quidam maligni contra eum falſum teſtimonium cogitantes, dicunt: Habeamus conſilium, forſan illum deponimus ab Epiſcopatu, & de noſtris oris eijciamus, ac vnus ex nobis hunc honorem recipiat. Conſilio hoc iniquo inito, falſiloqui accuſauerunt eum, ſcorticinium cum meretricibus commiſiſſe; conſummati ſunt multi, in hoc malum cõſentientes, dataq; pecunia, quadam nocte ex eis quidam clam eius cubiculum introgreſſi, veſtimenta cum calceamentis, quibus ſanctus vir indui ſolebat, tulentes veſtimenta mulierum ibidem, calceamenta ſimiliter poſuerunt. Lect. 4. Ille, vt erat ſolitus, cum hora (B) euigilandi ſurgeret, ſimplex vt erat, & rectus in omnibus, præ ſollicitudine orationis, veſtem, quam inuenit, ſe induit, atq; calceatus mulieris calceamento, ad orationem perrexit: loquente prophetico (C.) ſermone Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur; dies annorum noſtrorum in ipſis

A

B

C

ipſis ſeptuaginta annis;ſi autem in potentatibus octoginta annis,& plurimum eorum labor,& dolor. Hora autem matutinali adhibita, ſicut mos eſt, populi, cleriq; congregati celebrauerunt officium. Lect. 5. Quo expleto, dieque luceſcente, vt ſoliti erant populi reſederunt omnes ante fores Epiſcopi Capuani: at illi mali proditores, Iudæ ſimiles, caneſq; garruli, per rapida ora talibus prauis reſonabant ſermonibus: Audite populi ſcelus tam peſſimum, quod iniquus iſte noſter Epiſcopus operatur quotidie, nobis enim prædicat caſtitatẽ, ipſe verò ſcorticinium cum meretricibus agit: prædicat humilitatem, ille ſe in ſuperbiam erigit: dicit ſe mulieres odire,& diebus ac noctibus cum ipſis manet,comedit, & bibit: nam ſi nobis non creditis,oculis veſtris aſpicite,operibuſq, credite, quibus calceamentis, & veſtibus induitur. Lect. 6. Audiens hoc vir Domini Vitalianus ingemuit;confortatus tamen in Domino,facto ſilẽtio,ait ad illos: Audite filij:verum dicitis;quia ego peccator ſum, & multa mala Deo meo egi: vnde & iſtud ſuper me induxiſtis: hoc tamen ab alijs pati debui, non à vobis, qui filij,& hæredes eſtis Eccleſiæ:& aſpiciens in cœlum dixit:Tu Deus,qui cœlum, terramq, tua gubernas dextera,qui ſcrutaris renes,& corda; & ſcis omnia,antequam fiant,deſtrue hoc falſiloquiũ: valeq; dicens, abijt. Lect. 7. Inſidiatores verò illi, ſicut à fidelibus viris Deum timentibus audiuimus, perrexerunt poſt illum, & com-
D prehendentes,miſerunt in corium (D) & inſuentes iactauerunt in mare. Remigante verò illo,Dei prouidentia peruenit in portum Romanum ſanus,& integer. Ab illo etiam die vſq; ſex menſes, & dies viginti expletos, quo vir ſanctus inde eiectus eſt,ibi non pluit,tantaq; illis ſterilitas aduenit,vt ibi nulla ſeges,vel herba gigneret. Lect. 8. Cum iam itaq; tanto tempore in vrbe illa, vel in eius Regionibus non plueret,cognouerunt, quòd propter hominem

Dei

Dei hæc aduenifſent eis. Contriſtati valdè, & contriti vehemēter, vbi eſſet vir Dei, requiſierunt, ad eiuſq; pedes prouoluti, veniam poſtularunt. Ad hæc ſanctiſſimus vir Dei Vitalianus, vt erat pius, & miſericors, non illis malum pro malo reddidit, ſed vt vidit totis præcordijs pœnitere, egit gratias Deo, qui conſolatus eſt ſanctos ſuos in magnificentia, & corripit malos, vt conuertantur in bonum, ſurgenſq; abijt cum eis. Cumq; peruenifſet ad Vrbem, eius oratione venit pluuia ſuper terram. Lect. 9. Deinde (E) per reuelationem ei Dominus oſtendere dignatus eſt locum, vbi iam tempus vitæ ſuæ finem expleret, & reciperet mercedem; quam per multos annos fuerat operatus. Qui ſurgens inde, venit in montem, qui vulgò ab incolis Virgilij dicitur, vbi ei à Domino fuerat reuelatum, in quo paucis temporibus adhibitis, ſanctæ Dei Genitricis Mariæ (F) Eccleſiam conſtruxit; quo in loco requieuit (G) in pace XVII. Kalen. Auguſti. E F G

## NOTATIONES.

NVnquam defecit in aduerſis. *Senſus eſt Diabolus inuidus nunquam defecit, ideſt nunquā deſtitit, nunquam ceſſauit in aduerſis, ideſt aduerſari, & inſidias tendere generi humano nunquam defecit, ideſt genus humanum ſemper habuit in aduerſis Diabolum, qui, etſi in abditis eius, ideſt Vitaliani, multa perpetrauit; nempè in ſecretis locis, & in ipſis conſcientiæ penetralibus multa contra Vitalianum molitus eſt, quæ Sanctus vicit; tamen voluit & hoc quaſi publicum bellum excitare.* A

Hora euigilandi. *Mos noctu recitandi nocturnum officium in Eccleſia, à Capua veteri traductus eſt ad nouam, vt ex Rituali antiquo apparet, diſponente de officio hebdomadæ ſanctæ: Qui mos manebat etiam tempore Archiepi-* B

ſcopi

Digitized by Google

*ſcopi Athanaſij, ideſt circa annum* 1466. *Illo enim Archiepiſcopo, conſtitutum eſt contra filios iniquitatis, qui Canonicos à proprijs domibus ad Eccleſiã noctu venieniẽtes ad diuinum officium ſpoliabant, vel quouis modo moleſtia afficiebant; conſtitutum eſt, inquam, vt in ſententiã excommunicationis incurrerent.*

C Loquente prophetico ſermone. *Verba Pſalmi* 89. *ad literam de breuitate humanæ vitæ, ac de inani hominum labore exponuntur: illa tamen iuxta literalem Lyrani, & quam Genebrardus aliquorum non improbat, expoſitionem, admodum aptè ab Auctore attributa ſunt Vitaliano, quaſi Vitalianus dicat:* Anni noſtri, *ideſt homines in annis noſtris viuentes,* meditantur ſicut Aranea. *Et quid Aranea meditatur? profectò nihil aliud, quàm laqueum, & rete ordiri, vt animalcula innocua venetur, & interimat: opus tamen, quod orditur, validè fragile, & vanum eſt, interdum etiam ipſi texenti perniciosſum: ita planè hac in ætate iniqui, fraudes, inſidiaſq; meditantur; & dies annorum noſtrorum ſunt in ipſis ſeptuaginta anni, ideſt ætas noſtra peruenit ad ſeptuageſimum annum, & ætatis adeo venarandæ ratio non habetur.*

D Corium. *Expone coriaceum ſaccum, tales enim ſacci tunc erant in vſu. Ita Epiſcopus Vici Aequenſis* Paulus Regius, *qui Sancti Vitaliani vitam* Italicè *ſcripſit.*

E Deinde per reuelationem. *Poſtquam Sanctus Capuam peruenit, ac pluuiam impetrauit, paucòs dies ibi moratus eſt; ſponte Epiſcopatui ceſſit, & ſeceſſit in locum à tergo montis, in quo Caſerta nunc eſt: vocabatur locus ille Malianum, nunc ab ipſo Sancto Vitaliano nuncupatur. Ibi Sãctus cum non potuiſſet incognitus commorari, alioq; proficiſci cogitaſſet; Dominus per reuelationem oſtendit ei locum in monte Virgilij, & ipſe illuc ſeſe recepit.*

F Mariæ. *Inde qui mons Virgilij appellabatur, mons Virginis appellari cœpit.*

Re-

G

Requieuit. Vitalianus vita functus, in dies maiora mira-
cula operabatur, ideoque ſepulchrum eius ſumma venera-
tione frequentabatur: at cum impij Saraceni Campaniam,
& reliquas Prouincias occupaſſent, vaſtatis oppidis, diſper-
ſisque populis, non ſolùm ſepulchri veneratio, ſed & ſe-
pulchri notitia penitus excidit. Pòſt multos annos, paſto-
res quidam diſco ludentes, pro diſco, magno lapide vte-
bantur, quem recedentes, abiectum relinquebant. Pau-
cis deinde poſt diebus, ſæpèſæpius obſeruarunt lapidem
illum amotum è loco, in quem, veſpere diſcedentes, reiece-
rant, abiectumque reliquerant. Admirantur, de cauſa in-
ter ſe perquirunt: & ecce ſinguli in ſomnis admonentur à
S. Vitaliano, illum eſſe ſui ſepulchri locum, in quo toties di-
ſcum inuenerant. Re ad Epiſcopum loci delata, reſoditur ter-
ra ſepulchrum inuenitur, corpus cum ingenti lætitia excipi-
tur, & in Monaſterium Montis Virginis tandem transfer-
tur. Calixtus Papa II. cum hàc iter faceret, S. Vitaliani
corpus venerari voluit, & cum Catanzari in Calabria de-
geret, illud illuc aſportari mandauit, & condidit in Eccle-
ſia, quam illa in Ciuitate conſecrauit, ibique hac etiam
ætate ſumma celebritate, ac veneratione colitur.

Hactenus ex vita ab Epiſcopo Vici Aequenſis Italicè
ſcripta. Verùm, vt Dominus Marius Vipera Archidiaco-
nus Beneuentanus Domino Mutio Veſpeſiano Vicario Ca-
puæ, Domino & Patrono meo ſingulari, mea cauſa ſcriben-
ti, reſcripſit: Beneuenti in Monaſterio S. Victorini aſſerue-
tur Codex Longobardus, habens hæc verba: Beatus Pater
Ioannes Antiſtes Beneuentanus corpus S. Vitaliani Epi-
ſcopi Capuani à collabente Eccleſia Montis Virginis Be-
neuentum tranſtulit, & in Eccleſia Beatæ Mariæ Virginis
cum multis alijs Sanctis locauit. Hæc in illo Codice. Ca-
terum ille Beatus Ioannes, vt habent Beneuentana Monu-
menta, ſucceſſit S. Barbato, qui S. Barbatus obijt inchoato

F anno

*anno 682. ipſe autem B. Ioannes obijt anno 716. Hinc oportet aſſerere S. Vitalianum vel proximè anteceſſiſſe, vel proximè ſucceſſiſſe S. Decoroſo Epiſcop. Capuano, qui coæuus fuit S. Barbato. Hinc quoque colligimus corpus S. Vitaliani, quod à Papa Calixto hac iter faciente dicitur Beneuento Catanzarum fuiſſe tranſlatum; fuiſſe quidem eò tranſlatum anno 1120. quo ſcilicet anno Calixtus Beneuenti fuit.*

## DE S. RVFINO EPISCOPO CAPVANO 26. *Auguſti.*

MArtyrol. Rom. VII. Kalend. Septembris Capuæ Sancti Rufini Epiſcopi, & Confeſſoris. *Breu. in Kal.* VII. kal. Septembris Rufini Capuani Epiſcopi, & confeſs. dupl. *In Officio.* Oratio, Propitiare, quæſumus Domine, nobis famulis tuis per huius Sancti Rufini confeſſoris tui, atque Pontificis, qui in præſenti requieſcit Eccleſia, merita glorioſa, vt eius pia interceſsione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis. per Dominum, &c. Lect. 1. Ad laudem, & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ad ædificationem veſtram, dilectiſsimi Fratres, miraculum, quod Dominus per Beatum Rufinum confeſſorem ſuum operari dignatus eſt in hodierna eius tanta ſolemnitate, breui narratione, qualiter geſtum ſit, intimare curamus: Inter hæc ſi quis eius vitam, qualis fuerit, noſcere cupit, huius
A opuſculi fida narratio ei præbebit indicium. Lect. 2. (A) Temporibus Iuſtiniani minoris Imperatoris, filij Conſtantini, ſub Sergio Papa, atque Grimoaldo Duce Longobardorum, erat quidam religioſus valde, nomine Decoroſus, in ſede Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopus: Huius ſiquidem tempore, cum religioſè à Longobardorum gente Cœmeteria Sanctorum excolerentur; contigit, vt in Martyrologio ſeriatim nomina Sanctorum exquirerent: Et inuenta ſunt

ta ſunt hoc modo duorum Sanctorum nomina ſcripta: (B) B
Octauo kalend. Septemb. natales S. Rufini confeſſoris:
Et vno intermiſſo die, quod eſt ſexto kal. Septemb. natales
S. Rufi martyris. Lect. 3. Huius verò S. Rufini prædictus
dies, cum omnibus notus fuiſſet, locus tamen, vbi ſacrum
corpus eius requieſceret, ignorabatur. Cœpit tandem
Epiſcopus ſuo cum clero à (C) ſenibus annorum locum C
inquirere: Quo inuento, in monumento ſcilicet iuxta
(D) Baſilicā Beati Petri (E) Apoſtoli, coadunata Epiſco- D
pus vndique plebe, cum hymnis, & laudibus illo è loco E
Sancti reliquias auferens, magna cum lætitia in Eccleſia
Sanctorū martyrum Stephani, & Agathæ condidit. Lect.
4. Sacro denique opere peracto, cum ob honorem, &
reuerentiam tanti corporis Eccleſia ipſa ab omnibus fre-
quentiſſimè excoleretur, contigit eodem anno, vt cuiuſ-
dam nobilis Audoaldi filius, qui adhuc in tenera lactaba-
tur infantia, febre valida penè moreretur, in tantum vt
membra omnia ſuo ab officio penitus defeciſſe videren-
tur: Quem, cum parentes illius in ſupremo exitu iam pro-
ximum intelligerent, mox, vt credo, diuina inſpiratione
admoniti, ad prædictam Eccleſiam adduxerunt. Lect. 5.
Cumque ante fores Eccleſiæ vlulantes ad funus eius per-
ſtreperent, venerabilis Epiſcopus inſolito tantorum lamē-
tantium clamore exterritus, continuò cœptas deſerens
preces, exiuit ad illos, & cur tantos fletus haberent, mode-
ſtè inquirere cœpit: Qui dixerunt ei: Domine Epiſcope,
ecce infantulus iſte moritur nobis. His dictis, mater pueri
valdè eiulans, ſe ad genua Epiſcopi, quaſi aliena mente
proripuit dicens: Domine indica nobis locum, vbi Beatus
Rufus quieſcit. Lect. 6. Attonitus autem Epiſcopus, &
illius intelligens imi cordis dolorem, totus infremuit, &
tanto dolori compatiens, ait illi: Non eſt hic ò mulier cor-
pus illius, quem quæris, ſed Beati Rufini confeſſoris. Ve-

F 3 rum

F ruth quia ipſum nominare (F) voluiſti ad auxilium tuum, veni nunc, & toto nixu illius implorare miſericordiam ad tumulum eius nè deſinas. Epiſcopus autem, quamuis intercidiſſe ad horam orationem videretur; tamen omninò quam tenuit non deſerens, ingeminauit potius pro ſe, & infantulo orationem conſtanter ad Dominum. Lect. 7. Tunc mater pueri ante ſacrum tumulum S. Rufini poſuit filij ſui corpus, quod exanimi ſimile iacebat, cum lachrymis, dicens. O Beatiſsime Rufine confeſsor Domini digne ſentiam in puero iſto miſericordiam tuam, quam ſitienter euenire peto. Et hæc dicens, ſola cum puero ſuperſtite,
G remanſit. Deinde Epiſcopus clauſit (G) Regiolas, quæ erant ante altare: & exiens, ſedebat ante fores Eccleſiæ, expectans diuinam miſericordiam in puero ſuperuenturam. Lect. 8. Pietas autem Domini ſtatim in puero ſubſequuta eſt. Nam media vix aberat hora, & ecce occurrens mater infanti, quæ in parte ſteterat orans, cum cordis lætitia, ad Regiolas, quas Epiſcopus clauſerat, vidit infantem alacrem, huc illucque circa altare deambulantem, quem apprehendit cum gaudio: Deo, & Sancto Rufino gratias agens, & exiuit ad Epiſcopum, in vlnis filium baiulans lætum, & ſanum: quaſi nunquam malo alicui deditus eſſet. Lect. 9. Ad hanc famam fit concurſus populi ad tumulum Beati confeſſoris Rufini, & ingenti cum gemitu plura vota perſoluunt: luminaria, ſeu quæque poterant, ſuppliciter certatim offerre curabant. Suum ad adiutorium illum implorantes, larga eius beneficia percipiebant: quæ vſque hodie dare non ceſſat, ſi non deſit fides poſcentium: præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

NO-

Digitized by Google

# NOTATIONES.

TEmporibus. *In Decoroſo dictum eſt de horum temporum conuenientia. Cæterùm, quia tempore S. Decoroſi circa ann.* 780. *ſepulchrum, & dies S. Rufini ignorabatur, videtur dicendum S. Rufinum antiquioribus vixiſſe temporibus. Nam ſi S. Rufinus vno ſæculo, vel parum amplius à S. Decoroſo diſtaſſet, ſepulchrum eius potuiſſet eſſe cognitum. Sanè in Catalogo Capuanorum Antiſtitum ſatis commodè ante S. Priſcum iuniorem, ideſt ante ann.* 440. *& circa ipſum ann.* 400. *collocari poteſt.* A B

VIII. kalend. Septembris. *Nos feſtum S. Rufini celebramus* VII. *kalend. Septembris, ideſt Auguſti die vigeſimo ſexto; & tamen in antiquiſſimo illo Martyrologio Capuano, cuius hic Breuiarium meminit, Natales* VIII. *kal. erant inſcripti; quo etiam die notatos legi in Martyrologio Monialium Sancti Ioannis. Sine dubio, quia nos* VIII. *Kal. ideſt Auguſti vigeſimo quinto, Feſtum Sancti Bartholomæi more Romano celebramus, ideo in diem alterum S. Rufini tranſlata celebritas eſt.* C

A ſenibus. *Senum relationes ſpernendæ non ſunt; quarè, vt habet antiquorum firma relatio, credimus S. Rufini corpus in Cathedrali conditum eſſe ſubtus altare, quod eſt à meridie, in capite Alæ: Fuit, quæ non multis ab hinc annis eſt intermiſſa, conſuetudo, vt in feſto huius Sancti, cantatis Veſperis, Præſbyter hebdomadarius, pluuiali indutus, ad illud altare accederet, & in eo cantaret orationem* Propitiare.

Iuxta Baſilicam. *Nè putes in prophano loco S. Rufini corpus inuentum; ſed expone, iuxta Baſilicam, ideſt in cœmeterio, vel atrio, Baſilicæ cohærenti: antiquitus enim nemo, magna quamuis dignitate, vel ſanctitate fulgeret,* D

*intra*

Digitized by Google

*intra Baſilicam deponebatur, ſed ſummo erat honori ante fores in atrio ſepeliri.*

E Petri Apoſtoli. *Hæc eſt Eccleſia, quæ dicitur* S. Petri *ad corpus: nimirum in corpore, ideſt in meditullio veteris Capuæ. Ego aliquando cenſui Eccleſiam* S. Petri *ad corpus fuiſſe Cōſtantinianā, ideſt Eccleſiam à Conſtantino magno Capuæ ad honorem* SS. *Apoſtolorum ædificatam. Illis mouebar argumentis. Quia in hac vita* S. Ruſini *Aedes* S. *Stephani nominatur Eccleſia, ſed* Aedes S. Petri *nominatur Baſilica, ideſt regium opus. Et quia cum prope Baſilicam* S. Petri *inuentum ſit corpus* S. Ruſini*, videbatur ibi primùm fuiſſe Epiſcopium, vbi Epiſcopi ſepeliebantur. Accedebat ad hæc, quòd in Actis tranſlationis* S. Stephani *apud Natalem, &* M. S. *apud Bartholomæum Chioccarellum Neapolitanum I. C. habetur, poſt obtentas S. Stephani reliquias, ædificatam fuiſſe Eccleſiam ad eius honorem: igitur antequam extaret Eccleſia S. Stephani, extabat Eccleſia S. Petri; qua excepta, non apparet, quæ iudicari poſſit Conſtantiniana. Nunc verò poſt impreſſum* Herempertū*, opera, ac ſtudio Antonij* Caraccioli *ex ordine* Cleric. Regul. *Præsbyteri, qui cum ſit omnigena eruditione, & maximè ſacra præſignis, vir eſt vbique notiſſimus; poſt impreſſum (inquam)* Herempertum*, cogor mutare ſententiam.* Herempertus *enim loquens de Arechi adoleſcente, deinde* Prin*cipe Longobardorum, habet illam Eccleſiam, quam Conſtantinus magnus SS. Apoſtolis ædificauit, dedicauitque, deinde illam ipſam à S. Germano Epiſcopo, S. Stephani vocatam eſſe. Verba ſunt:* Quadam quippè die dum cum ſuo Principe (*Luitprando*) in Eccleſia B. Protomartyris Stephani, quæ conſtructa eſt in veterrima vrbe Capuæ ab Imperatore Helenæ filio Conſtantino, vtque in honorem omnium Apoſtolorum dedicata, licèt poſtea à Beatiſſimo Germano eiuſdem vrbis Epiſcopo, ob collatas ab

Impera-

Digitized by Google

Imperatore reliquias B. Protomartyris Stephani, necnon & B. Agathæ Virginis, proindè ea in honorem Protomartyris Stephani vocata eſt: dum, vt diximus, in eandem Eccleſiam Longobardorum more accinti pugionibus altrinſecus introiſſent, &c. Hac Herempertus. *Neque quis putet illum ignoraſſe Eccleſiam S. Petri diſtinctam ab Eccleſia S.Stephani: ille enim ſcribens diuiſionem Capuani Epiſcopatus, ipſo viuente factam à Papa Ioanne VIII. de Eccleſia S. Stephani, & de Eccleſia S. Petri diſtinctè loquitur. Igitur Conſtantiniana non fuit Eccleſia quæ dicitur S.Petri ad corpus, ſed quæ dicitur S. Stephani in Capua veteri. At nunc ad argumenta quid reſpondebimus? Profectò erant illa probabilia: nunc verò cum habeamus certum Auctorem, qui expreſſis verbis rem ipſam exponit, huic expreſſè auctoritati illa derogare non debent. Quidnam? in hac vita S. Ruſini Aedes S. Petri nominatur Baſilica: ita. Sed quid prohibet nè dicamus Aedem S. Petri à ſcriptore huius vitæ dictam eſſe Baſilicam, more Romano: vel Baſilicam prophonam meditullio Capuæ non dum Chriſtianæ, deindè in Aedem S.Petri conuerſam? Vel ſcriptorem huius vitæ nihil aliud voluiſſe, quàm Aedem ſacram diuerſis nominibus appellare? Quid amplius? In Baſilica S. Petri inuentum eſt corpus S. Ruſini Epiſcopi: ita, ſed nouum non eſt Epiſcopos extra Epiſcopia ſepeliri. S. Gebehardus Conſtantienſis Epiſcopus in templo, quod viuens condiderat, deponi voluit an. 996. & S. Hilarius Epiſcopus Arelatenſis in Eccleſiæ S.Honorati extra muros Arelatæ in Cappella ſubterranea depoſitus eſt an. 445. & S. Symachus Epiſcopus Capuæ in S.Mariæ maioris Eccleſiæ requieſcit. Quid tandem? Opponuntur Acta Tranſlationis S. Stephani: ſed illorum nulla eſt auctoritas, ſunt enim apocripha, & plena multis erroribus, vt infra in 4. parte demonſtrabimus.* F

Voluiſti. *Senſus eſt, voluntas, & intentio tua fuit nominandi*

*nandi Sanctum; cuius reliquiæ nuper inuentæ ſunt: credis illum appellari Rufum, at non Rufus, ſed Rufinus vocatur nomen eius.*

G Regiolas. *Regiola diminutiuum à Regia: Regia verò abſolutè vſurpata ſignificauit olim primariam portam Templi, Monaſterij, triclinij, & ſimilium. De primaria porta Baſilicæ S. Petri Paulinus Nolanus Epiſcopus in Epiſtola 33. quæ eſt ad Alethium.* Videre enim mihi videor tota illa religioſa miſerandæ plebis examina, illos pietatis diuinæ alumnos, tantis influere penitus agminibus in ampliſſimam glorioſi Petri Baſilicam per illam Venerabilem REGIAM cœrulea eminus fronte ridentem, &c. *& annotatio Ros Vueydi in Paulinum pluribus docet. Quare Regiolæ erant Oſtiola in cancellis circum Altare: hinc in Sancto Decoroſo dicitur:* & clauſis Ianuis, quæ ante ipſum conſiſtebant Altare, &c. *vna eademque res hic, & ibi exponitur: hic Regiolas, ibi Ianuas nominat Breuiarium.*

## DE S. RVFO EPISCOPO, ET MART.

### 27. *Augusti.*

D *Martyrol. Rom.* Sexto (D) Kalend. Septemb. Capuæ in
B Campania Sācti Rufi Epiſcopi, (B) & Martyr. (C) qui
C cum eſſet patriciæ dignitatis, à Beato Apollinare Sancti
A Petri diſcipulo cum vniuerſa familia baptizatus eſt. (A)

## NOTATIONES.

A Baptizatus eſt. *Rem geſtam paucis comprehendit Petrus Natal. in catal. lib. 6. cap. 128. & lib. 7. cap. 119. ſed fuſiùs ſcripta habentur in Actis Sancti Apollinaris apud Surium: & in* Hiſtoria *Chriſtiana Laurentij, de la Barre.*

Digitized by Google

*Barre: Verba ſunt.* Eodem tempore Rufus Patricius ex conſule Ducatum agebat Rauennæ, cuius vnica filia infirmabatur: indicatum eſt ei de nomine Apollinaris Sacerdotis, quem mox iuſſit ad domum ſuam venire, vt viſitaret filiam eius: At vbi ingreſſus eſt domum cum clericis ſuis, ſtatim defuncta eſt puella: cumq; lamentationes audiuiſſet Apollinaris, cognouit, quia tranſiiſſet: deſcendenſque increpabat eum Rufus Patricius, cum lachrymis dicens. Atque vtinam domum meam non introiſſet: Dij enim magni indignati noluerunt filiam meam ſaluare. Tu verò in quo poteris, cura eam (*Curare potius legendum eſt: vel ironicè dictum eſt* Cura) Et omnes qui aderant, flebant cum eo. Cui Beatiſſimus Apollinaris dixit: fiducialiter age Patrici, & iura mihi per Saluatorem ſuum, & modo cognoſces virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Rufus Patricius reſpondit: Scio quoniam mortua eſt puella, & non viuit: tamen ſi videro eam ſtantem, & loquentem, laudabo virtutem Dei tui, & non prohibebo ſequi Saluatorem ſuum. Tunc cum vniuerſa multitudine flente, ipſe fiduciam habens in Ieſum, acceſſit, & tetigit puellam, dicens: Domine Ieſu Chriſte Deus meus, qui magiſtro meo Petro Apoſtolo tuo dediſti locum impetrãdi apud te, quæ deſiderat; tu ſuſcita hanc puellam, quia tua eſt creatura, & non eſt alius Deus præter te; & reſpiciens ad puellam, ait: quid iaces? ſurge, confitere Creatorem tuum: quæ ſtatim ſurrexit, & loquebatur, vociferans, & dicens. Magnus Deus, quem prædicat Apollinaris famulus eius, & nullus eſt alius præter eum. Factum eſt igitur in illa hora gaudium magnum coram omnibus, & coram Chriſtianis, quia magnificatum eſt nomen Domini Ieſu Chriſti: Baptizata eſt puella cum matre, & familia promiſcui ſexus trecenti viginti quatuor; ſed & multi alij ex paganis crediderunt Chriſto. Rufus verò Patricius, timens Cœſarem,



Digitized by Google

occultè diligebat Beatum Apollinarem, & miniſtrabat ei. Filia verò eius conſecrata eſt Chriſto, & permanſit Virgo. Nunciatum eſt hoc Cæſari à paganis, quòd quidam vir veniens ab Antiochia, magicis artibus, & incantationibus

H nomen Ieſu (H)Hebræi introduxiſſet in vrbem Rauenam, & magna multitudo obediret illi, ac etiam Domus Rufi Patricij. Cui Cæſar mittens ſucceſſorem, ſcripſit ad Vicarium Præfecturæ, vt præſumptorem huiuſmodi aut Dijs inclinaret, aut longè in exilium mitteret. Accerſiuit itaq; Meſſalinus Vicarius, &c.

B Epiſcopi. *Sanctus Ruſus relicta Rauenna, Romam venit, & inde Capuam, & Capuæ ordinatur eſt Epiſcopus, vt Martyrol. hic habet: Maurolycus, & Galeſinus, & Breuiar. Dominicanum, quod in fine lectionis habet.* Rufus verò poſtmodum factus eſt Epiſcopus Capuæ in Campania, pro Chriſto Martyr occubuit. *Quoto autem anno ſuſceperit Epiſcopatum, certò mihi non conſtat, ſed credo annum circiter ſexageſimum, & argumentor ita: Sanctus Apollinaris (vt legitur in citatis actis) gubernauit Eccleſiam ſuam annos viginti nouem, menſem vnum, dies quatuor, paſſuſque Martyrium eſt ſub Veſpeſiano Cæſare die decimo Kal. Auguſti, & vt ſcribunt Rauennates, fuit annus ſeptuageſimus quintus; Ferr. in Catal. 23. Iulij. Igitur Sanctus Apollinaris ſuſcepit Epiſcopatũ ab anno quadrageſimo ſexto, menſe Iunio: Epiſcopatu ſuſcepto poſt duodecim annos, multa tormenta paſſus, per ſex menſes apud Viduam Chriſtianam delituit, & inde venit in ciuitatem Claſſis, inde ad Aemiliam Prouinciam ſanto Euangelio imbuendam, inde regreſſus Rauennam, à Ruſo Patricio, & nouo Duce fuit accitus, & cum Ruſo egit, vt diximus; Natal. lib. 6. cap. 128. Igitur conuerſio S. Ruſi, vt minimum arbitrari poſſumus contigit quatuordecim annis poſt ordinationem S. Apollinaris; quia ergo Ruſus annum circiter ſexageſimum baptizatus*

*tus eſt*, Paulo poſt (*inquit Galeſinus*) Capuæ Epiſcopus conſecratus eſt: *& quia Nerò Cæſar fuit, qui Ruſum à Ducatu Rauennate depoſuit, & eo Imperatore liberum erat Iudæis Roma iam expulſis, reuerti Romam, ideò non temerè coniectamus à S. Petro tum Romæ degente, Ruſum ordinatum Epiſcopum, & Capuæ datum.* B

Martyris. S. *Ruſi Martyrium contigit ſub Nerone. Ita Maurolycus: Galeſinus etiam hiſce verbis.* Capuæ S. Ruſi Epiſcopi, & Martyr. Hic Patricius, & exconſul Militiæ Rauennatis Dux, eo miraculo obſtupefactus, quòd ipſius filiam diuina prece ad vitam Apollinaris reuocaſſet, ſtatim vnà cum vniuerſa familia, & quadrigentis ferè hominibus Chriſti Domini fidem amplexus, ab eo baptizatur. Paulò poſt Capuæ Epiſcopus conſecratus, in Neroniana perſequutione, ob religionem à Meſſalino interficitur. *Natalis quoq;* Lect. 7. Dum autem Rufus veniſſet Capuam, tentus à Vicario præfecti prætorio Meſſalino, nolenſque ſacrificare, decollatus eſt ſexto kalend. Septemb. *Fortaſſe hic Meſſalinus eſt illemet, qui Sanctum Apollinarem poſt conuerſionem* S. *Ruſi tormentis affecit, & in exilium miſit: Non enim eſt improbabile poſt aliquot annos Campaniam illi à Nerone fuiſſe commiſſam, & ab illo Ruſum, cuius ſibi religio Rauennæ cognita fuerat, capite plexum eſſe.* C D E

Sexto kalen. Septembris. *Genebrardus in Kalendario latino menſe Iulio die 23. habet*, Apollinaris Epiſcopi Rauennatis Martyris, *& die 27.* Rufi martyris Capuæ, diſcipuli Apollinaris. *At cætera Martyrologia & kalendaria cum S. Romano martyrol. conſentiunt & huius Sancti Natalem non. 27. Iulij, ſed 27. Auguſti commemorant:* Breuiarium *noſtrum Capuanum in vita S. Ruſi de antiquiſſimo Capuano martyrologio meminit, in quo erant hæc verba.* Sexto kalend. Septembris natales Sancti Rufi Martyris, *& quia Ruſus abſque ſocio nominatur, Ruſus hic antiquior*



Digitized by Google

*Epiſcopus, & martyr eſt. Cæterùm de ipſo nec in Kalend. Breuiarij, nec in Officio verbum vllum. Neq; mirum quia, vt ſæpè dictum eſt, Eccleſia Capuana propter varia tempora, plurium Sanctorum memoriam perdidit.*

*Ex his quæ hactenus dicta ſunt, erroris arguitur ſcriptor ille, è quo Metaphraſtes exſcripſit.* Habet ille S. Ruſum *fuiſſe vnum ex illis, qui Antiochia Romam cum* S. Petro *venerunt: & ab ipſo* B *Petro ordinatum Epiſcopum Capuæ; si* S. Ruſus *noſter patria* Romanus *eſt, vel Capuanus; si dignitate Patricius, si conuerſione diſcipulus* S. *Apollinaris, quonam pacto* S. *Petri comes? Ego credo ab illo ſcriptore duos Ruſos conflatos eſſe in vnum. Fuit quidam Ruſus diſcipulus Apoſtolorum, de quo Apoſtolus ad Rom. inquit.* Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius matrem meã: *& hæc ſalutatio non poteſt conuenire* Ruſo *noſtro, quem* S. *Apollinaris baptizauit: tum quia mater* S. *Ruſi ab Apoſtolo dicitur mater ſua (vt interpertantur) propter obſequia, & beneficia in ipſum ab illa conlata, ſed extra Romã, vt* S. *Thomas aduertit, & optimè: nam illa Epiſtola ſcripta fuit anno* 58 *quando* Paulus *ad Vrbem non dum acceſſerat. Tum quia illo an.* 58. *quando ſcripta fuit Epiſtola,* S. *Ruſus noſter nondum baptizatus erat, vt ſupra monſtrauimus. Tum quia* Ruſus *diſcipulus Apoſtolorum (vt inquit* Dorotheus *in ſynopſi) fuit Thebarum Epiſcopus: tum quia* Martyrol. Rom. *die vigeſima prima* Nouemb. *agit de* Ruſo *diſcipulo, quem Apoſtolus nominat, & ſalutat.* Igitur *auctor ille confundit perſonas, & nos diſcernendo, dicimus fuiſſe duos* Ruſos, *quorum alter fuit Sancti* Petri *comes, & alter à* S. Petro *ordinatus Epiſcopus Capuæ.*

DE

# DE SS. RVFO, CARPONIO MM. CAPVANIS.

M*Artyrol. Rom.* Sexto kalend. Septemb. ibidem, *ideſt Capua*, Sanctorum Martyrum Rufi, & Carponij, qui ſub Diocletiano, & Maxiniano paſſi ſunt. *Breu. Cap. in Kalend.* VI. kalend. Septembris Rufi, & Carponii martyrum dupl. *& in Officio* (A) Propitiare, vt in feſto Sanctorum Quarti, & Quinti. Lect. 1. ſub Diocletiano Imperatore, & Maximiano (B) Cæſare, cum eſſet perſequutio Chriſtianorum in Prouincia Campaniæ (C) in templo (D) Capitolij Capuæ; erat Diaconus Rufus nomine, & pulcher aſpectu, vir totius ſanctitatis, qui pro ſeditionibus paganorum non facilè in publico videbatur, ſed cum multis Chriſtianis erat abſconditus in cryptis (E) abditiſſimis. Ad quẽ etiam Carponius nomine, dignitate ſanctiſsimus, qui Medicinæ artis peritia imbutus erat, à Sancto ſpiritu edoctus, quotidianis diebus occurrebat Beato Rufo, & ſe ſuis veſtigijs proſternens, oſculabatur. Lect. 2. Hic (F) baptizatus fuerat à S. Syluestro, Qui cum interrogatus fuiſſet ab eo, quod eſt nomen tibi? Reſpondit Calpurnius dicor. Cui dixit Sanctus Syluester. Quia gratiam Chriſti percepiſti, (G) Carponius erit tibi nomen. Eo tempore Sibylla (H) perſequutrix Chriſtianorum dominabatur Romæ, & dum ibi perſequeretur Sanctos Dei, Beatus Carponius fugiens exinde, venit in Campaniam in ciuitatẽ Capuæ. Hic audiens vitam beatiſsimi martyris Rufi, inquiſiuit ab hominibus ciuitatis de eo, & didicit in quo loco abſconditus erat. Lect. 3. Et ſicut ſuperiùs ſupradictum eſt, à Sancto Carponio beatus Rufus quotidie viſitabatur. Cum autem Sybillæ furor exardeſceret per vniuerſas Prouincias, facta eſt ſeditio paganorum populi de nomine Rufi, & abierunt ad (I) Proconſulem Campaniæ,

A B C D E F G H I

paniæ, nomine Caſſellianum, clamantes, & dicentes: Ecce ſunt hic homines imperialia iuſſa contemnentes; & neſcimus quem Chriſtum colunt abſcondité: quod ſi illis conceſſum fuerit, peribit religio, & Dij noſtri pro nihilo computantur. Audiens hæc Proconſul, iuſſit eos capi, & in ergaſtulo mancipari. Lect. 4. Et ſedens pro tribunali, iuſſit beatum Rufum cum beato Carponio ſibi præſentari, & interrogauit eos, dicens: Cuius religionis eſtis? Reſponderunt; Chriſtiani ſumus, & Chriſtum confitemur. Ait Iudex beato Rufo; cui militas, vel quo honore fungeris? Sanctus Rufus reſpondit: Diaconus ſum. Iudex ait, cuius ciuitatis? Beatus Rufus dixit, Capuanæ Eccleſiæ: dicit Proconſul Beato Carponio; Nunquid, & tu Chriſtianus es? at ille; Et ego ipſum confiteor Chriſtum filium Dei viui, pro cuius amore paratus ſum mori. Lect. 5. Cum hæc Proconſul audiſſet, mox direxit literas Imperatori (K) Diocletiano, indicans ſe homines inueniſſe Chriſto credentes. Tunc Imperator ſic mandauit Proconſuli. Audio quia ex magno genere nati ſunt, & ideo ad nos eos dirige, & nos eos diligenter examinabimus. Hoc audiens Proconſul, tranſmiſit eos in vrbem Romam, qui iuſſu Imperatoris in carcerem recipiuntur. Lect. 6. Poſt tertium autem diem cum adducti fuiſſent coram Imperatore, dixit ad eos Imperator: Accedite, & ſacrificate Dijs noſtris, & abſcedite illæſi. Tunc Beatus Rufus cũ Carponio dixerunt: Nos Dijs tuis nunquam ſacrificamus, habemus enim Regem cœlorum, cui ſacrificium laudis nos ipſos offerimus. Hæc audiens Imperator, iuſſit eos plumbatis cædi, deinde iuſſit conſiliario ſuo, vt eos remitteret in Campaniam ad Proconſulem, dicens: Non poſſum occidere propter Sibyllam; quia Carponius notiſſimus erat ei. Lect. 7. Et mandauit Iudici iuſſionem, vt eos ipſe debeat audire; vel occidere ſi perſeuerauerint in illũ

K

Ieſum

Digitized by Google

Ieſum Chriſtũ, qui crucifixus eſt ab hominibus in Iudæa. Tunc ſuſcepit eos Iudex, & alia die iuſsit eos adduci, cum Conſiliario ſuo, nomine Aproniano, dicens illis: Sacrificate Dijs ſecundùm iuſsionem Diocletiani Imperatoris, & Maximiniani Cæſaris. Cumque Sancti martyres reſpondiſſent, Quod nunquam conſentientes ſumus Dijs veſtris; iuſsit eos Proconſul in Equuleo ſuſpendi, & torqueri. Lect. 8. Deindè præcepit eos in carcerem recipi, quoaduſque cogitaret quemadmodum eos perderet; Alia verò die, Sancto Carponio in carcere reſeruato, iuſsit beatum Rufum cum alijs (L) Martyribus in (M) foro præſentari; Quos ſacrificare nolentes, fecit omnes in eodem loco (N) decapitari. Poſtmodum iuſsit Sanctum Rufum plumbatis cædi, & dum diù cæderetur, hilari vultu aſpiciens in cœlum, Deo gratias agebat. Cumque orationem fudiſſet ad Dominum, emiſit ſpiritum. Lect. 9. Poſt hæc Beatus Carponius præſentatur, qui cum ſecundò interrogatus, tacuiſſet, & pectus ſuum percutiens, cœlum aſpiceret, iuſsit Iudex iratus maxillas eius contundi: Sanctus verò Carponius dixit ei: Iniquitate plene, malefice quid perſequeris ſeruum Dei? Tunc accenſus ira Proconſul, iuſſit eum in cataſta torqueri. Cumque diutius torqueretur, læta facie Dominum benedicens, ac orans, ſpiritum exhalauit.

L
M
N

## NOTATIONES.

PRopitiare. *Docet hæc Oratio, corpora Sanctorum Rufi, & Carponij Cathedrali in Eccleſia requieſcere. Ipſe accepi, paucis ab hinc annis intermiſſam conſuetudinem, qua in eorum feſto cantatis Veſperis, Presbyter hebdomadarius accedebat ad altare, quod in Septemptrione eſt in capite Alæ, ibique pluuiali indutus, cantabat Orationem*

Pro-

Propitiare. *Itaque traditio eſt, illo in altari condita eſſe Sanctorum Ruſi, & Carponij corpora. Ego ſuperioribus annis accepi in ciuitate Rheatina hæc ſancta corpora conſeruari; curaui eò literas mitti, quibus datis, reſponſum eſt, verè ibi aliquando ſeruata fuiſſe corpora Sanctorum Ruſi, & Carponij martyrum Capuanorum, quorum nomine extat Eccleſia: tamen à quibuſdam Religioſis, quibus Eccleſia conceſſa fuerat, indè clam ſublata fuiſſe, relicta nimirum ab illis Eccleſia. Credendum eſt, non integra Sanctorum corpora ab hac vrbe noſtra aliò fuiſſe tranſlata, ſed aliquam eorum partem; imò, & aliquam partem conceſſam Eccleſiæ Parochiali intra noſtram vrbem ab eorum nominibus appellata: cuius, cum ipſe eſſem Presbyter, ſæpius immiſſo baculo tentans, cognoui ſub altari eſſe ligneam arcam, in qua non aliorum, quam Titulariũ fuiſſe reliquias maxima probabilitate cogitamus; fuiſſe non autem adeſſe cogitamus propter aliqua ſigna amotorum lapidũ, quæ cõſiderauimus.*

B Maximiniano Cæſare. *Legendum eſt,* Maximiano Auguſto. *Duo eodem tempore fuerũt Maximiani Imperatores: Alter dicebatur Maximianus* Herculeus, *& erat Auguſtus, Diocletiani collega ab anno 286. Alter dicebatur Maximianus Galerius, à Diocletiano creatus Cæſar anno 292. Herculeus* Romæ *ſedem ſuam habebat, Galerius autem* Nicomediæ. *Vexabant Galerius Orientalem, Herculeus Occidentalem Eccleſiam. Quare Maximiano* Herculeo *Auguſto perſequente anno ſupra trecenteſimum, vel 1. vel 2. vel 3. Sancti Ruſus, & Carponius paſſi fuerunt.*

C Campaniæ. *Campania felix, mutatis aliquantulum finibus, antiquum nomen amiſit, vocaturq; Terra laboris. At hoc ipſum nomen Terra laboris neque recens eſt: noſcitur enim vſitatum tempore Martini* Papæ. *Hic* Pontifex *in Epiſtola ad Theodorum, ſignificans quæ ſibi acciderant in exilio, hæc inter cætera:* Et peruenimus Kalend. Iunij

Meſſa-

Meſſanam, in qua erat nauis, ideſt carcer; non autem Meſſanæ tantùm, ſed in Terra laboris; & non tantùm in Terra laboris, quæ ſubdita eſt magnæ vrbi Romanorum, ſed & in plurimis Inſularum, in quibus ne nos tranſiſſemus, peccata impedierunt, nullam compaſsionem adeptus ſum: *Hoc accidit anno 650.*

D

In templo Capitolij Capuæ. *Ad horum verborum intelligentiam, noſſe quid ſit capitolium, & quid templum maximè refert: capitolium dicebatur locus in vnaquaque ciuitate præcipuus, murorum ambitu coſtoditus, vbi potiſſimum Gentilium ſuperſtitio colebatur. Quare non Roma tantum, ſed in alijs etiam vrbibus capitolium exiſtebat, vt Capuæ, Beneuenti, Toloſæ, Treueris, Cartagine, Conſtantinopoli.* De Capuano *meminit Suetonius, ſcribens illud à Tyberio dedicatum Auguſto. Cuius capitolij locus, vt Archiepiſcopus* Coſta *deſcripſit, erat non longè à Cryptoporticu, & Theatro: erat ille ferè locus, qui nunc dicitur la Torre, eſt enim ibi Turris; antiquum opus ab Aragonenſibus reſtitutum. Templum, dicebatur ingens Aedium moles, & ampla ſtructura, ſiue diuino, ſiue alij publico vſui dedicata: quare non omne Fanum (vtpote Fanum Veſtæ) dici templum conſueuerat. Quia ergo templa tantùm erant, quæ magnificè conſtructa, & ditiſſimè inſtructa cernebantur, ideo ante* Conſtantini *magni conuerſionem, Chriſtiani Eccleſias tantùm habebant, ideſt pauperes domos, diuino cultui mancipatas. Templa verò nequaquam:* Baron. *t.2. an.* 211. *& ann.* 272. *num.* 20. *His cognitis, animaduertendum, in* Breuiario *poſt verbum* Capuæ, *duo cerni collata puncta, & ſequi verbum,* Erat, *incipiens à litera grandiuſcula:* Hoc *aliqui non conſiderantes, vel interpunctionem falſam exiſtimantes, crediderunt ſanctum* Ruſum *Diaconum ſuo functum ordine in templo capitolij Capuæ, in templo ſcilicet ab Idolorum cultu mundato, & veri Dei cultui iam conſecrato.*

H Alter

Digitized by Google

Alter ab Auguſto peragratis ſcribitur arcem
Cæſar, Campanis, ante dicaſſe Deo.
Tranſijt à falſis in veros denique Diuos
Cum iam deficeret vana ſuperſtitio.
Aede miniſtrauit Campanus Rufus in illa,
Pro Chriſto fuſo ſanguine conſpicuus.

*Ego id mihi perſuadere non poſſum: tum quia Chriſtiani ante Magni Conſtantini conuerſionem, non templa, ſed* Eccleſias *tantùm habebant: tum quia capitolium à Tyberio dedicatum Auguſto, præcipuum erat inter opera publica, & ſine publica auctoritate in alium vſum conuerti non poterat. Quod ſi ad cultum veri Dei conuerſum erat; cuiusnam publicam auctoritatem interceſſiſſe putabimus, quando Imperatores, eorumque miniſtri ſuperſtitioſi fuerunt, & ſuperſtitionis accerrimi defenſores? Itaque non vt caſu, vel errore, ſed vt conſultò factã interpunctionem amplector, & explico; in capitolio fuiſſe templum, ideſt Idoli magnificas Aedes, paganorum Sacerdotum Curiam, vbi de rebus ad eorum religionem pertinentibus agebatur, vbi contra Chriſtianos Edicta promulgabantur, vbi & ipſi Chriſtiani comprehenſi ad ſacrificandum inuitabantur, & idcirco iure optimo dicebatur, eſſe contra Chriſtianos perſequutionem in Prouincia Campaniæ in templo capitolij Capuæ.*

E Cryptis. *In montibus, & circa illos multa ſunt latibula: ſed quia de Cryptis abditiſſimis hic mentio eſt, nolo præterire Cryptam Palumbaræ transflumen: Hæc eſt vna ex illis, de quibus in Reductorio Morali Berchorius:* In Apulia etiam *(inquit ille)* circa Neapolim dicuntur eſſe ſub montibus palatia, Theſauris incantatis referta: *Communiſſima quidem opinio ſemper fuit eſſe ibi theſaurum ex maioribus Antichriſto reſeruatis. Mihi conſtat, duos iuuenes animoſos, ſpe aurum inueniendi in eam ingreſſos, Acceperunt cereum, ſilicem, & ſulphurata; Os cryptæ ingreſſi, ventre humi*



Digitized by Google

*mi aliquantulum reptarunt, deinde gradus inuenerunt, per quos deſcenderunt in cryptam: vt retulerunt, habet illa altitudinem palmorum octo, vel parum amplius: eſt tantum lata, vt ipſi manibus iunctis, brachijs tamen extenſis ambularent in ea: Ambulabant in tenebris, vt tamen mutuò ſibi animos facerent, vterque altera manu murum percutiebat. Viſum eſt vni, ſe percutere lignum, quare excuſſo igne è ſilice, cereum accenderunt, viderunt portam pineam, & cameram, introgreſſi, totam luſtrantes, nihil inuenerunt.* Progreſſi *vlterius, à longè audierunt ſonum, ſtrepitumque fluentium aquarum, & coniectantes eſſe illam aquam, quæ per concaua montis Ieruſalem fluit, erumpitque in Triſiſco, proſequebantur iter: tandem cum iunior dixiſſet, ſe eſſe debilitatum, & eſurire, itinere relicto, eadem via, nihil inuenientes, nihil videntes, reuerſi ſunt, & egreſſi ſunt alterius diei hora vigeſima prima. Quos vt videre ſocij in molendino relicti, mox exclamarunt: Heu, credebamus vos eſſe mortuos in Crypta. Hoc mihi conſtat: nunc tu, lector, de illa communiſsima opinione theſauri ibi conſeruati, iudica vt libet.*

Baptizatus fuerat. *Intellige Carponium baptiſmate initiatum à ſancto* Sylueſtro, *nondum creato* Pontifice, *ſed exiſtente* Præsbytero Cardinali, *à ſancto Marcello iam ordinato:* Cuius ordinatio *quia contigiſſe non potuit ante finem anni 298. quando ſanctus* Marcellus *primas ordinationes habere potuit; conſequens eſt, vt poſt annum 298.* Carponij *baptiſma contigerit, nempè duobus, vel tribus annis ante martyrium: non eſt ergo, quod Ferrarius miretur in his Actis.* F

Carponius tibi nomen. P*ercepta per Baptiſmum gratia* Chriſti, Carponius *quaſi carpſerit gratiam, hoc nomen accepit à ſancto Sylueſtro. At* Carponius *eſt nomen Græcum, ſignificans idem, quod Fructus* Nouus. *Quando igitur di-* G

*ctus eſt* Carponius *quia carpſit gratiam, non fuit æthymologia, ſed quædam alluſio vocis: neque nouum eſt, vt aliqua dictio præter veram æthymologiam, Alluſionem admittat. Hinc obſeruo, quòd* Catechiſmus Romanus *docet, peractis nempè cæremonijs omnibus, ad extremum nomẽ Baptizato imponi.*

H Sibylla perſequutrix. *Quod hic de Sybilla dicitur*, C. *Baron. corrigendum annotauit: eoque magis corrigendum videtur: nam verba ſecundæ lectionis, & ſextæ, inter ſe pugnant: in ſecunda dicitur* Carponius *timuiſſe* Sibyllam, *& exceſsiſſe* Roma*: in ſexta dicitur* Imperator*, ob eiuſdem Sibyllæ timorem noluiße occidere* Carponium Romæ. *Ego nè Breuiarij verba corruant, duo ſæpius excogitaui.* Vnum *eſt, ex Bar. in App. nu.26. Vulgi quadam ſimplicitate factum, vt libri Sibyllini, Sibylla ipſa credita ſit: quemadmodum Auguſtus ex* Sibyllinis *oraculis cognouit* Dominum *Saluatorem, & tamen vulgo creditum eſt, Sibyllam digitò monſtraße Saluatorem Auguſto: Ita in re noſtra, quia ſuperſtitioſi* Pontifices *ex vaticinio Sibyllarum perſequutionem in Chriſtianos eliciebant, vulgo creditum eſt, Sibyllam ipſam Chriſtianorum fuiſſe perſequutricem: Contra verò, quia Chriſtiani docti viri ( qualis poterat eſſe* Carponius *) Chriſti fidem, ex Sibyllinis oraculis Gentibus perſuadebant, Bar. tom.2.ann.143. ideo, illos quaſi viuenti Sibyllæ notos fuiſſe, poſteri ſimplices crediderunt: Dicitur autem Imperator timuiſſe Sibyllam, quia fortaße timebat, nè* Carponius *Romanos, qui Sibyllina carmina maximi faciebant, aliquo ex illis repetito vaticinio, commoueret. Alterum eſt, nihil obſtare quin dicamus, hìc Sibyllæ nomen non eſſe antiquarum vatum appellatiuum, ſed proprium alicuius primariæ feminæ in Imperiali* Palatio*, quæ Diocletiano Nicomediæ commorante, impietatis Vicaria, in vrbe Roma perſequutioni* Chriſtianorum *inſtaret: cui* Carponius*, vtpotè* Medi-

dicus,

Digitized by Google

*dicus, poterat eſſe notus, & charus: ipſe tamen ne in ipſum ab illa propter odium fidei ſæuiretur, meritò formidauit: contra verò Maximianus Auguſtus, videns Carponium, & agnoſcens illum Dominæ Sibyllæ charum, iure optimo formidare potuit, nè Sibyllæ diſpliceret, ſi illi necem inferret.* Hæc, *ò mi lector, boni conſule. Quòd ſi verba de Sibylla Vate accipere, vti ſonant, voles, corrigenda non inficior.*

Ad Proconſulem. *Proconſulem, ſeu Præſidem Prouinciæ Capuæ reſidere conſueuiſſe teſtantur Acta S. Priſci martyris, quorum Auctor martyrium refert (etſi perperam) ad tempora Valentis: necnon Acta S. Marcelli militis, de quibus infra: clariùs tamen hoc habent hæc ipſa Acta S. Ruſi: hoc enim ſignificant illa verba:* Cum eſſet perſequutio Chriſtianorum in Prouincia Campaniæ in templo capitolij Capuæ, & *illa*: Ecce ſunt hic homines Imperialia iuſſa contemnentes. *Capuani Gentiles indignatione commoti loquuntur, & dicunt,* Hic, Hic: *Ergo Capuæ Proconſuli ius dicenti loquuntur, & Sanctos accuſant.* I

Diocletiano. *Diocletianus hiſce temporibus, ideſt anno ſupra trecenteſimum primo, ſecundo, tertiò, & quarto Nicomediæ commorabatur: quare oportuit à Proconſule dari literas ad Maximianum Auguſtum Romæ degentem. Honoris tamen gratia, cum eſſet Diocletianus Imperij caput, & perſequutionis Auctor, ad illum dicebantur mitti literæ de cauſis Chriſtianorum.* K

Martyribus. *Hinc obſerua quamplurimos Chriſtianos martyrium Capuæ conſummaſſe, quorum nomina, & ſi ignorantur in terris, clarent in cœlis.* L

In foro præſentari. *Non obſcure inſinuatur forum fuiſſe locum ſacrificijs aptum, & deputatum. Ego intelligo forum, locum exercendi iudicij, imò ipſum capitolij locum. Sanctus Cyprianus in ſermone de lapſis, id quod primò forum dixerat, deinde capitolium appellauit. Verba ſunt:* M

Ante

Digitized by Google

Ante Aciem multi victi ſine congreſsione proſtrati, nec hoc ſibi reliquerunt, vt ſacrificarę Idolis viderentur inuiti, vltrò ad forum currere, ad mortem (*ideſt animæ propriæ*) ſpontè properare, quaſi hoc olim cupierint, quaſi amplecterentur occaſionem datam, quam ſemper optaſſent: quot illic à Magiſtratibus veſpera vrgente dilati ſunt? quot ne eorum differretur interitus, etiam rogauerunt? Hæc Cyprianus. *Ergo Chriſtiani auditis edictis, timore perculſi, ſpontè currebant, vt ſacrificarent Idolis: currebant ad forum, vbi erant Magiſtratus. Erat igitur forum locus ad ſacrificandum Idolo deſtinatus. Proſequitur* Cyprianus. Nonne quando ad capitolium ſpontè ventum eſt, quando vltrò ad obſequium diri facinoris acceſſum eſt, labauit greſſus, caligauit aſpectus, tremuerunt viſcera, brachia conciderunt, non ſenſus obſtupuit, ſermo hæſit, lingua defecit? *Ecce Chriſtiani, qui vltrò currebant ad forum, vt coram Magiſtratu* Chriſto *renunciarent, & ſacrificarent Idolo, nunc dicuntur vltro veniſſe, acceſſiſſe ad capitolium facinoris locum. Sed quod, qualenam facinus? proſequitur Cyprianus*. Stare illic potuit Dei ſeruus, & loqui, & renunciare Chriſto, qui iam Diabolo renunciarat, & ſæculo? non ara illa, quò moriturus (*ſecundum animam*) acceſsit, rogus illi fuit? *Vnum in capitolio facinus tria crimina continebat, vnum ſpontè ſe ſiſtere, & ſtare coram Magiſtratu: alterum coram Magiſtratu renunciare* Chriſto: *tertium, ad Aram accedere, & ſacrificare. Itaque in capitolio erat forum, in quo Magiſtratus conſidens, Chriſtianos de religione interrogabat, & contra ſortes ſententiam ferebat. Sed quid in hoc immorandum? Nos Chriſtiani habemus Epiſcopia, quæ habent Eccleſiam, & Epiſcopale* Palatium, *& in Palatio forum, ideſt Tribunal ad iudicandum: & quando cauſa religionis agitur, Epiſcopus in Palatio de hæreſi cognoſcit, & pro Tribunali, ſententiam recitat: ſed Reus in*

Eccle-

*Eccleſia vel Palinodiam canit, vel impœnitens curiæ tra-
ditur ſæculari. Ita in capitolio erat templum Idoli, & fo-
rum, ſeu curia, vbi de ſuperſtitione Iudices cognoſcebant.* N
Eodem loco decapitari. *Aegeæ ante atrium fori Clau-
dius, Aſterius, Neon fratres Chriſtiani pro Chriſto cruci
affixi, martyrij coronam acceperunt. Baron. tom. 2. an.* 285.

## DE S. PRISCO EPISCOPO, ET MART.

*Kalend. Septembris.*

M*Artyrol. Rom.* kalend. Septembris Capuæ via
Aquaria ſancti Priſci martyris, qui fuit vnus de an-
tiquis Chriſti (A) diſcipulis. P. *Natalis Libr.* 8. *cap.* 17. A
Priſcus diſcipulus fuit vnus ex antiquis diſcipulis Chriſti,
licèt inter nomina ſeptuaginta duorum diſcipulorum, qui
à Dorotheo Abbate conſcripti ſunt, non reperiatur. Hic
enim ille pater familias fuiſſe aſſeritur, in cuius (B) domo B
Chriſtus Paſca ſibi parari fecit, & eius cœnaculo cum di-
ſcipulis diſcubuit, & eorum pedes lauit, vt Damaſus ait.
Hic poſt Aſcenſionem Domini veniens Romam cum Apo
ſtolo Petro, in partibus Campaniæ Euangelium (C) prædi- C
cauit. Qui & apud Capuam via Aquaria depoſitus eſt kal.
Septembris, vt dicit Ado. *Breu. Capu. in kalendario*, Kal.
Septembris Priſci Epiſcopi, & martyris dupl. & ſol. &
XII. Fratrum: Egidij, & Ferentiani, *Et in Officio.* Paſsio
Sancti *Priſci* Epiſcopi, & martyris. (D) *Lectio* VII. Beatus
autem *Priſcus* Epiſcopus, Capuæ eſt donatus à Domino, D
vt populum, qui ibi adhuc (E) Dianæ vana ſacrificia offe-
rebat, liberaret, & ad veram Dei cognitionem, atque cre- E
dulitatem perduceret: Qui ante ciuitatem, non longè à
Porta, quæ (F) Albana nuncupatur, in via, quæ ducit Be-
neuentum, cum duobus miniſtris ſuis habitabat: Cui tan- F
tam Deus contulit gratiam, vt quotidiè infinita populi

multi-

Digitized by Google

G multitudo ad ſanctam eius prædicationem (G) concurrerent. Lect.8. Sed cum Deus per eum multa ibi oſtenderet mirabilia, ſanando infirmos, ſuſcitando mortuos, illuminando cœcos, dæmones ab obſeſsis corporibus effugando; atque multitudinem populi ad fidem Domini cõuertiſſet, concitata eſt ſeditio non minima paganorum à Sacerdotibus ſuis, qui quæſtum magnum perdiderant nõ recipientes ſolita reſponſa Dæmonum. Adierunt itaque Proconſulem, clamantes per Priſcum euerſum eſſe popu-
H lum relicto (H) templo Dianæ, prædicantem eis neſcio quam ſuperſtitioſam ſectam. Tunc Proconſul iuſsit ſanctum Priſcum teneri, & à carnificibus ad ſacrificandũ compelli. Lect. 9. Cum autem carnifices, eum interficere volentes, pugionibus, & lignorum fuſtibus, ſacrificare compellerent, & eorum brachia aduerſus Sanctum Dei defeciſſent, Beatus Priſcus adſtantibus eis, extenſis manibus ad cœlum, orabat dicens: Domine Ieſu Chriſte gratias tibi ago, quia me non fraudaſti de numero Sanctorum tuorũ: ſed ad deſiderium meum me perducere dignatus es: ſit nomen tuum benedictum in ſæcula, & ſuſcipe modo ſpiritum meum, Domine Deus meus. Cumque compleſſet orationem, ſtatim emiſit ſpiritum, gaudenſque, & lætus perrexit ad Dominum. Inimici autem ſtupefacti, & con-
I fuſi, reuerſi (I) ſunt, non præualentes aduerſus Sanctum Dei: multi verò ex eis crediderunt in Dominũ Chriſtum.

## NOTATIONES.

A DIſcipulis. *Et ſi Priſci nomen Romanum eſt, tamen ipſum fuiſſe genere Iudæum, non ambigo: quia Martyrologia communiter ipſum vnum è Chriſti diſcipulis fuiſſe, dicunt: at omnes antiquos illos Chriſti diſcipulos fuiſſe Iudæos non eſt ambigendum. En illa die* Palmarum *duo Gen-*

*tiles*

Digitized by Google

*tiles acceſſerunt ad Philippum, & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus Ieſum videre. Philippus autem venit, & dixit Andreæ, Andreas rurſus, & Philippus dixerunt Ieſu. Obſerua nunc, ambos Apoſtolos ſimul retuliſſe Chriſto: & profectò ſanctus Chryſoſtomus vtrumque per ſe diſcipulum illud retardaſſe affirmat, quia audierant ab ipſo Chriſto,* In viam gentium ne abieritis. *Accedit ad hæc, quòd ipſe Dominus Ieſus Chriſtus quando adeſſe Gentiles quærentes eum videre, audiuit, futuram gentium conuerſionem, & mortis ſuæ imminentis indicium, & veluti prænoſticum agnouit, & ideo de ſua morte, & gentium vocatione copioſè loquutus eſt. Ergo ex re, vtpotè noua, quæ nondum euenerat, Chriſtus de gentium conuerſione loquendi occaſionem accepit. Præterea ſanctus* Petrus *à* Cornelio Centurione *viro Gentili vocatus, dixit, vt habetur Act. x.* Vos ſcitis quomodo abominatum *(ideſt nefas)* ſit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. *Igitur etſi Chriſtus aliquibus gentilibus beneficia præſtitit, eoſque in ſe credentes recepit, non tamen ad diſcipulatum, vel ad familiarem conſuetudinem eos admiſit: & proindè ſanctus Priſcus antiquus Chriſti diſcipulus, non gentilis, quale nomen habebat, ſed Iudæus, qualem habebat conſuetudinem, exiſtimari, & credi neceſſariò debet.*

Domo. *Cuiusnam fuerit illa domus, in qua Dominus Ieſus Paſcha fecit, Euangeliſtæ non exprimunt. Scriptorum alij dicunt fuiſſe Ioannis Euangeliſtæ, alij Ioannis cognomento Marci, qui Mariæ filius dicebatur, & Barnabæ conſobrinus; alij Simonis leproſi; alij (vt Natalis hic refert) noſtri ſancti Priſci: Planè fuiſſe domum ſancti Ioannis Euãgeliſtæ non videtur probabile, cum ſanctus Lucas ſcribat ipſum Ioannem cũ Petro miſſum ad perquirẽdum, vbi Paſcha parandum foret; nec vt in domo ſua pararet, Dominum præcepiſſe; quinimò iuſſos eſſe ſequi hominem lagenam aquæ* B



Digitized by Google

portantem. Fuiſſe domum Ioannis Marci, mihi non probatur ex eo, quòd illi duo diſcipuli paraturi Paſcha, miſſi fuerunt ad patremfamilias: ille autem Ioannes Marcus, quia dicitur filius Mariæ, filiusfamilias potius, quàm pater exiſtimandus eſse videtur. Fuiſse verò domum Simonis leproſi, veriſimile non eſt, quia domus eius erat in Bethania: & tantò magis dubium redditur, quia interpretes dubitant, an illa vnctio, quæ à ſancto Marco, & Matthæo commemoratur biduo ante Paſcha, facta in domo Simonis, ſit eadem cum illa, quæ ante ſex dies Paſchæ facta ſcribitur à Ioanne: Dum interpretes non conueniunt, & mihi admodum placet ſententia Caleſtani, & Baronij, aliorumque dicentium duas fuiſse vnctiones; non videtur aliquo modo veriſimile, vt Simon, qui in Bethania prandiū, ſeu cœnam fecit Saluatori feria quarta, ipſe idem feria quinta, relicto Chriſto in Bethania, Ieroſolymam iuerit, parauerítque Paſcha. Quare probabilior cenſenda eſt aſſertio de domo ſancti Priſci: cui fauet etiam in Gemma Animæ Damantes, Auctor mihi citatus à Nicolao Lagho in libro miraculorum Sanctiſſimi Sacramēti nuper impreſſo. Colligamus ergo ſanctum Priſcum, virum Iudæum, ciuem Ieroſolymitanum nobilem, diuitem, qui, contempto decreto conciliabuli, Chriſtum Dominum, & Magiſtrum recipere non formidauit.

C Prædicauit. *Etſi nec in Martyrologio, nec in Petri Catalogo Priſcus nominatur Epiſcopus; tamen dum legimus ipſum prædicaſſe Euangelium, cogimur affirmare fuiſſe Epiſcopum: nam ſi ſanctus Priſcus non fuiſſet Epiſcopus, non potuiſſet Eccleſiam conſtituere, nec Sacramentorum miniſtros ordinare. Addo ex vita S. Apollinaris Epiſcopi Rauennatis apud Laurentium de la Barre, & apud Surium, apertè colligi, S. Petrum certis ciuitatibus prædicatores deſtinaſſe, ſacris precibus, & manuum impoſitione (ſacra ſcilicet ordinatione) prius adhibitis. Et profectò in via Aquaria hoc nomine*



Digitized by Google

*perpetuò cultus fuit: & inter Acta Beatæ Matronæ in parietibus picta repræſentabatur inuentio ſancti Priſci, eratque imago viri ſenis, Epiſcopalibus induti, qui præſente Beatâ Matrona, e refoſſo puteo, extrahebatur. Id abſque vlla heſitatione aſſeruerunt doctiſſimi viri, & Illuſtriſſimi* S.R.E. *Cardinales, Sanctorius, Baronius, & Bellarminus. Sanctorius, qui multorum Antiſtitum Capuæ collecta nomina, inter ſua manuſcripta reliquit, ita habet:* Priſcus vnus de antiquis Chriſti diſcipulis, primus Epiſcopus Capuanus, & martyr via Aquaria. Romanum Martyrologium kalen. Septembris, Petrus Natalis lib. 11. cap. vlt. nu. 233. vbi Sixtum eum appellat, dicens: Sixtus Epiſcopus Capuanus, primus eiuſdem vrbis Antiſtes, apud ipſam ciuitatem via Aquaria dormiuit. *Hæc Sanctorius, qui optimè aduertit Sixtum pro Priſco dictum: & erroris occaſionem illam facilem arbitror, quia Sixtus, & Priſcus ambo fuère Diſcipuli, & ambo ſancti Petri comites, ambo Epiſcopi, & martyres, & amborum Kalendis Septembris memoria celebratur. Baron. tom.* 1. *an.* 46. *ita habet:* Habuit à Petro inſtitutos Epiſcopos Sicilia Pancratium, Marcianum, Berillum, & Philippum; Capua Priſcum, Neapolis Aſprenum, aliter Aſprenatem. *Bellarminus dudum Archiepiſcopus noſter, in manuſcripto Catalogo Capuanorum Antiſtitum ita habet:* Priſcus Epiſcopus, & martyr vnus ex antiquis Chriſti diſcipulis, à ſancto Petro Apoſtolo Capuam miſſus fuit. *Quin etiam Bellarminus in concionibus ad populum de Epiſcopatu, & Apoſtolatu Priſci ſæpèſæpius meminit. Id ipſum affirmant Alphonſus Ciacconius, & ij, qui Neapolitanam hiſtoriam ſtylo vulgari, ſeu latino proſequuti ſunt. Quibus omnibus addo Maurolycum, & Galeſinum in Martyrologijs. Maurolycus ita habet:* Kalendis Septemb. Apud Capuam via Aquaria ſancti Priſci Epiſcopi, & martyris, atque vnius ex antiquis Chriſti diſcipulis. *Galeſinus item Kalend. Sep-*



Digitized by Google

*temb. habet:* Capuæ via Aquaria ſancti Priſci Epiſcopi, & martyris: hic vnus è ſeptuaginta diſcipulis cum Beato Petro Apoſtolorum Principe Romam profectus, indè Capuam venit, vbi verbum ſalutis cum diſſeminaſſet, palmam martyrij tulit. *Item in Mart. Patritiano literis rubris notatum legitur:* Capuæ natale ſancti Priſci Epiſcopi, & martyris.

D Lectio 7. *Martyrol. Rom. die primo Septemb. de duobus Priſcis agit, at narratio Breuiarij Capuani ex duobus vnũ effinxit: ſed vt Cardin. Bellarminus aduertit, in primis tribus lectionibus, ſancti Priſci qui ex Africa venit, res geſtas Breuiarium narrat, in tribus verò lectionibus vltimis ſancti Priſci prioris, qui ad Capuanos paganorum erroribus implicatos, miſſus fuit, paſſionem attingit: & ideo nos ſeptimam, & octauam, & nonam lectiones, vt pertinentes ad hunc Priſcum, exſcripſimus.*

E Adhuc Dianæ. *Dictio* Adhuc *indicat aliud tempus, imò longum præceſſiſſe: & à Breuiario poſita fuit, quia Priſco iuniori geſta res adſcribitur: quaſi dicatur: erant elapſi quadrigenti, & amplius anni, & neque penitus auulſa erat illa falſa religio. At nos, qui Priſco primo rem geſtam adſcribimus, dictionem* adhuc *expungendam dicimus. Nam Priſcum primum Euangelij prædicatorem anteceſſit alius nemo: ſed planè, quia nos antiqua monumenta ita recipimus, vt Breuiarium non contemnamus, ideo facilè credimus, Tifatinæ ſuperſtitionis, quam ſanctus Priſcus antiquior incepit euertere, tempore ſancti Priſci ſecundi ſuperfuiſſe reliquias: neque mirum, quia etiam tempore ſancti Abbatis in monte Caſſino erat fanum Apollinis: & ſanctus Gregorius Magnus creatus Papa, mox conuertit animum ad purgandam campaniam ex reliquijs Idololatriæ, S. Antoninus in Chro. lib. 1. tit. 12. cap. 3. §. 5. Imò etſi tandem aliquando labore, & ſanguine tot Epiſcoporum Dianæ ſuperſtitio extincta*

cta fuit; ſimul tamen Dianæ nomen ab ore Capuanorum tolli non potuit: illũ etenim Famlocum, etiam anno 945. in Chro. Caſſinenſi, ad Arcum Dianæ legimus appellatum, Chr. Caſſ. l. 1. cap. 56.

Capuæ non Diana tantùm colebatur, ſed illa Deorum omnium antiqua turba. Legimus templa Iouis, Martis, & Fortunæ: Audimus in agro campano retenta, etſi corruptè, nomina ſacellorum Apollinis, Herculis, Cereris, & Bellonæ: Cernimus ſimulacra Iouis Mõtani, Mercurij, Solis, & Cibeles: At ſi tot falſa numina Campani venerabantur, cur contra Dianam S. Priſcus prædicationem inſtituit? An quia Dianæ templum antiquiſſimum omnium, præ cæteris omnibus frequentabatur? An quia Diana, quæ virgo fingebatur, fingebatur à nouis coniugibus placari petita venia, eaque de cauſa fanũ còntinuis vel manifeſtis, vel occultis obſcœnitatibus nõ carebat? Natalis Comes lib. 3. cap. 18. An quia Dianæ nõ vnũ, vt alijs Dijs, ſed plura munera adſcribebantur: illam quippè colebant virgines, virginem; Puellæ pertæſæ virginitatis placabant geſtando caniſtra ſacrificiorum: Prægnantes honorabant Zona apud ipſam appenſa: Parturientes inuocabant obſtetricem, quæ ſuæ matri fuerat obſtetricata: Dianæ ſacrificabant venatores venatrici; viatores paſtoreſque, viarum, nemorumque cuſtodi: agricultores primitiarum amatrici; poetæ ſorori Phœbi; Magi veneficique Reginæ nocturni ſilentij? Non erat ergo qui Dianæ auxilio ſe non crederet indigere: ideoque fanum eius non ſtata aliqua die tantùm; ſed quotidie à multitudine ſacrificantium adibatur. Accedit quod dæmon ſimulata forma Dianæ, viſibilem cum viris, & mulieribus inibat ſocietatem, & nocturnos agebat choros: O vtinam huiuſmodi ſocietas eſſet extincta: Nunc & in orbe etiam Chriſtiano (proh dolor) fœminæ reperiuntur, & viri cum dæmone verſantes: dicuntur illæ Ianaræ, Ianaræ, quaſi Dianaræ,

idest

Digitized by Google

*ideſt à ſecta, & societate Iana, ſeu Dianæ: nam Iana eſt idem quod Diana, vt Macrobius docet lib. 1. cap. 9. Hæc cum ita ſint, quid mirum ſi contra Dianam Tifatinam primum indictum eſt bellum à S. Priſco? Ita quoque S. Thimoteus contra Dianam Epheſinam pugnauit, & S. Nicolaus Epiſcopus contra Dianæ templa, & ſimulacra ſingulari quodam ardore ferebatur: Cæterùm quod dicitur ſanctum Priſcum, datum Capuæ à Domino, intelligendum eſt, datum à Deo, ſed per S. Petrum vel in primo Aduentu, ideſt an. 44. vel in ſecundo, ideſt anno 46.*

F Albana. D*ominus Cæſar Coſta Archiepiſcopus in inueniendo Capuæ veteris ſitu diligentiſſimus, ſex portas inuenit: quarum vna eſt hæc Albana, quaſi inter Orientem, & Meridiem poſita. Altera huic oppoſita fluuialis, verſus flumen ad Occidentem, tertia Dianæ ab Aquilone, templum Dianæ Tifatinæ reſpiciens; & quarta huic oppoſita ad meridiem reſpiciens Atellas, Atellana; quinta inter Albanam, & Tifatinam Porta Iouis ad Orientem; ſexta inter Atellanam, & fluuialem Cumana, reſpiciens Cumas. Dictam Albanam credimus ab Aede Alba propè poſita. Sed Aedes Alba quidnam? cenſeo fuiſſe templum, non tamen alicui Deo ſacrum: fuiſſe Romæ huiuſmodi templa non ſacra, certo certius eſt; erat enim Curia Oſtilia templum non ſacrum, & Capuæ talem cenſeo Aedem Albam.*

G Concurrerent. *S. Priſcum inter cætera docuiſſe cultum, & obſeruantiam diei Dominicæ ab Apoſtolis inſtitutæ, perſuadeo mihi ex eo, quòd in eius Pago non ſemel audiui. Vt narrant ibi, Iumenta, quæ primo die hebdomadæ onerata, ante domum S. Priſci tranſibant, frequentiſſimè cadebant: de qua re cum Agaſones partim admirarentur, partim dolerent, Sanctus inde accipiebat occaſionem patefaciendi myſteria fidei, & monebat illos, nè illo die onerarent iumenta, ſed ſolitis ab operibus abſtinerent: ideo Parochiani ſimplices,*

*ces, & idiotæ dicunt aliquando diem Dominicam inſtitutam à S. Priſco.*

Templo. *Templonè an Fano? Magnum apud antiquos inter Fanum, & Templum diſcrimen erat,* Bar. *tom.* 2. *an.* 211. *Templum dicebatur Aedes ingenti mole pernobilis, & magnificè perornata: quare Veſtalis Aedes Romæ non templum, ſed Fanum erat.* P*rofectò Aedes Tiſatina à Velleio Paterculo appellatur templum.* Poſt victoriam (*inquit de Sulla*) qua deſcendens montem Tifata, cum Norbano concurrerat, Sullā gratum Dianæ, cuius numini regio illa ſacrata eſt, ſoluiſſe aquas in medendis corporibus nobiles, & potius agros omnes addixiſſe Deæ: Huius gratæ Religionis memoriam, & inſcriptionem templi affixam poſti, & æream tabulam, eſſe teſtatam. H

*Sed in antiquis Epitaphijs, in quibus ſimplicitas, proprietaſque verborum maximè retinetur, legitur Fanum.*

Q. PETICIO M. F. FAL. MAG. FANI DIANAE.
EX TESTAMENTO. Q. PETICI. M. F. FAL.
L. PETICIO M. F. FAL. FRATRI.
C. VELLEIO C. F. PAL. VRBAN.
MAG. FAN. DIAN. TIF.
HONORATO EQVO PVBL.
AB. IMP. ANTONINO AVG.
CVM AGERET AETATIS ANN. V.
C. VELLEIVS. VRBANVS, ET TVLLIA
NIGE PARENTES. DD.

*Itaque ſi Aedes Dianæ Tiſatinæ Fanum erat, dicamus in Breuiario dictum eſſe templum more noſtro, qui Aedes qualeſcunq; templa nominamus, & apud Velleium nomen*

*templi*

Digitized by Google

*templi veluti generis habere ſignificationē. Dicamus etiam Aedis Tiſatinæ magnificentiam non eſſe adeò amplificandam, vt illa à* Poetis *ficta ſolis Regia cenſeri poſſit. Dicamus tandem hanc Aedem celeberrimam fuiſſe non tam magnificentia ſuæ Structuræ, vel ornamentorum ſplendore, quàm propter antiquam ſuperſtitionem ſumma cura, diligentiaque cuſtoditam, & cultam. Erat Fanum in latere montis ſupra Capuam, ſitum illo ipſo in loco, qui nunc Eccleſiam, & ab Eccleſia,* Sancti *Angeli ad formas nuncupationem habet: apparent illius adhuc nonnulla veſtigia.*

I Reuerſi ſunt. *De loco* M*artyrij, & ſepulturæ* S. *Priſci Breuiarium nihil attingit: quia tamen aſſerit illo iam occiſo, reuerſos eſſe carnifices, non obſcurè ſignificat illum extra ciuitatem conſummaſſe martyrium. At conſtans traditio, & Martyrologia clamant, depoſitum in via Aquaria: Quia dicitur fuiſſe depoſitus, credere nos oportet corpus occiſum à carnificibus, vel relictum feris, vel proiectum in aliquam foueā, & deinde ab ipſius Priſci diſcipulis acceptū, & tumulatum. Depoſitionis autem locus obliuioni traditus, manſit incognitus, donec* S. M*atrona illum inuenit, & inibi Eccleſiam ædificauit. At via Aquaria quænam eſt? Non longè à latere meridiano Eccleſiæ* S. *Priſci apparent aquæductus non pauca veſtigia, quibus adhæret via per medium* P*agum deſcendens: poſſumus opinari illo antiquiſſimo etiam tempore, eandem ibi fuiſſe viam quæ aquæductis adhærens, cum ipſo aquæductu ad murum ciuitatis vſque deſcenderet: ſeu ( quod deſcriptioni* Domini *Archiepiſcopi Coſtæ conforme videtur ) illa via caua, quæ non longè à latere Aquilanari ipſius Eccleſiæ deſcēdit in lōgitudinem mille ferè paſſuum, & peruenit ad quadriuium illud, quod eſt propè angulum inferiorem campi Sancti Martini, dicitur ibi alla* Grottella, *antiquiùs dicebatur à* Bagnuolo; *ibi, vel ibi propè erat porta Iouis. Illa via poteſt cenſeri* Aquaria, *quia à*

*porta*

Digitized by Google

*porta ciuitatis rectà ad Orientem excurrens, aquaductui non longè à tergo Eccleſiæ S. Priſci, ſeſe iungebat.*

*Cum paucis ab hinc annis Parochiani S. Priſci Eccleſiam ampliare vellent, inter rudera quædam, tres eiuſdem menſuræ, ac formæ lateres inuenerunt. Habent illi in ipſa figlina impreſſum cirulum, & inſcriptionem* L. ANSI PRISCI. *Ego (ſi quis hanc velit rem eſſe* S. Priſci) *illi interpretor L. ideſt locus* Anſi Priſci, *& dico ſignificari, ibi fuiſſe locum, in quo depoſitus fuerat ille* Sanctus, *qui appellabatur* Anſi Priſcus. *Amſi erat nomen hebræum, Eſdræ 2. cap. 11. Priſcus latinum: ſolebant Iudæi hæbræo nomini latinum addere: Ita Saulus dictus eſt* Paulus: Simon, *Niger; Ioannes, Marcus, & Ioſeph, Flauius. Neque mirum ſi hic non legitur* Amſi, *ſed Anſi, quia apud nos M. ante S. in N. facilè tranſit, quemadmodum* Amſancti, Anſanti *quoque dicitur: ideo Amſi hebraicè, Anſi latinè pronunciari, ſcribique potuit: Quod verò inſcriptio ſit ita ſimplex, vt nomen* SANCTI, *vel* Martyris *non habeat, neq; mirabitur qui antiquorum Chriſtianorum candidam ſimplicitatem conſiderabit: Ecce in promptu habemus exemplum. Romæ intra Catacumbas inuiſitur (teſte Baronio, tom. 2. ann. 259.) Locus Sancti* Maximi Martyris, *in quo ſimplex ille titulus legitur,* LOCVS MAXIMI.

## DE S. PRISCO EPISCOPO, ET CONFESS.

*Kalend. Septembris.*

M*Artyrol. Rom.* kalend. Septembr. Capuæ item alterius Priſci Epiſcopi, qui vnus fuit ex illis Sacerdotibus, qui in perſequutione Vuandalorum ob fidem catholicam variè afflicti, & vetuſtæ naui impoſiti, ex Africa ad campaniæ litora peruenerunt, & Chriſtianam diſciplinam in ijs locis diſperſi, diuerſiſque Eccleſijs præfecti,



Digitized by Google

mirificè propagarunt: Fuerunt autem eius ſocij Caſtrenſis, Tammarus, Roſius, Heraclius, Secundinus, Adiutor, Marcus, Auguſtus, Elpidius, Canion, & Vindonius. *Breuiar.*
A *Capuan.* Oratio. Propitiare, &c. Lect. 1. (A) Temporibus quidem Valentiniani, & Valentis Auguſtorum in partibus
B Orientis (B) Apollinaris Laodicenſis Epiſcopus, à fide catholica, pro cuius amore multa compoſuerat opuſcula, deuians, hæreſim condidit, quæ hactenus nomine ipſius
C nuncupatur. Atque eodem tempore (C) Valens Auguſtus à Leontio Arianorum Epiſcopo baptizatus, Chriſtianis perſequutionem miſit: quique in quarto Imperij ſui anno ipſe Valens Auguſtus talem dedit legem, vt etiam monachi compulſi, arma bellica tractantes, ſæculo illi magis, quàm Deo militarent: Nolentes verò, fuſtibus, & tormentis necarentur. Lect. 2. Vnde factum eſt, vt miniſtri tam execrabilis iuſsionis, Africam attingentes, dum quadam in ciuitate multos Sãctos, iuſſa Principis contemnentes, diuerſis interimerent pœnis, & viderent ſe nihil proficere, eiectis de carcere, qui tenebantur, applicatoque vno ex eis, qui Priſcus dicebatur, ornato moribus, patientia, & Epiſcopatus honore, dixerunt. Quare iuſsis Principum non obeditis, vt arma tractetis bellica, & effugiatis tormenta, quæ vobis præparantur? Beatus Priſcus reſpondit: Tormenta veſtra non pertimeſcimus, quoniam Deum habemus in cœlis, cuius arma induti, reſiſtimus Diabolo, & Principi veſtro. Lect. 3. Tunc videntes maligni miniſtri conſtantiam eius, initio conſilio, vt ſuo placerent Principi, nauem iuſſerunt vetuſtiſsimam pręparari, vt illic Bea-
D tiſsimus Priſcus cum alijs, qui remanſerant (D) ſanctis, impoſiti, alto pelago pertuſa naui maritimis feris traderẽtur in paſtum: Expletis verò iuſsionibus impiorum, gubernante Deo, qui Sanctos ſuos non derelinquens, in æternum conſeruat, illæſi, atque pſallentes in Campano litore

perue-

Digitized by Google

peruenerunt. In qua prouincia ſinguli, Angelo præeunte Duce, per diuerſa (E) oppida ſunt conceſsi cuſtodes: E
Beatus autem Priſcus Epiſcopus, Capuæ eſt donatus à Domino.

Temporibus quidem Valentiniani. *Ex Martyrologio ſatis conſtat expulſionem* S. *Priſci, aliorumque Sanctorum ex Africa, contigiſſe tempore Vuandalicæ perſequutionis: ideoque (cum Baronio) quod dicitur hîc de temporibus Valentiniani, & Valentis omninò corrigendum eſt, vt nos in vita* S. *Caſtrenſis ſupra notauimus.* A

Apollinaris. *Apollinaris ciuis Laodicenus, non Epiſcopus, quatenus ex* Annal. *Bar. colligi poteſt; tamen Breuiario noſtro conſentit Sigisbertus in* Chr. *an.* 383. *& Ado ann.* 364. *qui Laudocia, ſeu Laodicenum Epiſcopum nominant.* Bellarminus *quoq; De ſcript. Eccl. nominat ipſum Epiſcopum. Hic eximius Doctor, ingenio verè mirabili, non ſacris tantùm, ſed poeticis etiam facultatibus eruditus, Iuliano* Apoſtata *imperante, & deinceps, magna cum laude in Eccleſia verſabatur. Hunc* S. Hieronymus *Antiochiæ docentem colebat, audiebatque: At miſer, ſuo fretus ingenio, lapſus in falſa dogmata, à Sanctis omnibus impugnatus eſt, & à Damaſo* Papa *in* Romano *Concilio damnatus: tandem, imperante Theodoſio, infelix hæreſiarcha migrauit è vita. Baron. tom.* 4. *ann.* 371. *& ann.* 373. B

Valens Auguſtus. *Mortuo Iouiniano Imperatore, Valentinianus anno* 364. *V. Kalend. Martij creatus eſt Imperator, qui mox* kalendis *Aprilis Valentem fratrem Imperij collegam aſſumpſit; eoque relicto in Oriente, ipſe in Occidentem ſeſe contulit: A principio ambo catholici, qui fuerant catholicæ fidei confeſſores, quando, nè Iuliano Apoſtatæ ſacrificanti obtemperarent, baltea depoſuerant. At Valens, anno Imperij* 3. *pugnaturus contra Gothos, Thraciam populantes, ſancto baptiſmate pro diuina ſibi concilianda* C

ſtianda gratia intingi volens, vxoris Arianæ lenocinio delinitus, ab Eudoxio Conſtantinopolis Epiſcopo Ariano ſeſe baptizari permiſit: Hinc Orientalis Eccleſia Arianorum procellis exagitari cœpit: Verùm anno 375. ideſt duodecimo Imperij sui, defuncto Imperatore catholico, quem verebatur, Fratre Valentiniano, effrænata libertatis audacia legem tulit, vt monachi militarent: nec perſequutio quieuit, donec anno 378. ideſt Imperij decimoquinto, in prælio ſagitta percuſſus, agreſtem ingreſſus caſam, ibi, ipſa nimirum caſa ab inimicis incenſa, viuus exarſit. Hæc Baron. tom. 4. in prænotatis annis.

D Sanctis alijs. *Quàm magna fuerit multitudo Chriſtianorum, qui in nauim illam impulſi, vel ſponte ſunt ingreſſi, ſatis claret ex vita* S. *Caſtrenſis, ex qua nec obſcurè collegimus Sanctos duodecim, & ibi, & hic in* Martyrologio *nominatos fuiſſe Epiſcopos, &* Paſtores *plebium, earumq; Duces in adeundo perſequutorum Tribunalia, & ſubeundo pro fidei confeſſione tormenta.*

E Oppida. *Quibus oppidis, ſeu ciuitatibus hi ſocij* S. Pri*ſci præfecti fuerint (vno excepto* Caſtrenſe*, qui in agro conſtitit* Sueſſano*) certò non conſtat.*

*Creditur autem Secundinus præfuiſſe Troiæ, quæ dicebatur Ecana: Marcus Bouini, Adiutor Cauæ, Tammarus Beneuenti, Canio Acherontiæ, Elpidius Atellis: de Auguſto, Vindonio, Roſio, Heraclio, lux nulla. Sed obſtant Acta* S. *Caſtrenſis, in quibus habetur Sanctos impetraſſe à Domino, vt ipſorum omnium corpora intra vnius patriæ fines ſepelirentur. Quare intra fines Campaniæ, ideſt Terra laboris conſtiterunt omnes: & S. Tammarus dicitur obijſſe in loco nunc Auerſanæ* Diœceſis, *qui vocatur Vicus de* Pan*tano, olim, vt legi in Inſtrumento* S. *Ioannis ann.* 946. *Vicus à* S. *Tammaro, & ibi oſtenditur eiuſdem Sancti Sepulchrum.*

Sed

Sed planè quamquam hi Sancti Confeſſores diuerſis Oppidis ſunt attributi cuſtodes; tamen in Capuana Diœceſi ferè omnium viget memoria: Caſtrenſis habet Eccleſiam Parochialem in Caſtro maris Vulturni: habuit alteram inter Marcianiſum, & Magdalunum; imò, & aliam quæ extabat an. 1125. in loco alla Fontanella, propè riuum de Caluo: & quarta extabat an. 1173. in territorio Cãcielli. Secundinus habet etiam hodie plures Eccleſias Parochiales, vnam in pago eiuſdem nominis, alteram in pago Bellonæ, tertiam in Sabiniano, & olim aliam in territorio Caſtelli ad mare. Tammarus cum Eccleſia pagum nuncupationis eiuſdem in via noua Neapolitana. Auguſtus habet Eccleſiam dirutam non longè à pago S. Priſci: Fuit olim ibi pagus, & Parochia: Non multis ab hinc menſibus fuit inde amotus lapis, qui formam fontis baptiſmalis habebat; ſed inter portandum, cum perueniſſent boues ad triuium paululum longè ab Eccleſia, quaſi nolentes egredi fines ipſius Eccleſiæ, conſtiterunt: & dum acti, vlteriùs progredi noluerunt, fractus eſt, & operi deſtinato deſeruire non potuit: nunc eſt beneficium ſimplex opulentum. Elpidius habet ſuam Eccleſiam in pago Caſapulli. Adiutor habuit ſuam in territorio Cancielli, ex ſæpè citato diplomate Alphani Archiepiſcopi ann. 1173. & alteram circa Capuam, de qua mentio eſt in quodam Inſtrumento Sancti Angeli ad formam, quod ego legi. Vindonius eſt, meo iudicio, qui Mendonius legitur, habebat Eccleſiam foris Capuam, vbi dicebant alla Murata, & extabat anno 1240. vt legi in Inſtrumento Monaſterij montalium S. Ioannis. Roſij, & Eraclij fuiſſe Eccleſias in Diœceſi Sueſſana, apparet in Bulla confirmationis Benedicti Epiſcopi Sueſſani, data ab Athenulfo Archiepiſcopo anno 1032. menſe Martio die 19. Ind. xv. cuius Bullæ exemplum ſeruatur inter M. S. Ciocchiarelli. De Marco, & Canione memoratam Eccleſiam inueni nullam: habuiſſe tamen à

Capua-

Capuanis parem venerationis cultum arbitrari poſſumus, & debemus. Horum feſta notantur, Secundinus Epiſcopus Troiæ die vndecimo Februarij; in quodam manuſcripto kalendario noſtri Theſauri, vigeſimoſeptimo Maij: at in Eccleſijs noſtræ Diœceſis agitur octauo Decembris. Marcus Bouini, die decimoquarto Iunij, vt refert Ferrarius: at in kalend. M. S. Longobardo notatur Marcus confeſſor die decimo tertio: in meo Martyrologio M. S. habeo; Nonis Octobris Ciuitate Ecanę S. Marci Epiſcopi, & Confeſſoris. Hoc ideo noto, vt lector, si quid certius ſibi occurret de Marco, & alijs S. Priſci socijs, adnotare valeat. Adiutor Cauæ die decimo ſexto Decembris:. Elpidius ab Atellanis Maij vigeſimoquarto: at in citato Kalend. M. S. Theſauri notatur die Maij vigesimoſexto, & hoc ipſo die agitur feſtum in Eccleſia Caſapulli: Tammarus Beneuenti Octobris decimoquinto: at in Breuiario noſtro notatur Ianuarij decimo ſexto, & hoc ipſo die agitur feſtum in Eccleſia propria. Canius Acherontiæ Maij vigeſimoquinto: Roſius, vt habet Kalend. M.S. ſeruatum à Patre Caracciolo, eiuſdem Maij decimoſexto. De Auguſto, Vindonio, & Eraclio, mihi lux nulla.

Legi fragmentum Actorum Sancti Elpidij Epiſcopi Atellani, & tempora in illis adnotata, Elpidio S. Priſci socio non conueniunt: dicitur enim vixiſſe Atellis Baſſo, & Philippo Conſſ. ideſt anno 408. at Priſcus, & socij, vt in Caſtrenſi notauimus, huc aduenit perſequutionis Vuandalicæ anno quarto, ideſt anno 442. vel 443. illa enim perſequutio cœpit ab anno 439 & permanſit vſque ad annum 534. quare vel duo diuerſi fuerunt Elpidij, vel, ſi vnus tantum cenſendus videtur, corrigenda eſt in Actis illa obſignatio temporum; & sine multo ſcrupulo, cum in Actis Sanctorum, quæ syncera in alijs ſunt, circa tempora ſæpèſæpius error deprehendatur: vt planè in his hiſce Actis S. Priſci, & sociorum,

rum, qui expulſi fuerunt ex Africa, & ſupra notatum eſt.

Legi Acta Sancti Canionis breuiter à Ferrario cõprehenſa, & ſocio Priſci Canioni non conueniunt: ille enim dicitur ab Angelo in Italiam ex Africa miraculosè translatus: at noſter naui vectus aduenit: ſed quia habeo in M.S. Paſſionem Sancti Canionis, & dicitur ibi paſſus, & mortuus fuiſſe Carthagine, facilè adduci poſſum, vt arbitrer corrigenda eſſe Acta relata à Ferrario; & quod ibi dicitur de voce Angeli, & de Angelo transferente Canionem, intelligendum ſit de Canione noſtro, qui, Angelo praeunte duce (vt dicit Breu.) ad locum ſibi deſtinatum acceſſit. Hæc dicta volo ſalua fide cuiuſuis, qui certiora poterit afferre.

## DE SS. ARISTAEO, ET ANTONINO MM. CAPVAE. *die 3. Septembris.*

MArtyrol. Rom. Tertio Non. Septemb. Capuæ Sanctorum Martyrum Ariſtæi Epiſcopi, & Antonini pueri. *Breuiar. de Ariſteo verbum nullum; de Antonino agit* IV. *Nonas Septembris, de quo Martyrologium quoque* IV. *Nonas agit: alter eſt ab Antonino puero, martyre Capuano.*

*In Romano Martyrol. emendato, quo nunc vtimur, habemus,* ANTONINI PVERI. In altero, antiquioris editionis, legebatur, *Antonini Adoleſcentis: & in alio antiquiori per magiſtrum Bellinum de Padua emendato;* In Capua Sanctorum Martyrum Antonini pueri annorum viginti, & Ariſtæi Epiſcopi, quorum geſta habentur. *Sine dubio agens vigeſimum annum dicitur Adoleſcens, & idem conſueuit appellari puer, quemadmodum (vt omittam profana) Dominus noſter Ieſus Chriſtus pueros appellauit Apoſtolos.*

*Extitiſſe horum Acta, teſtantur antiqua Martyrologia: ſed*

Digitized by Google

*ſed nũc nõ habemus niſi narratiunculã in Catalogo Petri de Natalibus, lib. 8. cap. 33.* Antoninus puer *(inquit)* & Ariſtæus martyres apud vrbem Campaniæ Capuam paſſi ſunt: qui Antonius, cum eſſet annorum decem, Ariſtæum ad fidem conuertit, cum quo poſtmodum tentus, & varijs ſupplicijs cruciatus, tandem ambo, cædente gladio, martyrij palmam conſequuti ſunt 3. Nonas Septemb. *Hæc apud Natalem. Noto hic Ariſtæum non dici Epiſcopum; ſed fuiſſe illum Epiſcopum ſine vlla dubitatione aſſerendum eſt: quia præter* Martyrol. Rom. *cuius auctoritas ſufficit vna præ cunctis, cætera etiam Martyrologia proteſtantur: & duo* M. S. *alterum Monaſterij noſtri Sancti Ioannis, & alterum* Caſſinenſe *habent totidem verbis.* 3. Nonas Septemb. Apud Capuam Natale Sanctorum martyrum Ariſtæi Epiſcopi, & Antonini pueri: *& Ado in Martyrologio:* Apud Capuam Natalis SS. MM. Antonini pueri annorum viginti, & Ariſtæi Epiſcopi, quorum geſta habentur. *Noto præterea, textum Natalis, quem exſcripſi, videri mendoſum in eo, quod habet Antoninum puerum conuertiſſe ad fidem* Ariſtæum; *& poſſet legi pro* conuertit, conuenit; *ſed nihilominus narratiuncula ſuſtineri poteſt, vt res plurium annorum perſtrinxerit, & Ariſtæus natu maior ab Antonino puero decem annorum ſit conuerſus ad fidem, & deinde ipſe idem Ariſtæus ſequentibus annis ſit creatus Epiſcopus, & tandem occiſus cum Antonino, qui tunc vigeſimum agebat annum. Neque mirum ſi puer dicitur conuertiſſe natu maiorem: nam, & ſancta Eugenia puella annorum ſexdecim, non dum baptizata, conuertit* Protum, *& Iacyntum Eunuchos: imò Sanctus Potitus* Calari *in Sardinia natus, puer, propter fidem à patre verberibus, & iniurijs affectus, patientia, & colloquio patrem conuertit: &* Potitus, *vtpotè puer, in antiquis litanijs inter Innocentes inuocatur.*



Digitized by Google

## DE SS. QVINTIO, ARCHONTIO, ET DONATO MM.

*die 5. Septembris.*

M*Artyrol. Rom.* Nonis Septemb. Capuæ SS. MM. Quintij, Archontij, & Donati. *De his in Breuiar. verbum nullum. Mihi occurrit annotandum, hunc, quem Martyrol. nominat Quintium, alibi nominari Quintum: Quintum nominat Rom. Martyrol. per Magiſtrum Bellinum de Padua, Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini emendatum: Quintum nominat* Petrus *Natalis in* C*atalogo lib. vndecimo, cap. vlt. num. 239. Quintum nominant totidem verbis Martyrologia M. S. Monialium* Sanctæ *Mariæ, Sancti Ioannis, & antiquiſſimum* Caſſi*nenſe: Quintum Ado in Martyrologio.*

## DE S. PAMPHILO EPISCOPO.

*die 7. Septembr.*

M*Artyrol. Rom.* VII. Id. Septemb. Capuæ Sancti Pamphili Epiſcopi. *In Breu. vix Pamphili reperitur nomen: vix (inquio) nam in* Kalend. *eſt notatum quaſi nomen ſancti alicuius exteri, non autem quaſi ſancti, qui* Capuæ *fuerit ſpecialiter cultus. Verba ſunt in* Kalend. Septemb. VII. Id. Reginæ Virg. & Mart. & Pamphili Epiſcopi, & Confeſſoris.

*Ego verò quod addam hoc tantum habeo, nempè in agro* C*alenenſi propè montē Maſſicum fuiſſe nomine* Sancti *Pamphili Eccleſiam, Cellam Caſſinenſem, & à* Ca*ſſinenſibus* Mona*ſterio Capuano* Monialium *Sancti Ioannis, quaſi à tempore fundationis eius addictā. Noui præterea Pamphili nomen à Capuanis vſitatum, id quod à ſancti deuotione deriuatum, admodum piè arbitrari debemus. Tandem legi*

*in quodam Inſtrumento Theſauri, quod ſcriptum eſt anno* 1284. *legi (inquam)* Quæ terra, & preſa, & caſa, & terra è preſa vacua ſunt, intus hanc Capuanam Ciuitatem in Parochiali Eccleſia Sancti Pamphili, & ipſæ ſimul, &c.

*Et in vna taſſa decimarum ann.* 1375. *tempore Stephani Archiepiſcopi, legitur.* Rectoria Eccleſiæ Sancti Pamphini in tarenis duobus. Pamphini. *Pamphinus autem pro Pamphilo corruptè pronunciatur. Et in Martyrol. monialiũ Sanctæ Mariæ vidi, & legi nomen Sancti Pamphili additũ margini caractere rubro. Quia Parochiales Eccleſiæ intra hanc Ciuitatem antiquæ, huc ex veteri Capua tranſlatæ fuerunt; Vixiſſe ſanctum Pamphilum ſtante illa veteri Ciuitate ipſe non dubito, nec alterius Ciuitatis, quàm Capuæ fuiſſe Epiſcopum affirmabo.*

*Eſt, qui ſcriptum reliquit, S. Pamphilum fuiſſe Epiſcopum Capuæ tempore, quo S. Stephani Conſtantinopoli Romam tranſlatio facta eſt. Quia verò, vnde rem antiquam acceperit, non exponit, ideo fides apud ipſum eſto.*

## DE S. MARCELLO, ET SOCIIS MM.
*die 6. Octobris.*

*Martyrol. Romanum.* Pridie Nonas Octobris Capuæ Natalis SS. Martyrum Marcelli, Caſti, Aemilij, & Saturnini. *Breuiariũ de Marcello agit, fuiſſe militẽ narrat. Profectò duo Marcelli extiterũt, alter de quo Martyrologiũ, & alter de quo Breuiariũ agit; tamen omiſſis tabulis, & cõfuſo nomine, iunioris eſt cõſeruata memoria, antiquioris aũt nomen Capuæ penitus ignoratur. Veniat ad lucem Marcellus antiquior, eius nomen à tenebris vindicetur. Igitur Marcellus, de quo Martyrologium agit, eſt Marcellus antiquior, non cingulo militari conſpicuus, ſed præsbyteratus ordine venerandus. Et planè Marcellum fuiſſe præsbyterum teſta-*

tur

Digitized by Google

*tur Galeſinus. Verba ſunt:* Capuæ Sanctorum *M*artyrum *M*arcelli præsbyteri, Caſti, Aemilij, Saturnini, Rogati, Antonij, & Auiti. *Teſtatur etiam Natalis lib. x1. cap. vlt. num. 275. Verba ſunt.* Marcellus præsbyter, Caſtus, Aemilius, & Saturninus Martyres, eodem die *(id eſt prid. Id. Octobris)* apud Capuam paſſi ſunt. *Accedit adhæc antiquiſſima pictura in Eccleſia Sancti Priſci, indicans Marcellum fuiſſe præsbyterum, vt infra oportuniori loco declarabimus.*

*Galeſinus habet Marcellum præsbyterum, & ſocios paſſos eſſe Antonino Imperatore.* Hic *Antoninus cognomento pius, nullum cõtra Chriſtianos edictum promulgauit: ipſo tamen imperante, magiſtratuum inuidia Chriſtianos nonnihil vexauit. At anno 154. & Imperij ſui 15. pro Chriſtianis plura dedit reſcripta. Quare Paſſionem* S. Marcelli, *& ſociorum ante ann. 154. & poſt ann. 140. contigiſſe oportet.*

## DE S. PAVLINO EPISCOPO CAPVANO.
### 10. *Octobris.*

M*Artyrol. Rom.* Sexto Idus Octobr. Capuæ S. Paulini Epiſcopi. *Breu. Cap. in Kalend.* Sexto Idus Octob. Paulini Capuani Epiſcopi dupl. *Et in Officio:* In Sancti Paulini Capuani Epiſcopi, & confeſs. Oratio. Propitiare quæſumus Domine nobis famulis tuis, per huius S. Paulini Confeſſoris tui, atque Pontificis, qui in præſenti requieſcit Eccleſia, merita glorioſa, vt eius pia interceſſione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis, per Dominum, &c. Lect. 1. Beati Paulini vitam, & obitum narraturus, ipſius glorioſa merita in adiutorium præuenio, vt qui de propria facultate diffido, ad ea, quæ præſentia feſta deſiderant, linguam expediant, enarrandum. Vt igitur lucerna ſui præconij clariùs elucefcat, qualiter in Capua-

nam Ciuitatem, & vnde venerit, enarremus. Lect. 2. Et quia vir ſanctiſſimus in omni vigilia ſui ſpatij per ſucceſſus temporum perfectus extiterat, meruit in fine ſui curſus audire: Euge ſerue bone, & fidelis intra in gaudium Domini tui: Nam ita puer in pueritia, & iuuenis in iuuentute extitit, vt ſenex modeſtiſſimus putaretur: Et virtutem illam caſtitatis, quæ vix in ſenibus inuenitur, ab ipſius pueritia in precioſo ſui corporis vaſe ſigillauit: Et ſtudijs liberalibus inhærens, gratiſſimè pauperibus ſcholaribus ſubueniendum cenſebat, vt his ſapientia repenſationem tribuat, qui pro ſapientiæ ſtudijs ſpontaneam ſuſcipiunt paupertatem. Lect. 3. Memor tamen illius verſiculi, quo dicitur, Initium ſapientiæ timor Domini; ſic illum amabat, quem timebat, & illum quærebat, quem amabat: quæſiuit Dominum, & inuenit eum. Tempore ſiquidem, quo ſtudia ſcholaſtica dereliquit, Hieruſalem terram ſanctam in Mundo iſto geſtiuit quærere, qui ſupernam Hieruſalem

A in animo reportabat. Sed antequam Britanniæ (A) natale ſolum reliquiſſet, res, quas de ſuo potuit capere patrimonio, ſic Chriſti pauperibus alacrè erogauit, vt meliùs cenſeretur præſtitum, quàm donatum. Cum paucis verò iter arripiens, ferè nudus crucem Domini tulit, & ſequutus eſt eum. Lect. 4. At vbi Capuam venit, defuncto bonæ memoriæ Radelberto Capuanæ Eccleſiæ Antiſtite, Clerus vnà cum populo eum retinuit, & in eadem Eccleſia ali-

B quantulū morans (B) ſermones velut pretioſum vnguentum, de ſuo vaſe fundere cœpit, & ſauciata corda quorundam hominum mederi, & ſancta prædicatione, & exēplo ab ipſorum ſceleribus releuare. Voluit ergo Dominus lucernam eius in alto ponere, vt luceat omnibus, qui in domo eius ſunt: Communi voto, vno conſenſu illum

C in Antiſtitem elegerunt, & conſecrandum (C) Romano Pontifici præſentarunt. Lect. 5. Vbi enim preſentatus fuiſ-

ſet,

ſet, cæpit vir Dei Prælaturam renuere, & honorem paſtoralem, vt onera maxima, euitare. Sed quia voluntati Dei reſiſtere humana voluntas non poteſt; conſecratus à Romano Pontifice; cum honore, & reuerentia maxima à Capuanis receptus eſt: ibiq; cum per octo annorum, & trium menſium curricula moraretur, tribus annis perſequutionem validam à ſchiſmaticis paſſus eſt. Lect. 6. In qua verò perſequutione non ceſſabat vir Dei ſemina bonæ prædicationis in eorum ſauciata corda ſpargere, vt è ſterili terra ſemina lucraretur cum fructu, & talentum, quod ei Dominus tradidit, potius ſpargere voluit, quam ſignare. Nũquam enim eis retributionem de tantis ſceleribus repenſauit, ſed interdum largiorem eis benignitatẽ tribuit, quàm his, qui amici videbantur; vt ante præſentiam tremendi Iudicis, & Domini poſſet fideliter decantare: Si retribui retribuentibus mihi mala. Lect. 7. Clericos, & eiuſdem Eccleſiæ, qui eius pretioſis operibus inuidiæ veneno aduerſari videbantur, honorabat, & ad ſanctam conuerſationem, tam verbo, quàm operibus inuitabat: Interdum quidem largiendo quod poterat, interdum vultum, & eloquentiam hilarem oſtendendo. Quodam verò tempore inualeſcente fame peſtifera, cæpit Sanctiſſimus Pater domos pauperum per vrbem viſitare, eis & alimonia non ſolum oneratis beſtijs, ſed & ſuis feſſis humeris aſportare, gratius munus reputans, quod labore datum ſit. Lect. 8. Contigit autem eodem tempore, quòd Matrona quædam cum tribus filijs ei obuiaret, ſuppliciter poſtulantes, vt eorum inopiæ ſubueniret. At cum vir Dei nihil niſi mulam, in qua equitabat, largiendum haberet, ipſam eandem mulam eis vendendam tradidit: & ferè per duo milliaria ad vrbem pedes reuerſus eſt. In quo facto attoniti ſunt ciues, triſtati inuidi, & gratulati ſunt, qui meditabantur in lege Domini die, ac nocte. Lect. 9. Nolens ergo Do-

minus

minus pretioſiſſimum confeſſorem ſuum inuidioſis mortibus obliuiſci, eum de hac luce ſubtraxit, & luci perpetuæ aſsignauit, vt qui ſpeculum, & lucerna fuit Eccleſiæ, luceat in domo Domini ſui, & de ſpe, & ſigillo ſuæ conuerſationis gaudeat ſucceſsiua poſteritas: de qua gaudent Angeli, lætantur Archangeli, gloriantur Prophetæ. Obijt igitur confeſſor beatiſsimus (D) ſexto Idus Octobr. cuius corpus collocatum eſt in Capuana Eccleſia, in qua (E) veneratur ab his, qui credunt Ieſum, qui eſt venerandus cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

## NOTATIONES.

A Britãniæ natale ſolum. *Qui legis S. Paulinũ ad loca ſancta peregrinationem aſſumpſiſſe, memineris Britannos antiquos Chriſtianos ad loca ſancta peregrinari conſueuiſſe. Teſtatur ſanctus Hieronimus Epiſt. 17. verbis illis:* Quicũq; in Gallia fuerit, primus huc properat diuiſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quætit locum, fama ſibi tantùm, & ſcripturarum relatione cognitum. *Teſtatur Sanctus Gregorius Turonenſis, qui de viro Britanno ita ſcribit:* Tunc Vinnocus Brito in ſumma abſtinentia venit Turonos, Hieroſolymam accedere cupiens, nullum aliud veſtimentum niſi de pellibus lana priuatis habens. Quem nos, quò facilius teneremus, quia nobis valdè religioſus videbatur, præsbyterij gratia honoramus. *Ita Gregorius; Baron. tom. 7. ann. 580. Obſerua quæſo Paulino contigiſſe, quod Vinnoco: nam vterq; cupiens viſere terram ſanctam, in itinere detentus eſt; ſed Paulinus in Epiſcopum, Vinnocus in præsbyterum eſt aſſumptus.*

B Sermones. *Qui legis Sanctum Paulinum viru doctum, & eloquentem à Capuanis detentum, & conſtitutum Epiſcopum, memineris ob aſsiduos Longobardorum motus, Italiam olim fœcundam ſcientijs, eſdem omnino ſterilem eſſe*

*reas-*

Digitized by Google

*reditam: adeò vt Agathoni Pontifici opus fuerit è Britannia Theodorum accerſere theologum, Baronius to. 8. anno* 680. *Quando ergo Italia à Longobardis occupata, ſcientias non excolebat, tūc Britannia doctiſſimis florebat viris, imò doctis etiam fœminis: nam S. Bonifacius ad prædicandum Germanis Euangelium à Papa Gregorio II. miſſus, miſit & ipſe in Angliam, & acciuit viros doctrina præſtantes, & fœminas quoque ſcientijs eruditas: inter quas S. Guneguldis, & filia eius, quarum ope gentiles fœminæ faciliùs conuertebantur, Baron. tom. 9. ann.* 725.

Romano Pontifice. *Quo tempore S. Paulinus Eccleſiæ* C *Capuanæ præfuerit, conſtat ex Herempto. Habet ille S. Paulinum obijſſe tempore, quo Lando Comes Capuanus habitabat Sycopoli, id eſt in Palumbara, apud Triſiſcum. Lando autem Comitatum accepit ann.* 845. *vel* 46. *Ergo ante hunc annum non obijt S. Paulinus. Quia vero ſedit Capuæ, oportet ipſum conſecratum fuiſſe à Papa Gregorio IV. qui fuit Papa ab ann.* 828. *ad ann.* 844.

*Sed quoniam de Radelperto Epiſcopo mentio habetur in hac vita S. Paulini, oportunum eſt, vt quoddam, quod ipſius eſſe credimus Epitaphium, referatur.*

Reſpledens nitida germen de prole parentum,
Hac clauſum niuea mole nitendo micat.
Altipotens cuius Iudex cum venerit Orbis,
Flos hinc perpetuus ſurget ad aſtra volans.
Dignanter dignis rutilans, qui moribus olim
Obtinuit dignum Pontificale decus.
Iſtius hic ſedis retinens, & iura potenter,
Eccleſiam hanc compſit cultibus ipſe nouis.
Perſpicuo argenti nam ſacrum altare metallo
Rufini eximij ſtruxit in omne decus.
Extulit altifluam præcelſo culmine turrim,
Qua reſonent horis ſigna ſonora ſacris

Red-

Reddidit, & pulchram templis, ac mœnibus arcem
Quæ ſita Vulturni amnis ad ora manet.
Templi huius pariter ſacro ſub culmine, Sancti
Caſtrenſis ſtuduit condere membra ſacra.
Erexit necnon præſens, quod cernitur altar
Illius ad nomen, atque dicauit ouans:
Percipere, & huius meritis precibuſque per æuum
Vt gaudens poſſet præmia celſa poli.
Inde etiam ſupplex eius ſociauit ad aram
Quem cernis tumulum, lector amande ſuum.
Si noſſe ſatagis cuius hic membra quieſcant
Grammatis indicio ſigna priora lege

*Hoc Epitaphiũ extat in Eccleſia Calenenſi, intra ſacellum Sancti Bernardi Epiſcopi, ſculptum in lapide. Totum duodecim lineis continetur: ſingulæ verò lineæ binos verſus, ideſt exametrum, & pentametrum habent. Simplicitas Calenenſium eſſe Epitaphium Sancti Bernardi, certò credit: at duo poſtremi verſus oſtendũt eſſe Epiſcopi* RADIPERT.

Si noſſe ſatagis cuius hic membra quieſcant
Grammatis indicio ſigna priora lege.

*Senſus eſt: cum in hoc Epigrammate multa digna narrentur, nec ullum nomen exprimatur, ſi tu lector ſatagis, & cupis noſſe, & certus eſſe, quiſnam ſit ille, cuius membra & corpus hic in hoc tumulo quieſcunt, & condita ſunt, lege, & coniunge ſimul ſigna priora & literas primas indicio grãmatis, vt indicat ſcriptura. Igitur hi verſus manifeſtè declarant, epigramma conſtare verſibus acroſtichis, ideſt verſibus, quorum primæ literæ collectæ, nomen efficiunt.* Colligantur *huius epigrammatis ex ſingulis lineis ſingulæ primæ literæ.* R. *A.D.I.P.E.R.T. E. P. I. S. & efficietur nomen Radipert. Epiſc. nempè Epiſcopus. Quare certiſſimum eſt hoc non eſſe Epitaphium S. Bernardi Calenenſis Epiſcopi. Fortaſſè eſt alicuius alterius Epiſcopi illius eiuſdẽ*

*Eccle-*

Digitized by Google

*Eccleſiæ? minimè quidem: habentur enim in Epitaphio multa, quæ Epiſcopo Calenenſi conuenire non poſſunt, vt taceam cætera, dicam quod clariſsimum eſt.*

Reddidit & pulchram templis, ac mœnibus arcem.
Quæ ſita Vulturni amnis ad ora manet.

*Hi duo verſus oſtendunt Radipertum condidiſſe Eccleſiam, & muros Arcis, quæ manet ſita ad ora amnis Vulturni, nempe Caſtri ſiti ad fauces fluminis Vulturni, ſiti inquam vbi Vulturnus influit in mare; quod ſine dubio eſt Caſtrùm Maris Vulturni: poteſtne hoc Epiſcopo Calenensi conuenire? quandonã Calenenſis Eccleſia Caſtri maris Vulturni dominium habuit? Conuenit hoc Epiſcopo Capuano, Capuana enim Eccleſia ab antiquiſſimò tempore (fortaſsè à tempore Conſtantini Magni) Caſtrum Maris Vulturni habuit in ditione ſua. Antiquiſsimum hoc Eccleſiæ Capuanæ dominiũ teſtatur vna ex tabulis illis intra Eccleſiam ſupra portam appenſis. Habet illa tabula formam Caſtri depictam cum inſcriptione.* Caſtrum Maris Vulturni, quod eſt demanium Eccleſiæ Capuanæ: *Ioannes Gabellinus lib. 5. Commentariorum Pij Secundi ſcribit Regem eripuiſſe Caſtrum è manu Ducis Sueſſani vt rem pertinentem ad Capuanam Eccleſiam. Itaque concludendum eſt Epitaphium eſſe Radiperti Epiſcopi Capuani: Sed quando, à quo, quaue occaſione lapis illuc tranſlatus fuerit, penitus ignoratur. At vero, dicet quiſpiam, cur hic Radipertus non dicetur fuiſſe Epiſcopus hic in noua Capua? Profectò quia hic veſtiuit argento Altare Sancti Rufini, & quia in culmine Eccleſiæ idest (vt credo) in aliqua parua cappella ſupra Tribunam corpus locauit Sancti Caſtrensis, & quia eidem Sancto Caſtrenſi conſecrauit Altare, propè quod ſuum ſepulchrum collocari voluit, & horum ne ſignum quidem, nec vlla prorſus traditio in Eccleſia noua Capuæ; Ideo libenter credo, hunc Radipertum fuiſſe Epiſcopum in Capua veteri, fuiſſeque nominatum*



Digitized by Google

*S. Paulini deceßorem. Neque hæſitandum ſi in Breuiario Radelbertus, & in Epitaphio Radipert. appellatur: in nominibus enim hiſce peregrinis literæ facilè mutantur. Cæterũ, & ſi Acroſtichorum vſus antiquiſsimus eſt, & Sibylla de Ieſu Chriſto vaticinium Acroſtichis ſcriptum extat; tamen eorum vſus apud nos in ſepulchralibus inſcriptionibus frequentior videtur fuiſſe in ſeptimo, & octauo ſæculo. Legimus apud Baron. ann. 657. Acroſtichos verſus, hoc reddentes nomen;* Eugenius Miſellus: *legimus apud Capacium in Hiſtoria Neapolitana Epitaphium ſimile, reddens* CAESARIVS Conſul. *& eſt ann. 793. & alterum reddens* STEPHANVS Conſul. *quod eſt ann. circiter 816. & aliud anno 835. reddens* BONVS Conſul. & Dux. *Illo igitur ſæculo conijcere poſſumus vixiſſe in Epiſcopatu Radipertum: & congruunt tempora S. Paulini qui viuebat ann. 840.*

D Sexto Idus Octob. *Hoc ipſo die decimo Octobris commemoratur S. Paulinus Eboracenſis Epiſcopus in Anglia, ob cuius deuotionem par eſt arbitrari, noſtro Paulino fuiſſe idẽ nomen impoſitum. Vide, in his etiam quæ minima videntur, quàm ſuauiter ſapientia diſponat omnia.*

E Veneratur. *Capuanis in ſumma veneratione Sanctus Paulinus ſemper fuit. Capella Theſauri, cuius ſub altari corpus eius conditum eſt, ab eius nomine titulum accipit: Recordamur, Theſaurario curante, campanas per octo dies ante feſtum Veſperi conſonare, & in feſti peruigilio lucernas in ſummo Campanili ardentes lucere: ſcimus, parentes pro impetranda ſalute ſuis ægris, & deſperatis infantibus, ante altare S. Paulini orare ſolitos, & oratione, vel etiam Miſſa aliquando peracta, infantem per altare, quod concauum, & à lateribus apertum eſt, manu Sacerdotis deduci conſueuiſſe. Nunc (heu quàm facilè iuxta prouerbiũ) Sanctorum veterum obliuiſcimur.*

DE

Digitized by Google

# DE S. VICTORE EPISCOPO.

## 17. Octobris.

MArtyrol. Rom. Sextodecimo Kalend. Nouembris Capuæ S. Victoris (A) Epiſcopi (B) eruditione, & ſanctitate conſpicui. A B

## NOTATIONES.

EPiſcopi. *In Aedibus quondam Domini Ioannis Hieronymi de Capua propè ſedile de Antiniano dictum, eſt Menianum prominens ſuper viam, cuius in pauimēto ſtratus lapis, hoc intra ſculptam coronam ſculptum habet Epitaphium:* VICTOR EPISC. SEDIT ANN. XIII. Dies XXXVIII. Depoſitus ſub Die IIII. Non. April. ANN. XIII. P.C. BASILI V.C. Indictione ſecunda. *Profectò annus decimustertius poſt conſulatum Baſilij eſt annus Chriſti* 554. *currens cum Inditione ſecunda: Ergo qui ineunte Aprili obijt, poſtquam ſedit tredecim annos, & dies triginta octo, aſſumptus iam erat ad Cathedram ann.* 541. *menſe Februario: & idcirco arguuntur erroris qui Victoris tempora ad an.* 560. *protrahunt: Qui vero collocant ad ann.* 527. *intelligendi ſunt, vt ſignificent, ab illo tempore Victoris nomen, vtpotè ſanctiſſimi, & eruditiſſimi viri, celebratum eſſe, licèt ipſe nondum eſſet Epiſcopus.* A

*Sed dicet aliquis: Epitaphium, & Rom. Martyrol. non conueniunt: in vno depoſitio notatur ad* IV. *Non. Aprilis; in altero Decimoſexto Kal. Nouemb. feſtum commemoratur. Leuiſſima dubitatio, quia in Martyrol. huiuſmodi diuerſitates paſſim occurrunt, neque temere: in inſtituendis enim Sanctorum feſtis, præter obitum, & depoſitionem, conſiderari ſolent inuentio, tranſlatio, reconditio, memoria ali-*

*cuius vel ſuſcepti tormenti, vel patrati miraculi; item conuerſio, ordinatio, canonizatio,* Baron. tom. IX. *ann.* 804. *num.* XI. *& id genus alia: quare deeſſe non potuit aliqua iuſta ratio, vt* S. *Victoris feſtum inſtitueretur die* 17. *Octobris, licèt depoſitus eſſet Aprilis die ſecundo.*

B Eruditione. *Eruditio* S. *Victoris commendata plurimum fuit ex reformatione Cycli paſchalis: Nam cum Victor Aquitanus, iubente Hilario* Papa *ann.* 463. *Paſchalem Cyclum compoſuiſſet; Victor noſter tempore Vigilij Papæ aduertens futurum, vt in celebrando Paſchate erraretur, Cyclum ipſe compoſuit, & ab Aquitano compoſitum emendauit. Quare cum anno* 550. *Chriſtiani de die* Paſchatis *controuerterent; obtentum eſt, vt iuxta Cyclum noſtri Victoris celebraretur ab omnibus: & in* Gallis *Quartum Aurelianēſe Conciliū ita obſeruandum primo* Canone *ſtatuit. De his Beda in lib. de ratione temporum; & computat annum poſt* Conſulatum *Baſilij nonum, qui erat annus Domini* 550. *& Victoris in Epiſcopatu decimus.*

*Præterea* S. *Victorem fuiſſe & latinè, & græcè apprimè doctum teſtatur Quatuor Euangeliorum conſonantia ab* Ammonio *Alexandrino congeſta, & ab ipſo in latinum tranſlata. Lubet hìc apponere Præfationem ipſius ad illud opus; vt quàm eximiæ eruditionis, & quàm ſynceræ fidei, quamque ſanctæ humilitatis fuerit, ſaltem ex parte cognoſcatur.*

## PRAEFATIO VICTORIS EPISCOPI CAPVANI.

DVM Fortuitu in manus meas incideret vnum ex quatuor, Euangelium compoſitum, & abſente titulo non inuenirem nomen Auctoris, diligenter inquirens quis geſta, vel dicta Domini, & Saluatoris noſtri Euangelica lectione diſcreta in ordinem, quo ſe conſequi videbantur,

Digitized by Google

bantur, non minimi ſtudij labore redegerit; Reperi Ammonium quendam Alexandrinum, qui canonum quoq; Euangelij fertur inuentor, Matthæi Euangelio reliquorũ trium excerpta junxiſſe, ac in vnam ſeriem Euangelium nexuiſſe: Sicut Euſebius Epiſcopus Carpiano cuidam ſcribens in præfatione editionis ſuæ, qua canones memorati Euangelij edidit, ſupradicti viri imitatus ſtudium; refert in hunc modum. Ammonius quidam Alexandrinus multum, vt arbitror laboris, & ſtudij impendens, vnum ex quatuor nobis reliquit Euangelium. Ex hiſtoria quoq; eius comperi, quòd Tacianus vir eruditiſſimus, & Orator illius temporis clariſſimus, vnum ex quatuor compaginauerit Euangelium, cui titulum Diapente impoſuit. Hic Beati Iuſtini philoſophi, & martyris, dum aduiueret, diſcipulus fuit. Quo migrante ad Dominum, cum palma martyrij magiſtri ſanctam deſerens diſciplinam, & doctrinæ ſupercilio elatus, lapſus in Eucratiatarum hæreſim, Marcionis potiùs amplexus errorem, quàm Iuſtini Chriſti philoſophi veritatem, ſuæ vitæ pernicioſus extitit, aſſerens inter alia nuptias, & ſtupra pari crimini ſubiacere. Sed & dictis apoſtolicis manus profanæ emendationis, vel (vt dicam veriùs) corruptionis dicitur intuliſſe. Sed quia & hominum perfidorum (Chriſti Dei noſtri operante potentia) confeſsione, vel opere ſæpè triumphat gloria veritatis: nam, & dæmones Chriſtum fatebantur, & filij Sceuæ in Actibus Apoſtolorum in nomine Ieſu, quem Paulus prædicaret, dæmonia fugebant; Tacianus quoque, licèt profanis implicitus erroribus, non inutile tamen exhibens ſtudioſis exemplum, hoc Euangelium (vt mihi videtur) ſolerti compaginatione diſpoſuit. Et forſitan adhuc Beati Iuſtini adhærens lateri, illius eruditionis merito hoc opus explicuit. Arbitror enim propterea non Ammonij, ſed huius eſſe editionem memorati voluminis, quod Ammonius

nius Matthæi fertur relationi, Euangeliſtarum reliquorũ relationem, diſcretos annexuiſſe ſermones: Hìc verò Sancti Lucæ principia ſunt aſſumpta, licèt ex maxima parte Euangelio Sancti Matthæi reliquorum trium dicta coniunxerit: vt iure ambigi poſsit, vtrum Ammonij, an Taciani inuentio eiuſdem operis debeat æſtimari. Verumtamen vel ſi iam hæreſiarches huius editionis auctor extitit Tacianus; verba Domini mei cognoſcens, libenter amplector interpretationem: ſi fuiſſet eius propria procul abijcerem: nam, & contra Gentes magnificos libros edidiſſe narratur. Hoc igitur Euangelium cum abſque numeris reperiſſem, quos Ammonius mirabili ſtudio reperit, Euſebius vero Cæſareæ Epiſcopus Palæſtinæ, ab eo accipiens exemplum, diligenter excoluit, quibus communiter ab Euangeliſtis dicta, vel propria, ſunt notulis declarata, Domino adiuuante ſtudium laboris impendi, vt memoratos numeros per loca congrua diligenter adfigerem. Quod ſi dubitatio alicuius verbi fortaſſe prouenerit, ex appoſitis numeris ad plenariam recurrens quilibet Euangelij lectionem, an & ibidem ita ſe ſermo habeat, de quo ambiguitas prouenerat, incunctanter inueniat. Et abſque ſcrupulo ſtudioſi mens ſecura hoc poſsit vti volumine. Quod etſi à compoſiti huius Auctore voluminis cum numeris editũ fuit, ſed tranſcribentium deſidia omiſsi putantur; Nos tamen in eo ſumus labore verſati, quo opera ſolet nouella præſumi. Sciendum ſanè, quòd hic numerus canonicus vſque ad denariam perueniat quantitatem. Neq; ſcribentis voluntate horum numerorum ſumma defixa eſt, ſed ratione, & regula naturali ab Ammonio inuenta eſt ſagaciter. Neque enim aut infra denarium, aut vltra poterit vllo modo alius numerus reperiri, qui quatuor Euangeliſtarum dicta communia, aut propria valeat explicare. Quod præſenti facilè poteſt exemplo probari. Nam aut omnes

qua-

Digitized by Google

quatuor ſibi concordare neceſſe eſt; aut Matthæus, Marcus, Lucaſq; ſibi conueniunt; aut Matthæus, Ioanni conſentit; aut Matthæus, Lucæ concordat; aut Matthæus cum Marco, eadem loquitur; aut Marcus cum Luca, & Ioanne propria loquitur; aut Marcus cum Ioanne; ſimilibus loquitur; aut Marcus cum Luca eadem narrat; aut Lucas cum Ioanne non diſcrepantia referunt; aut ſinguli propria inueniuntur exponere. In quatuor igitur Euangeliſtis, euidenti numerorum ratione monſtratum eſt, quòd non valeat communis, propriaque relatio vltra progredi, aut intra denariam contrahi quantitatem. Quos tamen canones breuiter ſubter adnexui, quibus vnuſquiſque canon numeris declaretur, vel vt manifeſtius fiat in quo canone, qui Euangeliſtæ communia, vel propria dixerint, facilè lector inueniat. Ordinem verò, quem in canonum ratione digeſsimus, ad hoc exeruimus, vt ſola probatio fieret rationabiliter denarij ſummam fuiſſe conſcriptam. Nam quæ ſit eorum poſitio breuiter, vt diximus, infra notare curauimus. Ipſos quoque numeros in vnum pariter congregatos, in modum, quo eos S. Hieronymus digeſsit, curaui deſcribere: iuxta ſeriem dũtaxat, qua totius Euangelij huius lectio explicatur, vt qui eadem, vel alia, aut vbi propria Euãgeliſtæ ꝓtulerint (memoratos numeros priùs curioſus lector, ſi velit, inſpiciens) facilè ex nota numeri reperta comprobet lectione: Sanctam, & Beatiſsimam Trinitatem precantes, vt nos in veritate ſcripturarum ſuarum erudire dignetur, & diſcretionis gratiam tribuat: quatenus vt optimi trapezitæ, omnia probemus, ſecundùm Paulum, & quæ ſunt bona ſectemur. *Hactenus præfatio.*

*Re vera hæc harmonia quatuor Euangeliſtarum eſt opus Ammonij Alexandrini, vt titulus impreſſorum codicum præfert, & pluribus docet* Baron. *tom.* 2. *ann.* 174. *nu.* VI. *Miror autem carpi, & argui S. Victorem ac si Tatiano*

*tribue-*

Digitized by Google

*tribuerit opus Ammonij, & Ammonio Tatiani. Miror quia S. Victor non tribuit firmiter aſſerendo, ſed ex probabilibus coniecturis arbitrando, tandemq; arbitrium deponit ſuum, & rē à principio ſibi dubiā, dubiā relinquit verbis illis:* Vt iure ambigi poſſit, vtrum Ammonij, an Tatiani inuentio eius operis debeat exiſtimari: *& concludit.* Verumtamen, vel ſi iam hæreſiarches huius editionis auctor extitit Tatianus, verba Domini mei cognoſcens, &c. *particula illa* VEL SI, *mihi ſignificant* ETIAM SI, ESTO; *& parum candide* DATO QVOD; *Italicè* POSTO CHE, ANCHOR CHE. *quæ ſunt particulæ aliquid concedentis, non tamen firmiter aſſerentis. Quare non arguendus* S. *Victor, quòd opus vnius alteri tribuerit: arguendus potius eſſet, quòd dubitauit (ſi quis tamen iudicabit illum abſque iuſta cauſa dubitaſſe) vtriuſnam eſſet opus, Ammonijne, an Tatiani.*

*Hoc tantùm habemus doctiſſimi viri monumentum: lucet in ſtylo non elato ſuauis quædam humilitas, digna Chriſtiano* Doctore: *erudita diligentia in ſacris voluminibus euoluendis: plena zelo fides, hæreticorum libros abhorrens, &* Chriſti *verba vbique inuenta omni veneratione ſuſcipiens: lucent hæc ipſa in præfationis Epilogo: ex humilitate indigentem ſe gratia diſcretionis agnoſcit: ex fide ſanctam, & beatiſſimam Trinitatem confitetur: ex eruditione noua ſemper ſtudioſitate in ſcripturis magis, magiſque proficiendi deſiderium capit.*

C Et Sanctitate. *Beda in lib. de ratione temporum, appellat Victorem ſanctiſſimum, & doctiſſimum.* Profectò *Victorem eſſe ſanctum, ideſt Catalogo Sanctorum adſcriptum, docet Martyrol. Romanum, cuius auctoritas ſufficere debet vna pro cunctis: neque mirum ſi in Epitaphio ſanctus non appellatur, id enim argumento eſt, mox poſt obitum eius Epitaphium eſſe poſitum, iuxta illorū temporum candidam*

ſimpli-

ſimplicitatem: exempla non deſunt, tale eſt Epitaphium S. Latini Epiſcopi Brixienſis.

FL. Latino Epiſcopo AN. III. M. VII. Præsbyt. Ann. XV. Exorc. An. XII. & Latinellæ, & FL. MACRINO Lectori. FL. PAVLINA Neptis B. M. P. ex Ferrario 25. Mar. in ſuo Catalogo. Tale eſt Epitaphium ſanctæ Candidæ Neapolitanæ: Hic requieſcit in pace Candida G. F. quæ vixit plus minus Annos L. ob. die III. Sept. IMP. Mauritio PP. Auguſto PP. eiuſdem Indict. IV. ex Ferr. 4. Sept. Tale eſt S. Auguſtini Epiſcopi Dorouernienſis in Anglia apud Baron. an. 604. Imò tale eſt Epitaphium ſancti Gregorij Magni Papæ apud eundem Baron. 604. Hic requieſcit Cregorius Papa, qui ſedit an. tredecim, menſes ſex, dies decem: depoſitus quarto Id. Martij: & ſancti Gregorij Hiſpalenſis apud eund. ann. 544. Magis mirum eſſe poteſt in noſtro Breuiario Capuano nullam prorſus vel de nomine ſancti Victoris mentionem haberi: at ego propterea non miror, ſed maximè doleo, & deploro iacturam tabularum Eccleſiæ noſtræ Capuanæ: planè non credam Romani Martyrologij recognitores caſu, vel temerè Victoris nomen in Martyrolog. inuexiſſe: quod in noſtro Breuiario non inuenitur annotatum nomen; alibi inueniſſè illos oportet. En etiam Galeſinus in ſuo Martyrolog. ex tabulis Sanctorum Eccleſiæ Capuanæ (vt ipſe inquit in nota) habet Decimo ſexto Kalend. Nouemb. Capuæ ſancti Victoris Epiſcopi, & Confeſſoris, doctrinæ, & ſanctarum virtutum meritis ornati.

Non prætermittam in Epitaphio ſancti Victoris numerari annos, & dies ſupra triginta, id quod antiquo mori non conſonat: In antiquis enim Epitaphijs & anni, & menſes, & dies diſtinctè notantur: ſed profectò tunc dies, & menſes diſtinctè notantur quando dies menſes duos excedunt; quod ſi non niſi vnum, licere tunc vel tacito menſe,



Digitized by Google

*dies ſupra triginta annumerare; vel, expreſſo menſe; qui ſupererant dies annotare. Ecce exempla ſunt in promptu.*

D. M.

Caio Valerio. C. F. Eumorphiano, Vitæ ſuæ annum agenti xxi. M. I. D. iv. Valerius, & Sempronia parentes miſeri Filio ſanctiſſimo, & Reuerentiſſimo fecerunt. *ex Capacio Hiſt. Neap. lib. 1. fol. 352.*



FL. Iouina quæ vixit annis tribus. D. xxxii. Depoſ. Neofita in pace xi. Kalend. Octob. *ex Baron. to. 4. 367. Quare Epitaphium* S. *Victoris ab antiquo more non diſſonat.*

*Tandem à D. Mario Vipera Archidiacono Beneuentano factus ſum certior in Monaſterio Montis Virginis eſſe corpus ſancti Victoris Epiſcopi Capuani; eundẽq; annuo ibi coli officio: & ego in hiſtoria eiuſdem Monaſterij ſcripta à Domino Vincentio Verace, & à Thoma Coſto diſpoſita, in capite, in quo eſt Catalogus Abbatum, legi tempore Ioannis de Aragonia Commendatarij anno* 1480. *die* 27. *Iulij ſub altari maiori illius Eccleſiæ inuentas eſſe reliquias plurium Sanctorum, & inter illas, reliquias ſancti Victoris Epiſcopi Capuani.*

## DE S. GERMANO EPISCOPO CAPVANO
### 30. *Octobris.*

R*Om. Martyrol.* III. Kalend. Nouemb. Capuæ ſancti Germani Epiſcopi, & Confeſſoris, magnæ ſanctitatis viri, cuius animam in hora obitus eius ab Angelis in cœlum ferri S. Benedictus aſpexit. *Breuiarium Capuanum*

*in*

*in Kal. rubris notis* III. Kalend. Nouemb. Germani Capuani Epiſcopi, & Confeſſ. dupl. *& in Officio lectiones ex textu, qui incipit* Campaniæ tellus: *& quoniam lectiones integrum textum non referunt, nos illum ex* C. M. S. *Monaſterij ſancti Ioannis integrum exſcribimus.*

Campaniæ tellus ſicut ad proferendos multimodi generis fructus opima eſt, ita ſingulis quibuſq; temporibus, cœleſtis verbi fœcundata ſemine, probabilis vitæ viros, ceu multiplicem ſegetem produxit: de quorum collegio beatiſſimus Germanus, quaſi quoddam ſplendidiſſimum ſydus terris inditum, virtutum omnium epitome prædi- tus, ad culmen vſq; ſanctitatis enituit. De cuius vita, vel actibus, quia nonnulla ad noſtram memoriam ſcriptorum ſeries, quibuſdam deferentibus, detulit, ea ſtylo proprio collecta depegi, illa quoq; nihilominus ſuis in locis adijciens, quæ de hoc egregio viro Beatus Papa Gregorius ſuauiſſimus, ac præclarus Doctor in ſuis Dialogis retulit, ita ea, vt ab ipſo fuerant digeſta, interſerens. Beatus igitur Germanus patre AMANTIO, matre IVLIANA, Capuanis ciuibus editus, clariſſimis admodum, & iuxta ſæculi dignitatem potentibus, non ſine quodam præſagio tale ſortitus eſt nomen, quippè mox futurus qui germana cunctos charitate diligeret. Denique à puero cunctis laudabilis vitæ bonis, ſed charitati præcipuè, quæ bonorum omnium radix eſt, ſtudens, qua intentione Dei amore flagraret, in proximi cœpit dilectione non ſegnis oſtendere: Nam cum ad omnes mira puritate ſuæ charitatis ramos extenderet, ſummo ſtudio alendorum cœpit pauperum ſe curis impendere, eiſq; tegmina, vel quæq. eſſent neceſſaria, prouidere. Factum eſt autem, vt eius genitor AMANTIVS, de hoc ſæculo migrans, in ditione filij totas ſuas relinqueret facultates. Germanus verò cum matre vidua remanens, cœpit genitricis animos de mundi



Digitized by Google

contemptu, rerumq; omnium abiectione pertentare. Quid plura? Aſſenſum cœleſtia ſuadenti filio bona mater accommodans, Germani arbitrio quidquid velit facere, committit, ſe nihilominus ad omnia obſequuturam promittens. At ille, qui largiflua effuſione opum ſuarum priùs fructus expenderat, ad hoc vſq; gradatim excreſcendo progreſſus eſt, vt cunctarum ſuarum rerum patrimonium venderet, ſuſceptumq; pretium per Chriſti pauperes diſpenſaret, imò ipſi in pauperibus Chriſto tribueret. Nec paſſus eſt partem ſolummodo præbere, niſi totum etiam pro æternæ vitæ retributione amitteret: reputans illud apud animum ſuum pro perdito haberi, quod non in cœleſtis gazofilacij clauſtro poſuiſſet. Tali igitur modo ſæculi iſtius impedimentis exutus, cœpit tantò iam liberius cęleſtis tramitis viam currere, quantum ei nihil de mundi ambitione ſuperaret, quo potuiſſet retardari: inſiſtere ſanctæ lectioni, vacare orationibus, dare operam vigilijs, macerare corpus ieiunijs, Deo ſe ſemper continuæ compunctionis vſu hoſtiam exhibere. Qui dum talibus exercitijs vitam duceret, defuncto Alexandro eiuſdem Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopo, conſenſu omnium ad Pon-
A tificale (A) decus eligitur. Et licet conatus pro humilitate ſit totis obſiſtere viribus; Domini tamen volũtas, qui eum ad hoc ipſum præparauerat, impleta eſt: Præſulatuſq; honorem cunctis annitentibus ſuſcepit. Sublimatus itaque Epiſcopali dignitate, talem ſe ſubiecto cępit gregi exhibere, vt excepta paterna, quam ſummo ſtudio peragebat, pro animabus ſibi commiſſis ſolicitudine, de cætero ſe cunctis communẽ, & quaſi in nullo diſparem conſeruum præberet: Illud opus familiariter ſibi, cui ab ineunte ætate ſtuduerat, pauperum ſcilicet curam, nulla interpoſitio-
B ne relinquens (B) Eodem tempore cum apud Vrbem Romam, ac totius Italiæ terminos Theodoricus regnaret,

& tam

& tam genti propriæ, hoceſt Gothis, quamque & Romanorum populo iure poteſtatis præeſſet, extincto apud Conſtantinopolim ictu fulminis Imperatore Anaſtaſio, qui ſe & multos illarum regionum populos Eutycianæ hæreſeos macularet contagio; Iuſtinus Dei Omnipotentis nutu, catholicæ ſeruator religionis, ſuſcepit Imperium. Hic cum reintegrandæ vniuerſalis fidei ſolicitudinem gereret, Romam ad beatum Hormiſdam, tunc eiuſdem vrbis Pontificem, legatos miſit, per quos etiam ei ſuæ credulitatis textum direxit ſumma (C) intentione efflagitans, vt ſibi eruditiſsimos catholicæ aſſertionis viros dirigeret, quatenus languentem Græciam præfatæ hæreſeos illuuione purgaret. Habito itaq; Romanus Pontifex cum Theodorici Regis nutu ſacerdotali concilio; quis potiſsimum ad deferenda Orientalibus populis ſalutis monita mitteretur, omnibus hæc ſententia placuit, neminem alium huiuſcemodi legationis poſſe digniùs implere officium, quàm Germanum Capuanæ Ciuitatis Epiſcopum. Euocatur continuò venerabilis ad vrbem Antiſtes: Nec mora (D) acceptis in comitatu duobus Romanæ Eccleſiæ præsbyteris, duobuſque Diaconibus, iter arripuit. Quanta autem in hoc itinere marinorum fluctuum pericula ſuſtinuerit, quibus diſcriminibus exagitatus ſit, breuitati ſtudens omitto retexere: Quæ tamen ille cuncta lætanti animo pertulit, dummodo animarum periculis ſubueniret: nec veritus eſt qualecumq; corporale ſubire diſpendium, qui anhelabat turbatarum mentium propulſare naufragium. Tandem (E) cum ad Regiam vrbem propinquaſſet, tanto omnium amore, ac veneratione habitus eſt, vt ei obuiam Iuſtinus Auguſtus, ſtipatus innumera exercitus ſui multitudine, non ſolùm cum ſacerdotali cætu, ſiue (E) Ioanne eiuſdem Eccleſiæ Præſule; ſed etiam cum monachorum, cæterorumq; religioſorum turmis occurreret, ac eum

C

D

E

E

cum

Digitized by Google

cum hymnis, ac ſpiritualibus canticis per aliquot millium ſpatia in vrbem vſque cum exultatione perduceret. Tanta itaque beatiſſimo Germano diuinitùs gratia collata eſt, vt licet Acacij complices, qui dejectus de Epiſcopatu eiuſdē Regiæ vrbis fuerat, reniti tentauerunt; omnes tamen pariter ad Catholicæ fidei ſplendorem, relictis errorum tenebris, remearent. In quibus rebus quantum vel ſcientiæ,
F vel ſanctitatis luce (F) beatus tunc Germanus claruerit, ſi quis ſolicitè attendat, euidenter agnoſcit. Vtrum ſanè tantus hic vir aliquorum miraculorum ſignis effulſerit, ad noſtram vſque notitiam vetus minimè fama perduxit. Sed quid exteriorum operum mirabilia quærimus, cum de interioribus miraculis, quæ vtique præſtantiora ſunt, certitudinem teneamus? Cum ſcilicet longè excellentius ſit defunctam peccati morte animam ſalutari verbo reſuſcitare, quam extincto corpori vitam reſtituere. Quot ergo animas venerandus iſte ab æterna morte ſalutifero dogmate eripuit, tot glorioſior miraculis, quaſi exteriora ſigna effeciſſet, apud internum Iudicem exiſtit. Quamuis in hac relatione, quæ de Paſchaſio Romanæ vrbis Diacono ſubiungenda eſt, magnum huius viri miraculum, meritūq; declaratum ſit in eo, quòd eiuſdem miniſtri animam vel videre potuerit, vel pro eius remiſsione diuinam miſericordiam obtinere. *Greg. Dial. lib. 4. cap. 40.* Paſchaſius denique Apoſtolicæ Sedis Diaconus, cuius apud nos rectiſsimi, & luculenti de Sancto ſpiritu libri extant, miræ ſanctitatis vir fuit, eleemoſynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui: ſed hic in ea contentione, quæ inardeſcente zelo fidelium inter Symmachum, atque Laurentium facta eſt, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit, & omnium poſt vnaminitate
G ſuperatus, in ſua tamen ſententia vſque (G) iuxta diem ſui exitus perſtitit, illum amando, atque præferēdo, quem

Epiſco-

Digitized by Google

Epiſcoporum iudicio præeſſe ſibi Eccleſia refutauit. Hic itaq; cum temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis præſulis eſſet defunctus, eiuſdem dalmaticam feretro ſuperpoſitam dæmoniacus tetigit, ſtatimque ſaluatus eſt. Poſt multum verò temporis Beato Germano medici pro corporis ſalute dictauerunt, vt in Angulanis (H) Thermis lauari debuiſſet: Qui ingreſſus eaſdē Thermas, prædictum Paſchaſium Diaconem ſtantem, & obſequentem ſibi in caloribus inuenit. Quo viſo, vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſiuit. Cui ille reſpondit: Pro nulla alia cauſa in hoc pęnali loco deputatus ſum, niſi quia in parte Laurentij contra Symmachum ſenſi: ſed quæſo te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognoſcas, quod exauditus ſis, ſi hùc rediens, me non inueneris. Qua de re vir Domini Germanus ſe in precibus ſtrinxit, & poſt paucos dies redijt: ſed iàm prædictum Paſchaſium in loco eodem minimè inuenit: in quo facto patenter datur intelligi quanti apud Dominum venerabilis Germanus meriti extiterit, qui etiam ſolutam corpore animam potentibus precibus à reatu valuit noxæ emundare. H

Sed iam veniamus ad eius Obitum glorioſum, & auditu mirabilem, cui ſimilem, in quantum recordari poſſumus, nulla vnquam vetus lectio prodidit: in quo & manifeſtè ſanctorum animas, mox vt carne exuuntur, cœlum penetrare monſtratur: & cum quanta illùc gloria ab Angelis deferantur, oſtenditur: tantoque hoc ipſum teſte vulgatum ſit, vt de hoc dubitare quis, vel etiam infidelis, nullatenus poſsit. Igitur dum beatiſsimus Germanus ambulans de virtute in virtutem, ſuccreſceret, iamq; ad grandæuam, plenus, vt ſcriptura refert, dierum, hoceſt bonorum operum perueniſſet ætatem, relictis huius mundi turbinibus, ad cæleſtis Regni gaudia felix migrauit: cuius

admi-

Digitized by Google

admirabilem in cœlis aſcenſionem, Beatus pater Benedi-
dictus penè quinquaginta millibus ab eo longè diuiſus,
ſpirituali intuitu contemplatus aſpexit. Quod vt plenius
poſsit agnoſci, ipſe de eiuſdem Patris vita narrationis or-
do ponendus eſt. *Greg. Dial. lib. 2. cap. 25.* Quodam
itaque tempore Seruandus Diaconus, atque Abbas eius
Monaſterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quon-
dam Patricio fuerat conſtitutum, ad venerabilem Benedi-
ctum, viſitationis gratia, ex more conuenerat, eius quippè
Monaſterium frequentabat, vt quia idem quoque vir do-
ctrina gratiæ cœleſtis affluebat, dulcia ſibi inuicem vitę ver-
ba transfunderent, & ſuauem cibum cœleſtis patriæ, quia
adhuc perfectè non poterant, ſaltem ſuſpirando guſtarent.
Cum verò hora iam quietis exigeret, vt membra ſopori
concedere debuiſſent; turris erat in medio poſita, quæ
ſuper totius habitaculi tectum imminebat, in cuius turris
ſuperioribus ſe vir Domini Benedictus, in eius quoque
inferioribus Seruandus Diaconus collocauit. Quo vide-
licet in loco inferiora ſuperioribus peruius continuabat
aſcenſus: ante eandem verò turrim largius erat habitacu-
lum, in quo vtriuſque diſcipuli quieſcebant. Cumque
vir Domini Benedictus, ad huc fratribus quieſcentibus,
inſtans vigilijs, nocturnæ orationis tempora præueniſſet,
ad feneſtram ſtans, & omnipotentem Dominum depre-
cans, ſubito intempeſta noctis hora reſpiciens, vidit fuſam
lucem deſuper, cunctas noctis tenebras effugaſſe, tantoq;
ſplendore clareſcere, vt diem vinceret lux illa, quæ in te-
nebris radiaſſet. Mira autem valdè res in hac ſpeculatione
ſequuta eſt: quia, ſicut poſt ipſe narrauit, omnis etiam
mundus, velut ſub vno ſolis radio collectus, ante oculos
eius adductus eſt. Qui venerabilis Pater, dum intentam
oculorum aciem in hoc ſplendore coruſcæ lucis confige-
I ret, vidit (I) Germani Capuani Epiſcopi animam in ſpera
ignia

Digitized by Google

ignea ab Angelis in cœlos deferri. Tunc tanti ſibi teſtem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis, terque eius nomine, cum clamoris magnitudine vocauit: cumque ille fuiſſet inſolito tanti viri clamore turbatus, aſcendit, reſpexit, partemq; iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obſtupeſcenti miraculum, vir Dei per ordinem quæ fuerunt geſta narrauit, ſtatimque in Caſſinum Caſtrum religioſo viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbem ſub ea nocte tranſmitteret, & quid de Germano Epiſcopo ageretur, agnoſceret, & indicaret. Factumq; eſt; & reuerentiſſimum virum Germanum Epiſcopum, is, qui miſſus fuerat, iam defunctum reperit: & jnquirens ſubtiliter, agnouit eodem momento fuiſſe illius obitum (K) quo vir Domini eius cognouit aſcenſum: quod omnipotens Deus, ideo voluit tàm idoneo teſte manifeſtari, vt cunctis patenter innoteſceret, quia magnũ quoddam venerandus hic in ſuis abditis egerit. Ecce quanta ſublimitatis gloria à mundo exijt, qui toto mentis conamine mundi peritura deſpexit: Ecce quàm coruſcus, & ſplendidus cœlũ petijt, qui in terris corpore poſitus, mente continuò cœleſtibus inhæſit: en qui flammis charitatis in Dei ſemper, & proximi amore flagrauit, quanto luminis fulgore circumfuſus cœli ſecreta penetrauit: en qui retentus adhuc carnis vinculo, ſupernis ciuibus corde interfuit, quanta miniſterij dignitate ad ſupernæ patriæ regna ſubuectus eſt. Quæ vnquam mundana ſublimitas, quæ regnantiũ fallax gloria, huic valet veræ gloriæ comparari? quæ triũphantiũ pompa tyrannorum huic poterit vel aliquatenus triumpho conferri? illi auratis inuecti curribus, perituri in perpetuũ, vrbibus inferuntur; iſte deportatus ab Angelis, cœlo perenniter fruiturus immittitur: illi multorũ mortibus truculenti ad æterni ſupplicij tenebras pertrahuntur; iſte, pluribus à morte liberatis, ad æternæ lucis

O quie-

quietem perducitur: illos poſt fluxæ voluptatis lætitiam fleturos ſine fine inferna deglutiunt, iſtum poſt abſtinentiam, & lamenta, nunquam finienda gaudia ſuſceperunt.

## NOTATIONES.

A AD Pontificale decus, &c. *Sanctum Germanum Epiſcopali munere, & in rebus agendis dexteritate conſpicuum Platina in Gelaſio commendat hiſce verbis:* Fuere etiam in primo huius Pontificis tempore Germanus, & Epiphanius: quorum alter Ticinenſis, alter verò Campanus Epiſcopus fuit. Hi multum auctoritate, & ſanctitate ſua Italiam à Barbaris vexatam iuuere, orationibus, & blandicijs barbarorum corda mollientes.) *Hactenus Platina; Et licet dubitari poſſit, an in verbis recte facta ſit, diſtributio grammaticalis; tamen iuxta veritatem hiſtoricam certum eſt, alterum, id eſt Germanum fuiſſe Capuanũ Epiſcopum; & alterum, id eſt* Epiphanium *fuiſſe Ticinenſem, de quo Baronius tom. 6. anno* 489. *Ergo cum Gelaſius Eccleſiam rexerit ab anno* 492. *ad* 96. *intra illud tempus, vel paulò ſupra, ex ſententia Platinæ, ipſius Germani* Epiſcopi *exordia conſtituẽda ſunt. Anno* 483. *Capuæ Præſul erat Coſtantinus, vt in Papæ Felicis præcepto, ſeu prima epiſtola ſynodica* Concil. *tomo* 2. *pag.* 287. *Conſtantino ſucceſſit Alexander eiuſdem Papæ Felicis tempore: Alexandro ſucceſſit Germanus.*

B Eodem tempore. *Baron. ann.* 497. *dicit ab Anaſtaſio Papa miſſum eſſe Germanum cum Creſconio Epiſcopo Tudertino ad Anaſtaſium Imperatorem, vt ille Princeps hæreticus ad meliorem frugem reuocaretur. Sed cum anno* 499. *ſub Symmacho Conſtantinus Capuanus Epiſcopus Romano Concilio ſubſcripſerit; arbitror Epiſcopi Tudertini collegum eſſe alterum Germanum, à noſtro.*

Sum-

Digitized by Google

Summa intentione efflagitans. *Hiſtoriam legationis ab Hormiſda Papa miſſæ, Paulus Diaconus in Iuſtino paucis comprehendit:* Ad hunc (*inquit*) ob cauſam reintegrandæ fidei directus ab Hormiſda Pontifice vir ſanctitatis præcipuus Germanus, Capuæ vrbis Epiſcopus: Dignè ſuſceptus eſt, multorumque dubia corda in fide ſolidauit. *Eandem hiſtoriam narrat Anaſtaſius in* Hormiſda, *& Germanum Epiſcopum Capuanum dicit ab* Hormiſda *miſſum. Eiuſdem legationis ſit mentio in vita* S. *Remigij apud Surium* 13. *Ianuarij, vt infra: at vero Bar. tom* 6. *an.* 519. *fusè proſequitur, & ex illis apparet eſſe in noſtro textu leuia quadam errata. Et planè mortuo Symmacho Hormiſda ſucceſſor, ſui Pontificatus anno ſexto, ideſt anno Domini* 519. *cum poſt longam diſſenſionem Orientalis Eccleſiæ ab Eccleſia Romana, de pace componenda, & communione catholica tractaretur, & Orientales ad rem tantā ipſius* Hor*miſdæ præſentiam quærerent; more maiorum per legatos rē agere conſultius arbitrans, ad munus hoc obeundum Germanum Epiſcopum Capuanum elegit.* C

Acceptis in comitatu, &c. *Ex relatis à Baronio apparet* Co*mites Sancti Germani ab* Hormiſda *legati, fuiſſe vnum Epiſcopum, vnum presbyterum, & duos Diaconos. Epiſcopus vocabatur Ioannes: ſed cuius Eccleſiæ fuerit* Anti*ſtes incompertum eſt. Presbyter vocabatur* Blandus, Diaconi *Felix, & Dioſcorus.* D

Tandem cū ad Regiā, &c.<br>
Siue Ioannes. } *Baron. to.* 7. *refert plures epiſtolas, ſeu relationes Sancti Germani, & collegarum ad* Hormiſdam *Papam ſcriptas: lubet hùc afferre, vt quomodo ſeſe geſſerit in legatione illa S. Germanus cognoſcatur.* E



Digitized by Google

# PRIMA RELATIO.

EXemplum ſuggeſtionis Germani,& Ioannis Epiſcoporum, Felicis, & Dioſcori Diaconorum, & Blandi præsbyteri.

In Ciuitate Aulonitana quo ordine, cum Dei adiutorio, peruenimus,& quomodo ſumus ſuſcepti ab Epiſcopo Ciuitatis ipſius, & quid eſt actum, vel quale reſpõſum dederunt, & quia hæc promiſit, vt cum Metropolitano ſuo faceret libellum,in alia Epiſtola Beatitudini veſtræ ſignificauimus. Quod in Scampina Ciuitate factum eſt veſtris orationibus tacere non permiſimus. Antequam nos ingrederemur in ciuitatem ipſam, venerabilis Troius Epiſcopus cũ ſuo Clero, vel plebe in occurſum nobis egreſſus eſt: Et quomodo Deus in ipſa die benedictus eſt, & quæ feſtiuitas per ipſius pietatem eſt ſubſequuta, ad notitiam Apoſtolatus veſtri referimus. Nobis præſentibus, vel ſuo clero, & nobilibus viris ipſius ciuitatis, libellum ſubſcripſit, porrexit, ſuſcepimus, & præſente omni clero, vel plebe in gradu ſuo, à ſeruo veſtro Petro,Notario ſanctæ Eccleſiæ Romanæ eſt relectus. Erat conuentus in Baſilica S. Petri. Confitemur Beatitudini veſtræ tantam deuotionem, tantas Deo laudes, tantas lachrymas, tanta gaudia difficilè in alio populo vidimus. Propè omnes cũ cereis, viri cum mulieribus, milites cum crucibus,in Ciuitate nos ſuſceperunt. Celebratæ ſunt Miſſæ, nullius nomen obnoxium religionis eſt recitatum, niſi tantùm Beatitudinis veſtræ. Noſter Epiſcopus venerabilis Germanus Miſſam celebrauit. Et promiſerunt nec poſtea recitari, niſi quos ſedes Apoſtolica ſuſcepit. Quanta à nobis operata ſunt, Deus propitius in vobis conſeruet. Iſtam Epiſtolam ante triginta milliaria à Lignido fecimus, ſperantes

ipſa

Digitized by Google

ipſa die in eadem ciuitate cum Dei adiutorio peruenire. Et quomodo ad nos peruenit Scampinus Epiſcopus, ſperamus & ipſius ciuitatis Lignidi Epiſcopum ſimilia facere. Quod ſi factum fuerit, data occaſione reſcribemus.

Scampis nobis poſitis, poſt Miſſas hora cænatoria, Stephanus, & Leontius viri clariſſimi ab Imperatore miſsi, in occurſum venerũt, adhuc neſcientes nos in partibus Græciarum poſitos: quia talia mandata fuerũt Comiti Stephano data, vt ad partes Italiæ tranſirent in occurſum noſtrũ.

Eſt Stephanus iſte, qui modo dicitur de parentela filij veſtri Magiſtri militum Vitaliani. Hi nobis nunciarunt, Patricium Senatorem proſcriptum, & in exilium miſſum; pro qua tamen cauſa niſi quo modo ad nos peruenerit, non poſſumus dicere, quia non eſt de talibus rebus facilè deliberare: dicitur tamen & Apocriſarius Theſſalonycenſis Eccleſiæ teneri, apud quos dicunt epiſtolas inuentas: pro qua cauſa neſcimus: cum ipſis & Philumenum, Demetrium, Magiſtrianum, & alias perſonas, quarum nomina ignoramus. Iſta ſunt (quomodo prædiximus) quæ audiuimus. De cauſa tamen eccleſiaſtica cum Dei miſericordia proſpera nunciantur: Coſmatem tamen medicum pro qua cauſa in Italiam venit penitus intelligere non potuimus, niſi hoc, quia fortiter queritur, de quo debetis eſſe ſoliciti, vt ſciatis pro qua cauſa ibidem venit.

## SECVNDA RELATIO.

IN alia Epiſtola ſignificauimus Beatitudini veſtræ de Scampina ciuitate, de venerabili Troco Epiſcopo, quo ordine libellum dedit, & qualis feſtiuitas eſt celebrata in ipſa ciuitate. Cum Dei miſericordia venimus Lignidum: Theodoritus Epiſcopus venerabilis vir ipſius Ciuitatis ſimiliter libellum dedit: qui libellus in Eccleſia eſt relectus,

&

Digitized by Google

& omnia ſecundùm conſtitutionem veſtram ſunt facta. Rogate Deum: ſperate ab Apoſtolis eius beatiſſimo Petro, & Paulo, vt Deus, qui initia talia donauit orationibus veſtris, ſimiliter ſequantur & proſpera: vt tempora coronæ veſtræ in correctione Eccleſiarum ſemper prædicentur. Quam epiſtolam ad Apoſtolatum veſtrum direximus die Non. Martiarum.

## TERTIA RELATIO.

INeffabilis Dei omnipotentis miſericordia, & pietas eius, quam ſuper humanum genus clementer effundit, humanis viribus extimari non poteſt, nec ſermonibus explicari: ſed ſufficit eius tantum conſilia deuotis ſenſibus & admirari, & ſcire, omnia bona de eius tantùm gratiæ pendere remedijs. Eſt iſta quotidiana probatio: audacter tamen præſumo dicere, Domine meus beatiſſime Papa, quia præſens cauſa præterita cuncta tranſcendit, quam Deus veſtris temporibus, & meritis reſeruauit. Quid in Aulone ſit actum, quid Scampis, quid Lignidi fuerit obſequutum, anteriore ſignificatione ſuggeſſi. Ad Theſſalonycam peruenimus: quas intentiones habuerimus cum Epiſcopo Theſſalonycenſi, & quæ dicta fuerint, vel etiam conſtituta, harum portitoris viua inſinuatione diſcetis.

Quod tamen non oportet præterire ſilentio, inſinuare non differo. Poſt multa certamina præfatus Epiſcopus *(erat iſte Dorotheus ſchiſmaticus)* ratione conuictus, libellum ſubſcribere voluit: ſed quia Epiſcopi, qui ſub eius ſunt ordinatione conſtituti, omnes non aderant in præſenti, hoc conuenit, hoc promiſit, vt poſt dies ſanctos, *Quadrageſimæ ſcilicet*, vno ex nobis à Sede Conſtantinopolitanæ vrbis directo, Epiſcopis congregatis, qui in eius ſunt Diœceſi conſtituti, libellum ſubſcriberent; quod cum

Dei

Dei adiutorio credimus eſſe cōplendum. Hæc ſunt Theſſalonycæ conſtituta.

Veſtris orationibus commendati ad Conſtantinopolitanam peruenimus ciuitatem feria ſecunda hebdomadis authenticæ *quam maiorem hebdomadam Latini dicunt*, Decimo ab vrbe prædicta milliario, ſublimes, & Magnifici viri nobis occurrerunt, inter quos ſunt Magiſter Militum Vitalianus, Pompeius, & Iuſtinianus, & alij Senatores: cunctiq; Catholicæ fidei ardore, ac deſiderio redintegrandæ pacis ardebant. Quid plura? cum ſummis penè omnium gaudijs ingredimur ciuitatem.

Alia die, quæ eſt tertia feria, pijſsimi Principis præſentamur aſpectibus: cunctus illic aderat Senatus, in quo conuentu erant & Epiſcopi quatuor, quos Epiſcopus Conſtantinopolitanus pro ſua perſona direxerat. Obtulimus Beatitudinis veſtræ literas, quas clementiſsimus Princeps cum grandi reuerentia ſuſcepit. Dicta ſunt quæ ante examinationem cauſæ oportuit intimare: mox cauſa cępta eſt. Hortabatur nos clementiſsimus Imperator hoc dicēs: Videte ciuitatis huius Epiſcopum, & inuicem vobis pacifico ordine reddite rationem. Nos ècontra reſpondimus: Quid imus ad Epiſcopum certamina facere? Dominus noſter Beatiſsimus Papa Hormiſda, qui nos direxit, non nobis præcepit certare: ſed præ manibus habemus libellum, quem omnes Epiſcopi, volentes Sedi Apoſtolicæ reconciliari, facient. Si præcipit pietas veſtra, legatur: & ſi eſt in ipſo quod ignoretur, aut verum eſſe non credatur, dicant; & tunc oſtendemus, nihil extra iudicium Eccleſiaſticum in eodem libello eſſe conſcriptum. Aut ſi illi poſſunt dicere, quia non conuenit religioni Catholicæ; tūc nobis incumbit probare.

Relectus eſt libellus ſub conſpectu Principis, & Senatus. Nos ſtatim ſubiunximus: dicant præſentes quatuor

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi, qui adſunt pro perſona Cōſtantinopolitani Epiſcopi, ſi hæc quæ in libello legũtur, geſtis Eccleſiaſticis minimè continentur? Reſponderunt, omnia vera eſſe: Poſt quæ nos ſubiuximus: Domine Imperator, & nobis grandem laborem Epiſcopi abſtulerunt, & ſibi conuenientem rem fecerunt dicere veritatem. Mox clementiſsimus Imperator his, qui aderant dixit Epiſcopis: Et ſi vera ſunt, quare non facitis? Similiter, & aliquanti de ordine Senatorio dixerũt: Nos laici ſumus: Dicitis hæc vera eſſe, facite, & nos ſequemur.

Intermiſſa feria quarta, Epiſcopus Conſtantinopolitanus in palatio ſuſcepit à nobis libellum: Et in primis quaſi tentauit epiſtolam potius facere, quàm libellum; *quod quidem maioris id ſibi videretur eſſe dignitatis: nam libelli vt plurimum offeruntur à lapſis:* Sed non poſt multa certamina hoc cōuenit proemium modicum facere, & ſubiungere mox libellum quemadmodum veſtra Beatitudo dictauit.

Subſcriptio ab eo facta eſt libello conueniens, ſimiliter & Datarium; cuius exemplaria & Græcè, & Latinè Apoſtolaui veſtro direximus. Poſt factũ libellum, nomen Acacij de Diptychis eſt deletum, ſimiliter & Phrauitæ, Euphemij Macedonij, & Timothei *Conſtantinopolitanorum Epiſcoporum, quorum primus fuit hæreticus, reliqui verò ſchiſmatici*, & non ſolùm hoc in ipſa ſola Eccleſia, in qua Epiſcopus manet, verùm etiam per omnes Eccleſias cum grandi diligentia, Deo adiutore, ſuggerimus fuiſſe factum ſimiliter, & deleta ſunt de Diptychis Zenonis, & Anaſtaſij *Auguſtorum* nomina.

Epiſcopi diuerſarum ciuitatum, quanti inuenti ſunt, *Conſtantinopoli ſcilicet*, libellum ſimiliter obtulerũt, & cum grandi cautela ſuggerimus cuſtoditum, nè quis nobiſcum communicaret Epiſcopus, qui libellum primitus non dediſſet.

Digitized by Google

diſſet. Pari modo & omnes Archimandritæ fecerunt; apud quos Archimandritas & certamina nos habuiſſe ſuggerimus, dicentibus illis: Sufficit quia Archiepiſcopus noſter fecit, nos factum eius ſequimur. Quid amplius? Poſt multa certamina ipſi quoque ratione conuicti, libellos modis omnibus obtulerunt.

Poſt hæc omnia, Deo adiuuante, in Eccleſiam proceſsimus: & qualia gaudia facta ſunt vnitatis, & quemadmodum Deus benedictus ſit; quæ laudes quoq; Beato Petro Apoſtolo, & vobis relatæ ſunt, ipſius actionis conſideratione perſpicitis, quod mea lingua non valet explicare. Nihil eſt ſubſecutum ſecundùm vota inimicorum, non ſeditio, non effuſio ſanguinis, non tumultus, quod veluti terrentes inimici antea prædicebant. Ipſi quoque Eccleſiaſtici Conſtantinopolitani admirantes, & Deo gratias referentes, dicunt nunquam ſe meminiſſe vllis temporibus tantam populi multitudinem communicaſſe.

His adimpletis, etiam clemētiſsimus Imperator ad Beatitudinem veſtram ſua ſcripta ſubiunxit, ordinem rei geſtæ ſignificans; ſimiliter & vir reuerendiſsimus Ioannes Conſtantinopolitanæ ciuitatis Antiſtes. Noueris etiam & ſacra generalia eſſe edita, atque credimus Deo propitio, & veſtris ſanctis orationibus, per vniuerſas prouincias quantocyus deſtinari. Hæc Conſtantinopoli geſta ſunt, & nunc de Antiochena Eccleſia tractatur: & ideo adhuc laboratur, quia nondum perſona congrua eſt electa. Oret ergo Beatitudo veſtra intentiùs, vt Deus, qui, veſtris precibus exoratus, Conſtantinopolitanam Eccleſiam Apoſtolicæ Sedi reſtituit, ipſe & dignam perſonam donet in Antiochia ordinandam, & aſsiduas adunet Eccleſias. Reſcribite Epiſcopo Conſtantinopolitano: ſi videtur Beatitudini veſtræ, facite mentionem damnationum Seueri, & illorum; quos nominaſtis in epiſtola illa, quam ſcripſiſtis ad ſecundam



Digitized by Google

Syriam per Ioannem,& Sergium monachos,hoc ipſum & ad Imperatorem reſcribentes.Si feceritis,videtur mihi neceſſarium eſſe.

## QVARTA RELATIO.

VErum eſt, nulla eſſe gaudia magnopere ſpiritualia, à quibus ex toto tribulatio poſsit eſſe ſeparata. Gaudemus de vnitate Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ,quæ facta eſt cum ſede Apoſtolica: lætamur quotidie diuerſorum Epiſcoporum libellos nobis ſatisfactionis offerri. Modicum in Epheſina ciuitate contigit ſcandalum, vbi contempta eſt, & iniuriata ſynodus Chalcedonenſis: Eſt inuocatus clementiſſimus Imperator hoc corrigere,quod & ſperatur cum Dei adiutorio fieri.

Nunc etſi poſt labores, etſi poſt intentiones plures, Antiochena Eccleſia ordinata eſt,electus eſt quidam,Paulus nomine, Presbyter Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, quem huic honori aptiſſimum Imperatoris teſtimonio comprobatum voluerunt, & tentauerunt hic ordinare. Ego iuſſionis veſtræ non immemor, contradixi, dicens: Iuſsit Dominus noſter Beatiſsimus Papa ſecundùm antiquam conſuetudinem ibi eum Epiſcopum ordinari. Hoc obtinuit, quod præcepiſtis. Orate vt Deus precibus Apoſtoli Petri & ipſam ciuitatem cum pace faciat electum ſuſcipere ſacerdotem.

Filius veſter magnificus vir Iuſtinianus, res conuenientes fidei ſuæ faciens, Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum, in qua deſiderat & beati Laurentij martyris reliquias eſſe, conſtituit. Sperat per paruitatem noſtram, vt prædictorum Sanctorum reliquias celeriter concedatis. Habuit quidem petitio prædicti viri ſecundùm morem Græcorum, & nos contra, conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ expoſuimus. Accepit

cepit rationem. Et quia talis eſt feruor fidei eius, qui meretur quidquid de Apoſtolica ſede depopoſcerit, & talis eſt, qui ſperat vnde & ſalus animæ, & fidei effectus accreſcat; talibus deſiderijs poſtulata competit non negare. Vnde, ſi & Beatitudini veſtræ videtur, ſanctuaria Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſecundùm morem ei largiri, præcipite: &, ſi fieri poteſt, ad ſecundam cataractam ipſa ſanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare.

Petit & de catenis Sanctorum Apoſtolorum (ſi poſsibile eſt) & de craticula Beati Laurentij martyris: iſta ſunt deſideria prædicti viri: in hoc fides ipſius eſt incitata. Propter hoc in vrbem veſtram virum ſpectabilem Eulogium Magiſtrianum direxit: hoc ſibi ſatisfacere iudicans, ſi de ipſo fonte, de quo per omnem terram ſanctuaria Apoſtolorum ſunt data, inde & ipſe reliquias ſuſcipere mereatur. Et benefacitis cauſam Eccleſiaſticam magnopere in conteſtatione Dei tali homini commendare, cuius ſynceritas, & integritas circa religionem Catholicam nota eſt omnibus hominibus. Hic voluerunt capſellas argenteas facere, & dirigere: ſed poſtea cogitauerunt, vt & hoc quoque à veſtra ſede pro benedictione ſuſcipiat. Singulas tamen capſellas per ſingulorum Apoſtolorum reliquias fieri debere ſuggerimus. Data tertio Kalend. Iulias. Conſtantinopoli.

## SEXTA RELATIO.

SVggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis, & Dioſcori Diaconorum, & Blandi presbyteri.

Magna miſericordia Dei eſt, & inæſtimabilia eius iudicia, qui nihil occultum dimittit, vt probetur vniuſcuiuſq; conſcientia. Dorotheus Theſſalonycenſis Epiſcopus, non nouus apparuit, nec ad præſens factus, ſed ſe demõſtrauit

quem olim vera prædicabat opinio. Iſte ſemper in malis deſiderijs ſuis inuolutus, data occaſione exercuit quod contra fidem Catholicam ſemper parturiebat ſcelus. In alijs literis ſignificauimus Beatitudini veſtræ quo ordine transeuntes Theſſalonyca, libellos non potuimus ſuſcipere. Erat tamen conſtitutum poſt ordinationem ſanctæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ vnum ex nobis ad ipſum dirigere: quia hoc ſperabat prædictus, vt vnus ex nobis poſt ſuſceptos libellos cum ipſo Miſſas celebraret, quaſi teſtimonio habens in generalitate ſe ad vnitatem ſedis Apoſtolicæ eſſe coniunctum. Et ſi tardè, factum eſt tamen: & venerabilem Ioannem Epiſcopum ad ipſum dirigentes, directus eſt cum ipſo, ex communi electione, Epiphanius presbyter: Germanus venerabilis, & Illuſtris Epiſcopus erat cum eis, & Licinius Comes Scholæ ex ordinatione clementiſsimi Imperatoris.

Qui Licinius tamen, cũ prius pro alia cauſa eſſet Theſſalonycam directus, cõgregata Synodo de paræcia Eccleſiæ Theſſalonycenſis, ibi eſt inuentus, expectans, ſecũdùm promiſsionem, vnum ex nobis. Voluerunt, ipſo præſente, libellos facere, & ſubſcribere: quod factum eſt: ſignauit ipſos libellos prædictus vir, & veniens Conſtantinopolim, factum nunciauit. Dicebatur nobis ab Apocriſario Dorothei: Iubete dirigere qui libellos ſuſcipiat: deliberatum eſt (ſicut prædiximus) venerabilem Ioannem Epiſcopum ambulare, vt haberet teſtimonium ſubſcriptionis illorum: Rogauimus pijſsimum Imperatorem, vt Comes Licinius ambularet cum eo: quod & factum eſt.

Et quia peruenerunt in ciuitatem, nunciatum eſt Dorotheo per Comitem Licinium præſentiã adeſſe noſtrorum. Qui direxit Ariſtidem presbyterum cum duobus alijs Epiſcopis (quos ſolos ſciebat aduerſarios eſſe negotij) vt noſtros videret: cum quibus voluerunt facere pri-

mum

Digitized by Google

mum certamen de libellis, dicentes: ſunt capitula, quæ debent emendari: Dixerunt noſtri non eſſe in poteſtate ipſorum hoc facere: Si vultis facere, Deo gratias: ſi non vultis facere, venimus, ſalutauimus vos, perambulabimus. Diſceſſerunt poſt iſta verba.

Ad aliam diem conuenerunt, iterum iſta loquentes: & antequam propoſitionem verborum feciſſent, ibi non eſt intentio generata, non iniuria ſequuta eſt: ſubito populus inſanus irruit ſuper ipſum, & duos pueros occiderunt Epiſcopi; caput etiam fregerunt Epiſcopo in duabus partibus, & renes eius diſſipauerunt, & niſi miſericordia Dei, & defenſio Sancti Marci Baſilicæ eruiſſet eos de manibus eorum, ibi perierant: liberati ſunt tamen (quomodo dicitur) quia manus publica ſuperuenit, quæ eos eruere potuit: Iſta, & iſtorum concinnamenta Dorothei malitia fabricauit, quia ante biduum quàm peruenirent noſtri Theſſalonycam, ſuper duo millia baptizauit; Sacramenta tanta erogauit in populo, quæ poſſint ipſis ad tempora ſufficere: ſignificans plebi, quia fides recta mutatur.

Iſta quomodo non habuerant excitare populum? Iſta quæ non inuitabant ad ſeditionem? Poſt hoc, ipſum libellum, quem fecerat cum Epiſcopis, ante populum ſcidit, dicens: Ego iſtud vſque ad mortem meam nunquam facio, nec facientibus conſentio. Occiderunt, & hominem venerabilem Catholicum, qui nos venientes ſuſceperat in domo ſua, qui ſemper ſeparatus fuit à communione Dorothei propter ſynodum Chalcedonenſem, in quo talem mortem exercuerunt, qualem illi, qui ſanctum Proterium occiderunt. Iſta ad clementiſſimum Imperatorem peruenerunt, & propè in tota ciuitate Cahtolicus luctus eſt propter talia, quæ contigerunt ſcelera. Promittit ſancta clementia vindicare & citare Dorotheum: quia nos conteſtati ſumus pietatem eius, dicentes: Nulla ratione Do-

rotheum

rotheum inter Epiſcopos, aut in communione ſedis Apoſtolicæ poteſt Beatiſſimus Papa recipere: & contra qui voluerint eum in ſua communione recipere, ſcire ſe eſſe reos auctoritate Eccleſiaſtica. Iſta ad notitiam Beatitudinis veſtræ feſtinauimus referre, vt nihil vos lateat, quod in iſtis partibus agitur. Accepta quarto Kalendas Decembris, Eutarico Conſule.

## SEPTIMA RELATIO.

SVggeſtio Germani Epiſcopi, Felicis, & Dioſcori Diaconorum, & Blandi presbyteri.

Reuerenda veſtri Apoſtolatus alloquia per filios veſtros Leonem, atque Eulogium deſiderabili hilaritate ſuſcepimus; quorum priùs præceptum, cur quæ Theſſalonycæ contigerunt, non inſinuauimus, arguebat. Sed longè ante eius aduentum occaſione comparata, curauimus ſignificare, quæcunq; vel rumore venientium, vel eorum, qui pertulerant, ſcriptis, quorum exempla ſubter adiunximus, vel pijſſimi Principis narratione comperimus. Sequuta eſt vindictæ promiſſio: adeo vt Dorotheus Theſſalonycenſis Epiſcopus ad Heracleam duceretur ciuitatem, donec cauſa terminum reperiret. Inter hæc ſecundùm ea, quæ præcepiſtis, auctoritatem Apoſtolatus veſtri Principi inſinuare curauimus, vt ad percipiendam doctrinam Catholicæ puritatis Romã præfatus Dorotheus, vnà cum Ariſtide mitteretur. Qui reſpondit cauſam non eſſe, pro qua Romam delegarentur audiendi, vbi ſine accuſatorum controuerſia ſeſe poſſent liberiùs excuſare. Sed repente, dũ hæc geruntur, ab Heraclienſi (quantum agnouimus) in qua tenebatur, dimiſſus eſt ciuitate: quam ob cauſam, vel qua ratione, aut conditione, vel quibus agentibus, ignoramus.

De

Digitized by Google

De Paſchali die, veſtra Beatitudo cognoſcat, concordare Orientalium cum Apoſtolica ſede ſententiam, vt decimo tertio Kalendarum Maiarum die feſtiuitas celebrāda ſperetur; ſicut Ioannis quoque Conſtantinopolitani Antiſtitis relatione clarebit. Supereſt, vt orationis Beatitudinis veſtræ adminiculo celeriter (ſicut cupimus) veſtris mereamur præſentari veſtigijs. *Hactenus Relationes.*

*Anno igitur ſequenti, ideſt 520. Romam reuerſus eſt Germanus, qui Eccleſiæ ſuæ non immemor, pro ea ditanda, reliquias SS. Stephani Protomartyris, & Agathæ Virginis (vt ſcribit Herempertus) ab Imperatore conceſſas, Capuam aſportauit.*

Sanctitatis luce. *Extat Epiſtola Epiphanij Epiſcopi, qui* F *Ioanni tunc mortuo, Epiſcopo Conſtantinopolitano ſucceſſit, & Hormiſdæ Papæ, hæc inter cætera:* (hoc autem & his notum eſt, qui à vobis ſunt directi viri Reuerendiſſimi, ideſt Germano ſanctiſſimo, & Ioanni Epiſcopis, Felici, & Dioſcoro Diaconis, & Blando presbytero, qui efficaciter ſequuti ſunt ea, quæ eis ſunt à vobis iniuncta) *Hic notat, legatos Epiſcopos coniunctim appellari reuerendiſſimos; ſed Germanum ſpeciatim appellari ſanctiſſimum; id quod argumento eſt, Germani adhuc viuentis, & legationi fungentis, miram fuiſſe ſanctitatis famam, & lucem.*

Vſque iuxta diem exitus. *In Codicibus ordinarijs ſan-* G *cti Gregorij non eſt illa dictio (*iuxta*) ſed habent illi,* vſque ad diem exitus, &c. *Baronius addit.* Dum ait perſtitiſſe Paſchaſium in ſententia vſq; ad diem obitus ſui, excluſiuè intelligendum eſt, etenim omnium eſt receptum aſſenſu, non poſſe in cœlum admitti, qui in terra ab Eccleſia ſe ſeparauit. *Optimè quidem Baronius: ſed quod ille dicit, gloſſando, Codex, quem Auctor textus noſtri exſcripſit, dicebat expreſſè: nam dictio illa* iuxta diem *expreſſè ſignificat non ipſo die exitus, ſed tempore illi diei vicino Paſchaſium*

*per-*

Digitized by Google

*perſtitiſſe in ſententia; ſed ante obitum, vel ipſo obitus die, vel paulo ante, ſententiam depoſuiſſe, & egiſſe pœnitentiam.*

H Angulanis thermis. *Thermæ Angulanæ balneis Neapolitanis annumerantur: cenſentur quæ mutato nomine, appellantur ſudatorium S. Germani. Capacius in Hiſt. Neap. fol.* 805.

I Germani Capuani Epiſcopi animam. *Nota S. Germanum fuiſſe ſancto Benedicto notiſſimum, & inter illos famulos Dei ſummam interceſſiſſe familiaritatem: Erant illo tempore tres ſanctiſſimi ſumma inter ſe familiaritate coniuncti, S. Benedictus, S. Germanus, & ſanctus Sabinus Epiſcopus Canuſiæ.* Igitur prædicti Chriſti famuli (*legimus in vita S. Sabini*) faciem omnes proceres, ac præcipui viri Italiæ ſæpius videre cupiebant, & cum viro ſanctiſſimo cęleſtibus pabulis epulari, vnde & cum Germano Capuanæ Eccleſiæ Pontifice crebra familiaritate conueniebat: ſed & cum Benedicto Chriſti famulo, in Caſsino Caſtro poſito, aſsiduis amicitiis iungebatur, eumque per ſingulos annos viſere conſueuerat, &c. *Ergo & ſingulis annis S. Sabinus Caſſinum proficiſcens, Capua tranſibat & apud S. Germanum familiariter hoſpitabatur.*

*Eadem ætate vixit S. Remigius Remorum Epiſcopus, & cum eo quoque S. Germanus fuit familiaritate coniunctus. Teſtantur hoc Acta S. Remigij apud Surium die* 13. *Ianuarij. Verba ſunt:* Hic Hormiſda Papa, miſit Conſtantinopolim ad Iuſtinum Imperatorem in legatione Germanum Capuanum Epiſcopum, cuius animam vidit ab Angelis in cælum deferri S. Benedictus. Qui pro curatione puellæ dæmoniacæ ad Beatum Remigiũ literas ſuas direxit. *Sine dubio, qui miſit pro puella dęmoniaca ad S. Remigiũ literas fuit S. Germanus, non aũt S. Benedictus: nã ſi fuiſſet S. Benedictus, & non Germanus, fruſtra, & abſq; vllo propoſito, & omnino abs re, in Actis S. Remigij facta eſſet mẽtio de*

S. Ger-

S. Germano: *At verò volens ſcriptor Actorum oſtendere quantæ ſanctitatis, & nominis eſſet Remigius, narrat ad illum ſcripſiſſe Germanum pro curatione puellæ: ille (quaſi dicat) Germanus, ille quem Hormiſda miſit ad Iuſtinum, ille cuius animam S. Benedictus vidit in cælum efferri. Nec mihi quis dicat, relatiuum* (Qui) *referri ad proximiorem terminum, & propterea dicendum* Qui, *nempè, Benedictus: Ego enim inquio relatiuum* (qui) *in Actis Sanctorum, imò in ſancta ſcriptura plerumq; ad remotiorem referri. Ecce in Actis S. Agathæ, quæ ſunt in Breuiario noſtro:* Venit quidam ſenex, quem antecedebat puer, luminis portitor, ferens diuerſa medicamenta manu ſua, qui ſe medicum eſſe commemorans, &c. *en participium* FERENS, *& relatiuum* QVI *non referuntur ad proximius nomen* PORTITOR, *ſed ad remotius* SENEX. *Et in vita* S. *Placidi:* Comperit illic adeſſe Placidum Beatiſsimi Patris Benedicti diſcipulum: cuius iam per totum orbem Romanum miraculorum facta radiabat: *En relatiuum* CVIVS *non refertur ad Diſcipulum, ſed ad* BENEDICTI. *In Actis Apoſtolorum cap.* 18. Paulus verò cum adhuc ſuſtinuiſſet dies multos, fratribus vale faciens, nauigauit Syriam, & cum eo Priſcilla, & Aquila, qui ſibi totenderat in Chenchris caput, habebat enim votum. *Peto qui nam ſibi totonderat caput? Aquilanè vir Iudæus cui relatiuum* (QVI) *proximè ſuccedit? minimè quidem: ſed* Paulus *Apoſtolus, vt Hieronymus, & Auguſtinus affirmant. Itaque, vt Narratio de* S. *Germano ad Acta* S. *Remigij pertinere poſsit, neceſſariò dicendum eſt, relatiuum* (QVI) *referre Germanum: meritò igitur à noua editione Chronici Caſsinenſis exploſæ ſunt Epiſtolæ, quæ SS. Benedicti, & Remigij nomine de curatione puellæ demoniacæ confictæ, poſt Chronicum Caſsinenſe in prima editione ſuperadditæ legebantur.*

Illius obitum. *S. Germani ad Deum tranſitus contigit* K
*tertio Kalend. Nouembr. annus autem eſt incertus: hoc tamen*

men conſtanter aſſerimus, non contigiſſe ante annũ 535. quo nimirum anno S. Placidum in Siciliam proficiſcentẽ eſt hoſpitatus, vt habetur in actis S. Placidi, ſcriptis à Gordiano apud Lipp. to. 4. neq; poſt annum 552. quo nimirum anno S. Benedictus ipſe tranſiuit ad cœlum, imò neq; poſt annũ 542. quo S. Victor erat Epiſcopus. Vt habetur in Chr. Caſſ. corpus S. Germani ſepultum in Capua veteri, ciuibus inde tranſmigrantibus tranſlatũ eſt ad Capuã nouam. Sed Ludouicus II. Imperator in Galliã aſportauit: Res aũt ita ſe habuit. Anno 872. Ludouicus Lotharij Imperatoris filius, cum accepiſſet Adelgiſum Græcorũ promiſſis corruptũ, cũ Samnio, Cãpania, & Lucania defeciſſe; mox Beneuentum uenit, & Samnium, atq; Lucaniã in ditione accepit Sola Capua confiſa muris ex lapide quadrato conſtructis, audacter repugnabat, & in rebellione perſiſtebat: ſed tãdẽ obſidione cincta, videnſq; hoſtili rapacitate cuncta diripi, & vites, atq; oliueta cæteraſq; fructiferas arbores radicitus excidi; deſperatis rebus, Epiſcopum adiuit, rogauitq; vt accepto S. Germani corpore, in caſtra Imperatoris exiret, & ſubſequente vniuerſa plebe, veniã exoraret: ſic factum: fuſæ illic lachrymæ, & preces. Imperator natura clemens pepercit, & à direptione ciuitatis abſtinuit, corpus tñ S. Germani retinuit, & annum Capuæ cõmoratus, reuerſus eſt in Franciã, & corpus S. Germani ſecũ tulit: verùm ante diſceſſum digitũ manus ipſius B. Germani cœnobio Caſſinẽſi donauit: Quare deinde ab Abbate Berthario ciuitas ſub Caſſino è nomine S. Germani ædificari cœpit Hæc apud Bar. to. 10. Capac. in hiſt. Neap. fol. 841. Volater. lib. 21. de Bene. &c. Chron. Caſſ. lib. 1. cap. 40. Herempertus in epitome habet Ludouicum deleuiſſe Capuam, & ciues malè habitos.

At verò licet hi citati Scriptores habeant corpus S. Germani in Franciam aſportatum eſſe; tamen, vt ſcribit Phil. Ferrarius in Catalo, illud Placẽtiæ in Aede S. Syſti aſſeruari, officia eiuſdem Eccleſiæ Placentinæ teſtantur: conſentit Petrus Calzorarius in hiſt. monaſtica die 2. in Ludouico.

Nos

Digitized by Google

*Nos intra Capuam habemus oratorium ſancti Germani non longè ab Epiſcopio poſitum: Extitit in Diœceſi Caluenſi Archiepiſcopo ſubdita Eccleſia ſancti Germani à Palera anno 1173. & ſancti Germani in Pizone.*

*DELINEATIO CAPVAE VETERIS EX deſcriptione quam Archiepiſcopus Cæſar Coſta fecit, & in Crchiepiſcopali palatio depingi curauit.*

*Verùm ſcito parietem in quo delineatus eſt Capua ſitus eſſe in aula à parte Meridiana, ſed eius faciem in qua eſt vrbs delineata, reſpicere ad Aquilonarem: ſcito etiam vrbis ſitum ita delineatum, ac ſi parietis facies eſſet illa ipſa planities in qua vrbs extabat; ideoq; à ſuperiori ipſius parietis eſſe Meridiem, ab inferiori Aquilonem, à dextra Orientem, & à ſiniſtra Occidentem.*

CApua ciuitas deſcriptione, & pulchritudine inſignis. Cic. *contra Rull.*
Muri latitudine palmorum decem
Foſſæ latitudine paſſuum quinquaginta
Ambitus murorum ſtadiorum triginta duorum.

1 *Porta, qua ducit ad flumen. Liu. 36.*

2 *Porta Iouis. Liu. lib. eod.*

3 *Porta Albana quæ ducit Sueſſulum: Liu. lib. eod. eamet ducit Beneuentum.* Breu. Capuan.

4 *Porta Cumana, nam olim Cumæ occupatæ fuerunt à Campanis. Liu. lib. 9.*

5 *Capitolium Capuæ. Sueton. in Tiber. fuit tactum fulmine tempore Caij. Suet. in Caio. fuit conſecratum Ioui Tib. Tac. lib. 4. Annal.*

6 *Templum Iouis vnde fuerunt ſumptæ quinquaginta columnæ pro extructione Eccleſiæ ſancti Vincentij de Vulturno. Chron. S. Vincentij.*

Digitized by Google

7 *Templum Fortunæ. Liu.lib.24.*
8 *Templum Martis apud ſorum.* Liu.lib.35.
9 *Forum nobilium, diſtinctum à ſoro populi. Val. Max. lib.9.cap.5.*
10 *Ludus gladiatorum Lentuli, Liu.Epit.lib.95.*
11 Curia *Senatorum, Liu.lib.23.*
12 *Domus* P*aculli, vbi fuit coniuratum à* P*erolla filio de occidendo Anibale, Liu.lib.eod.23.*
13 *Domus Decij Magij, qui fuit captus iuſſu Anibalis. Liu. lib.eod.*
14 *Domus Iubellij Taureæ, Liu.lib.eod.*
15 *Domus Marij Bloſij. Liu.lib.eod.*
16 *Domus Vibij, vbi 27. Senatores veneno perierunt. Liu. lib.eod.*
17 *Aedes quæ vocatur Alba. Liu.lib.32.*
18 *Via Seplaſia vbi manebāt vnguētarij.* Cic.*cōtra* Rull.
19 *Via Albana pulcherrima.* Cic.*contra* Rull.

20 Porta *Dianæ*
21 Porta *Atellana*
22 *Via Atellana*
23 *Via* Cumana
24 *Via Aquaria*
25 *Aquæductus*
26 *Fons*
27 Piſcina
28 *Templum*
29 *Templum*
30 *Tēplū Dianæ*
31 *Thermæ*
32 Circus

32 *Mons Tiſata*
34 *Cryptoporticus*
35 *Forum populi.*
36 *Balnea populi*
*Thermæ nobilium*
38 *Theatrum.*
39 *Circus*
40 *Hippodromus*
41 *Sedes duūuirū*
42 *Via Appia*
43 *Via Appia*
44 *Vulturnus flumen.*

45 Pōs *Lateritius in Triſiſco*
46 *Arcus Lateritius: diſtabat à porta paſſ. 117.*
47 *Amphitheatrū*
48 *Aquæ ſalubres addictæ Dianæ*
49 Caſtellum, *ſeu portus Nauiū*
50 *Locus Capuæ nouæ* 51. 52. 53. 54.

NO-

Digitized by Google


ORIENS.
SEPTENTRIO

## NOTATIONES.

2 PORTA Iouis. *Prope portam Iouis fuiſſe balneum argu mentor ex eo, quod locus ille nunc vulgo la Grottella, Antiquitus dicebatur Balneolum.*

3 Porta albana. *Hæc eſt porta, quam propè* S. *Priſcus hoſpitabatur cum duobus diſcipulis ſuis: erat porta Albana frequentior alijs propter viã Appiã: ideo igitur ibi* S. *Priſcus hoſpitiũ elegit.*

5 Capitolium. *Nunc la Torre di S. Ermo: Tempore Longobardorum propè Cryptoporticum S. Heremus. Erat locus munitus, propugnandis inimicis idoneus. Vide Heremp. fol.* 70. *At S. Hermus idem eſt qui* S. *Heraſmus.*

26 Fons. *Vulgo* Puteus S. *Priſci. Opinatus eſt vulgus illum eſſe locum, in quo* S. *Priſcus inuentus eſt à B. Matrona: Certus error: potuit non perperã nominari puteus* S. *Priſci, quia inde incipit via, quæ rectà pergit ad pagum* S. *Priſci.*

42 Via Appia. *Per quam portam Appia* Capuã *ingrederetur, &*
43 *per quã egrederetur res admodũ dubia: nã delineationi Archiepiſcopi Coſtæ repugnat Strabo, qui ſcribit viã Latinam incidiſſe in Appiã ad Caſſinum, longè à Capua ſtadijs decem & nouem. i. duobus milliaribus, & alia ferè tertia parte: Quiq; iter Appiæ ducit per Caſilinũ, per Capuã, per Galitiã (Calatiã reponẽdũ) per Caudiũ, per Beneuẽtum: Straboni verò repugnat Breuiariũ Capuanum, quod viæ ferenti* Beneuentũ *caput in porta Albana ad Orientẽ conſtituit: ſed cũ Strabone locãdũ eſſet in porta Tifatina ad Aquilonẽ: niſi fortè pro Galitia intelligere velimus non Calatiã exiſtentem vltra Vlturnũ, ſed aliquod oppidũ ex minoribus Cãpaniæ in Regione Magdaluni, vbi veſtigia murorum conſpiciuntur, & locus corrupto vocabulo dicitur à S. Galaza: Planè oppidum quod circa annũ* 800. *à Longobardis dicebatur Calinũ, ego arbitror fuiſſe quod Guarino Veronenſi Strabonis interpreti fuit To Calinon. i. Calenũ adiunctum. i. conterminum Caſilino, quodq; Calenũ eſt Tullio, qui in ſecunda cõtra Rullũ Oratione de Municipio Caleno, & Calibus meminit: profectò à propinqu s*



Digitized by Google

*Calibus Calini, ſeù Caleni oppidi, & Caliculæ montis deriuatum nomen, vt Sinueſſæ à propinqua Sueſſa, Calinũ, ſeù Calenũ Carinola hodie; antiqua etenim oppida, & mutaſſe loca, & corrupiſſe vocabula paſſim inueniũtur. Hoc mihi probabile cum videatur, videtur proinde probabile apud Strabonẽ pro Caſino, ad q̃ via Latina coniugitur Appiæ: & pro Caſilino Appiæ coniuncto, legendum eſſe Calinum, ſeù Calenũ: inter quod & Vulturnum via Latina à Calibus deſcendens, iungi poterat Appiæ, lõgè à Capua ſtadijs ferè decẽ & nouẽ, & ſi quid amplius non mirum cũ in notis numerorum facillimum ſit errare: ibiq; coniunctæ viæ deſcẽdere poterãt ad fluminis ripã in qua noua Capua nunc eſt. Qui locus nouæ Capuæ, etſi in itinerarijs quibuſdã dicitur Caſilinum; nomẽ tamen accipere potuit nõ ab oppido Caſilino, quod maritimũ potiùs, quàm mediterraneum erat; ſed ab ipſo flumine Vulturno, q̃ illorum itinerantium ſæculo Caſilinũ noſcitur appellatum. Igitur meo iudicio à ripa Vulturni, ſeù dixeris Caſilini fluminis, loco nouæ Capuæ per viã hodie tritã, & amplũ, ferẽtẽ ad pagũ S. Mariæ, Appia per portã arcui Lateritio propinquã, ferenteq; Cãpanos ad flumẽ, intra Capuã deſcendebat, & à porta Albana per Galitiã ſeù Galatũ, nunc à S. Galaza, perq; Caudiũ Beneuẽtum pergergebat: hoc mihi magis ꝓbabile videtur, donec certiora docear.*

Caſtellũ, ſeù portus Nauium. *idem eſt locus pontis, qui pons Caſilini dicitur in Chron. Caſſ. Canſulini, & Canſolini: & Caſoſolini dictus ẽt ad annum vſq; ferè milleſimum, & ducẽteſimum: Caſilinum verò, ſiue Canſolinum dictum flumen docti viri certò noſcunt. At hoc ipſo in loco, vbi nunc eſt pons, & noua Capua, fuiſſe Caſilinum oppidũ antiquiſſimũ cenſet Philippus Cluuerius contra receptam hactenus noſtratium Literatorum opinionẽ, qui oppidum illud ſupra Arnonum, & Canciellum verſus mare in loco, Caſtelluzo nunc dicto, poſitum arbitrantur. Ab vtraq; parte non leues ſeſe efferunt auctoritates, & coniecturæ, quas à Domino Camillo Peregrino elucidatas, expecta mi Lector.*

*Ex Heremperto fol. 60 patet Capuæ fuiſſe Coloſſum: vtq; mihi verborum contextus indicat, coloſſus erat locus diſtinctus ab*

Am-

Digitized by Google

*Amphiteatro: erat meo iudicio ædificium præcelſum, munitum, propugnando aptum, inter Amphitheatrum, & Cryptas. Præcelſa quidem ædificia à Longobardis appellata coloſſos, indicat nomen coloſſulæ, ideſt parui coloſsi, nomen antiqui ædificij propè Curtes, corruptè colocchiola dicta vulgo.* Herempterti *verba ſunt.*

Sequenti verò anno generalem motionem faciēs cum ſuis Neapolitanis, & Saracenis ſuper coloſſum, vbi filij Landonis degebāt, inſedit, priùs tamen illos, qui in terris reſidebant, ſuper arenam pecunia accepta depoſuit, & Capuam remiſit: filijs aūt Landonis in Amphitheatro circūſeptis, pacē ceſſit, accipiēs ab eis Liburiā ſub ſacramento. *Ita* Herempertus, *ſine dubio corruptus locus: quid.n.eſt illud depoſuit ſuper arenā, illos qui reſidebāt in terris? vel depoſuit illos, qui reſidebāt ſup arenā in terris? locus meo iudicio facili negotio reſtitui pōt pro* terris, *& pro* Arenā, *reponerē* Turri, *&* Areā: *mihiq; ſignificaretur filios Landonis, qui degebat .i. habebant domiciliū in coloſſo, timentes aduenientē hoſtē, in Amphitheatrū ſeſe abdidiſſe: hoſtē verò, vt primum aduenit, depoſuiſſe .i. deorsū poſuiſſe, & deſcēdere permiſiſſe ſuper aream, ſeù ſuper arenam .i. humum aridam, illos qui erant in Turri, ideſt in editiori parte coloſſi, & deinde militibus circumſepto Amphitheatro, cum filijs Landonis iniiſſe pacem.*

*Cum Eccleſia S. Mariæ Maioris dicta ſit cognomento Suricorum, cumq; Ioannes Papa XIII. ſcribat ad Epiſcopum Suricorum, apparet Capuæ fuiſſe vicum, qui ſaltem Longobardorum tempore, dictus eſt vicus* Suricus, *vel* Suricorum.

*Locus Eccleſiæ S. Petri Apoſt. quam antiquiſſimi fideles conſtruxerant, vt infra in 3. part. diſtabat à porta Capuæ veteris paſſus 950. ab Arcu lateritio 833. Arcus, enim diſtabat à porta 117. paſſus. Paſſus autem eſt palmorum Neapolitanorum ſeptem, & quintæ partis. Igitur porta diſtabat ab Eccleſia vigeſima parte minùs vno milliari noſtro Capuano.*

*Vbi nunc eſt Eccleſia S. Auguſtini, fuiſſe antiquiſſimo tēpore cœmeteriū Chriſtianorū argumentor ex pluribus Epithaphijs ibi inuentis cum nomine Chriſti, & ſigno Crucis inſculpto, diſtabat à porta paſſus 282. ab Arcu 168.*

SAN-

Digitized by Google

# SANCTVARII CAPVANI

## *PARS SECVNDA.*

COLLECTORE

MICHAELE MONACHO

D. D. & Canonico Presbytero Capuano.

---

Hæc Sanctuarij ſecunda Pars continet Sanctos Capuæ extra Martyrologium Romanum inuentos.

*S. Aldemarius monachus Caſsinenſis.*
*Auguſtinus Epiſcopus, & Martyr.*
*Apuleius Martyr.*
*Bernardus Epiſcopus Calenenſis.*
*Caſsianus Martyr.*

R *Eurus*

Digitized by Google

*Eurus Martyr.*
*Felicitas mater Auguſtini.*
*Feliciſſimus Martyr.*
*Fortunata Mart.*
*Ioannes Abbas Caſſinenſis.*
*Ioannes Primicerius.*
*Lupulus Martyr.*
*Libulius Martyr.*
*Ludouicus Eremitanus B.*
*Marcellus miles, & Martyr.*
*Matrona Virgo.*
*Marcellinus Martyr.*
*Modeſtus Martyr.*
*Nicanor Martyr.*
*Offa Abbatiſſa.*
*Pardus Martyr.*
*Paulus Præpoſitus.*
1 *Quartus.*
2 *Quartus.*
*Raymundus Dominicanus B.*
*Sinotus Epiſcopus Martyr.*
*Symmachus Epiſcopus.*
*Stephanus Epiſcopus Caiacenſis.*

Digitized by Google




SACELLV ET SEPVLCHRVM·S·MATRONAE

Digitized by Google

# DE SANCTIS, QVI HABENT *Imagines in Eccleſia Sancti Priſci.*

IN Eccleſia S. Priſci Capuanæ Diœceſis extat pars antiquæ baſilicæ, quam ſancta Matrona in honorem ſancti Priſci conſtruxerat: Eſt opus rotundum, teſtudinatum, Tribuna vetus appellatur. Habet illa tribuna hemicyclum in fronte (ſeù dicamus abſidem) in quo ſexdecim ex opere teſſellato ſunt Sanctorum imagines. In medio hemicydo à dextris aſpicitur ſanctus Petrus, & à ſiniſtris ſanctus Priſcus: poſt S. Petrum, S. Laurentius, S. Paulus, S. Cyprianus, S. Suſius, S. Timoteus, & S. Agne: poſt S. Priſcum, S. Lupulus, S. Sinotus, S. Rufus, S. Marcellus, S. Auguſtinus, & S. Felicitas: Spatium ſubtus brachia Sanctorum Petri, & Priſci, duas habet imagines, breuiores tamen, cum inſcriptione Sanctus QVARTVS, & QVINTVS.

Planè S. Agne, & S. Felicitas altera contra alteram recto ſunt vultu, & coronam habent in manibus: Sancti autem pallio ſuperinduti, obliquo vultu, & quaſi in cœlum erecto, vtraq; manu coronas extollunt. Terni conſpiciuntur: ſuntq; coniuncti Petrus, Laurentius, & Paulus: coniuncti quoq; Cyprianus, Suſius, & Timoteus: & ab altero latere coniuncti Priſcus, Lupulus, & Sinotus, & poſt eos, Rufus, Marcellus, & Auguſtinus. Cum quatuordecim ſint Sanctorum Imagines, octo ſenibus, duæ iuuenibus, duæ viris, & reliquiæ duæ adoleſcentulis aſſimilantur: Senes repræſentãtur Petrus, Paulus, Cyprianus, Timotheus, Priſcus, Sinotus, Rufus, & Auguſtinus: iuuenes Laurẽtius, atq; Suſius viri Lupulus, & Marcellus: adoleſcẽtuli Quartus, & Quĩtus.

Opus antiquum, & pium quanta ſit antiquitatis, pietatiſq; cauſa, veneratione dignum, oſtendit b.m. Dominus

meus

meus Archiepiſcopus Coſta. Ille zelo pietatis, & antiquitatum eruditione nulli ſecundus, cum aliquando comperiſſet iconem sā̃ctiſsimi Roſari ante hemicyclum erectam, grauiter indignatus, obiurgās Eccleſię Rectorem, & ciues, mox, nulla interpoſita mora, iconem inde amoueri, & alibi collocari præcepit.

Porrò imagines ſenum, eſſe imagines Epiſcoporum per ſe patet. Quis enim de Petri, vel Pauli, vel Cypriani, vel Timothei dubitabit Epiſcopatu? & qui de Epiſcopatu Priſci, & Rufi certiſsimi ſumus, ſcimus Epiſcopatum Auguſtini notatum in tabulis Beneuentanis. Cum ergo SS. Priſcus, Rufus, & Auguſtinus fuerint Epiſcopi Capuani, S. Sinotus & ipſe credendus eſt fuiſſe Capuanus Epiſcopus: Habitu, vultu, geſtu illis omninò ſimilis exprimitur, & dignitate ſimilis non aſſeretur? Iam certa aſſertione dicatur Sinotus Martyr, & Epiſcopus: & tanquam Priſci ſucceſſor, & Rufi deceſſor ſecundus in Epiſcoporum ſerie collocetur.

Illæ autem imagines iuuenum Laurentij, & Suſij, quorumnam cenſeri poterunt niſi Laurentij Romani Diaconi celeberrimi Martyris, & Soſij Diaconi Miſenatis in noſtra Campania Martyris quoq; notiſsimi? Et hinc conſequitur, vt imagines illæ duæ virorum, Lupuli, & Marcelli, presbyterorum eſſe cenſeantur; & eo magis quia Marcellum Natalis, & Galeſinus presbyterum apertè commemorant. Et quamquam ad cognoſcendum Marcelli presbyteratū tenuis videtur lux illa, quæ à noſtra pictura, & tenuis quæ ab Auctoribus illis elucet; tñ hæ luces, coniunctæ ſimul, altera ab altera non parū accipit incrementi: & Marcellum fuiſſe presbyterū nō obſcurè cognoſcimus. Quod ſi Marcellus presbyter fuit, cur non presbyter Lupulus etiā ipſe? Qui ſunt imagine ſimiles, ſimili dicantur honore præditi, & Lupulus loco antecedens Marcello presbytero, dignitate dicatur ſaltem æqualis. De imaginibus verò adoleſcen-

ſcentulorum Quarti, & Quinti, quid reſtat dicendum niſi eſſe illas imagines Acolytorum?

Et nunc intelligere poſſumus, nõ pro libito, ſed magno ſtudio has imagines ſic eſſe efformatas, & collocatas: Nam quòd aliæ ſenes, aliæ viros, aliæ iuuenes; aliæ adoleſcentulos repræſentent: quodue iuuenes, & viri poſt ſenum latera medij collocentur, hoc ad varietatem, & pulchritudinem operis teſſellati præcipuè facit: Et quòd hi Sancti præ cæteris ſint efformati, factum eſt, vt ab vno latere collocarentur qui Capuæ omnium primi fidei teſtimonium ſanguine fuſo perhibuerũt; & ab altero, qui in tribus partibus orbis inſigniores habebantur. Ex Europa eligitur Petrus, & Paulus totius Eccleſiæ culmina, & Romanæ vrbis lumina; quibus additur Laurentius, & ipſe Romanæ Eccleſiæ maximum lumen. Ex Africa ſumitur Cyprianus Africanorum celeberrimus Epiſcopus, Doctor, & Martyr. Ex Aſia Timotheus ſanctæ ſcripturæ teſtimonio celebratus, & Epiſcopus Epheſiorum: adiungitur Suſius Miſenas, vt qui erat in noſtra Campania maximi nominis Martyr.

Hic Suſius, vt in muſiuo, ita apud Adonem Suſsius dicitur in Martyrol. 19 Octobris.

Itaq; ex hac pictura habemus extra Roman. Martyrol. Sanctorum nomina Sinoti, Lipuli, Auguſtini, & Felicitatis.

## DE SANCTO SINOTO.

*Sanctus Sinotus adhuc ignotus, procedit in lucem: Is è vultu ſenili, totq; Epiſcoporum ſocietate, agnoſcitur Epiſcopus: E loco ſibi ante Rufum attributo, agnoſcitur ſecundus Epiſcopus Capuæ: Et è corona quam extollit agnoſcitur Martyr.*

DE

Digitized by Google

## DE SANCTO AVGVSTINO, ET MATRE *eius Felicitate 16. Nouembr.*

A*Vguſtinus Epiſcopus* Capua, *cum* S. *Felicitate matre ſua* Capua *martyrium conſummauit. Quemadmodū corona, quas imagines habēt in manibus, ſanctos martyrio coronatos oſtendunt; ita manuſcripta Martyrol.* S. *Auguſtinum fuiſſe Epiſcopū docent: Molanus ad Vſuardum ex quodam M.S. 17. Kalen. Decēb.* In Capua natale S. Auguſt. *& in Kalen. Codicis laceri apud* Chiocbarellum, S. Auguſtini Epi, & Cōfeſſ. *in Martyrol. M.S. Monaſterij S. Ioannis, & S. Mariæ Monialium, 17. Kalen. Decemb.* Capuæ natale S. Auguſtini, & Felicitatis. *In Martyrol. M.S. monaſterij S. Petri apud Beneuētū, 17.* Kal. natale S. Auguſtini Capuani Epiſcopi, & S. Felicitatis matris eius: *& in Martyrol.* S. *Sophiæ eiuſdem* Ciuitatis, Natale S. Auguſtini Capuani Epiſcopi, & S. Felicitatis matris eius, quorum corpora hic habentur. *Beneuentum corpora tranſlata fuiſſe credā ab Arichio* Principe: *ille nāq; Princeps, vt habet* Chronicum Caſſ. *ſancta corpora ex diuerſis Italiæ partibus per tempora diuerſa adeptus, ibidem (id eſt ad Eccleſiam S. Sophiæ) nihilominus attulit, & per diuerſa altaria in circuitu maioris altaris, ſatis reuerenter locauit. In Martyrol. conſeruato per P.* Caracciolū, *quod videtur illi eſſe* Mediolanenſis *Eccleſiæ,* 15. Kalen. Nouemb. Capuæ SS. Auguſtini, & Felicitatis.

## DE S. LVPVLO, ET SOCIIS MM. 15. *Octobris.*

L*Vpulus presbyter Capuanus, & Martyr, habuit olim Eccleſiam in via S. Angeli ad formam. Ego inter ſcripturas monialium S. Ioannis reperi inſtrumentum carie quaſi conſumptum; tamen in gratiam S. Lupuli multas habens verborum lineas incorruptas.* In nomine Ieſu Chriſti

non

nono anno principatus Paldolfi glorioſi Principis *(erat is annus milleſimus, & triceſimus)* Ideoq; ego mulier quæ vocor Maria, filia quon. Petri Magiſtri, & vxor . . auitante deintus hac Capuana ciuitate in loco Grottulæ ad ipſa cementaria propè Eccleſiam S. Lupuli, quæ nunc dextructa eſſe videtur . . . . . . ab alio capu eſt terra dictæ Eccleſiæ S. Lupuli. *In noſtro etiam Capuano Breuiario fit mentio S. Lupuli, & Modeſti. In Kalendario Idib.* Octobris Lupuli, & Modeſti MM. *& in officio.* In SS. MM. Lupuli, & Modeſti, omnia de plurimorũ Martyrum, & fiant 9. Pſalmi: tertium ℟. Hæc eſt vera fraternitas. *Hoc idem eiſdem, totidemq; verbis eſt in quodam M. S. ordinario officij, per totum annum. Ita quoque in Martyrologio Capuano M.S.* S. Lupuli, & Modeſti. *Reſponſorium.* Hæc eſt vera fraternitas, *manifeſtè docet SS. Lupulum, & Modeſtum fuiſſe fratres. Lupulus à Natali, & Maurolyco appellatur Luphilus, cui additur ſocius S. Fortunatus.* Luphilus & Fortunatus *(inquit ille)* Martyres ipſo die *(ideſt Idibus Octobris)* Capuæ paſſi ſunt. *Galeſinus hoc ipſo die decimoquinto Octobris.* Capuæ SS. Libuli, & Fortunatæ. *Eſt qui credat Galeſinum erraſſe: at ego nõ audeo quemquam reijcere. Non excludo Modeſtum propter auctoritatem Breuiarij, & ordinarij M.S. ac alterius M.S. etiam Kalendarij. Non excludo Fortunatum, quia Petrus Natalis in vltimo illo capite colligit nomina SS. in antiquis codicibus reperta. Non excludo Libulium, & Fortunatum propter auctoritatem Bedæ, & M.S. libri, quos Galeſinus citat. Imò de Fortunata V. & M. facit mentionem Breuiarium, & tria Kalendaria M.S. pridie Idus. Quare nihil obſtat, quin dicere valeamus, quinq; Sanctos eodem die, & ſi fortaſſe nõ eodem anno, Capuæ affectos eſſe martyrio. Quod ſi Capuanis tantùm Kalendarijs vti volumus, habemus Sanctos MM. Lupulum, & Modeſtum, & Fortunatã Virginem. In Martyrol. Adonis. Idibus Octob. eſt mentio Lubuli, Modeſti, & Fortunatæ.*

Digitized by Google



Digitized by Google



·S· AGNE
·S· Timote-us
·S· Susi-us
S·Ceprianus·
·S·Paulus
·S·Laurentius
·S·Petrus
·S· Quar-tus·




Digitized by Google



Digitized by Google

# NOMINA SANCTORVM

*in inferiori circulo.*

I. S. Priſcus.
S. Felix
II. S. Lupulus.
S. Rufus.
III. S. Aguſtinus.
S. Marcellus.
IV. S. Hippolitus.
S. Canio.
V. S. XISTVS.
S. Cyprianus.
VI. S. Feſtus.
S. Deſiderius.
VII. S. Eutices.
S. Soſius.
VIII. S. Artimas.
S. Aeſimus.

Digitized by Google





Digitized by Google




Digitized by Google

# DE S. MARCELLO MILITE MARTYRE
## *ex M.S. Longobardo Monaſt. S. Ioannis.*

TEmporibus (A) Iuliani Auguſti, Cẽturio quidã ordi- A
narius, Marcellus nomine Romanus in Vrbe fuit,
homo diues, & liberalis, honeſtate morum, & benignita-
te affectus, omnibus ſeſe gratum, & amabilem exhibens.
Qui cum per gratiam miſericordis Dei, omnes homines
ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire volẽtis; Chri-
ſtianæ religionis colla fidei ſummiſiſſet, cœpit in pauperes,
& egenos potiſſimùm beneficus, & largus exiſtere. Hic
(B) cum, certis exiſtentibus cauſis, Apuliam petens, Ca- B
puam diuertiſſet, ad Dijs ſacrificium exhibendum à Dra-
gontio quodam Præſide, ex Cæſaris præceptione, arcta-
tur. Qui cum nec minis territus, nec blanditijs delinitus,
offerẽdis ſacrificijs præſtaret aſſenſum, ad extremum aſtri-
ctus vinculis, cuſtodiæ carcerali excipitur. Factum eſt au-
tem vt eo (C) remorante in carcere, defuncto Dragontio, C
Fortunatus quidam nomine in Præſidatum ſuccederet.
Iſte itaq; eductum Marcellum de carcere ſuis tribunalibus
ſiſtens, cœpit cum eo agere, quatenus Deos immortales
ſtudeat libaminibus oblatis placare. Quem cum parere
monitis ſacrilegis contempſiſſet, ad Agricolanum quen-
dam præfectum militiæ, Præſes deſtinare curauit, literis ei
ſignificans pariter ex præcepto (D) Cæſaris in Marcellum D
hunc legaliter vlciſcendum; vtpote qui ad Chriſtianam ſu-
perſtitionem conuerſus, inuito Cæſare abrenunciaſſet mi-
litiæ. Literis igitur Agricolanus ſuſceptis, & lectis, ſtudet
cum Marcello omnimodis agere, quatenus depoſitis ſu-
perſtitionis vaniſſimæ cultibus, cingulum reſumeret mili-
tarem. Quem cum nec illatis terroribus, nec blanditijs de-
mulcentibus ad ſuæ voluntatis aſſenſum pertrahere ſe

poſſe videret, poſtremò capitalem in eum ſententiã promulgauit. Qui cum ad locum, in quo decollandum ſe nouerat, perueniſſet, inducias ſibi aliquas orandi à carnifice dari petijt, & accepit. Qui cum proſtratus in terram, ſuper eo, quod ad palmam perduci meruiſſet martyrij, gratias Deo, & laudum præconia perſoluiſſet, erigens ſeſe iugulandus in hanc vocem erupit. In manus tuas Domine commendo ſpiritum meũ. Qui mox ad ſpiculatoris ictum
E plexus (E) capite, migrauit ad Dominum. Quod (F) Apu-
F leius eius (G) famulus intuens, ſe Chriſtianum eſſe, & pro
G Chriſto nè mortis quidem formidare ſupplicium, clara cœpit voce clamare. Quod ſpiculator audiens, certus ſe per id ſuo Domino placiturum, ipſius quoq; gladio verticem amputauit. Paſſi ſunt autem SS. Martyres ſub Iulia-
H no Cæſare die nonarum (H) Octobrium, regnante Domino Noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor, & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

## NOTATIONES.

A Temporibus. *Erat annus Domini noſtri trecenteſimus ſexageſimus ſecundus; quia Iulianus ex hac vita deceſſit anno 363. menſe Iunio, nec ad Octobrem, quo menſe Marcellus dicitur paſſus, ille peruenit. Neque poteſt dici fuiſſe annum 361. quia anno trecenteſimo ſexageſimo primo, defuncto Imperatore Conſtantio, tertio Non. Octobris Iulianus imperare cœpit.*

B Hic cum certis, &c. *Legi acta S. Marcelli Tingi, in Mauritania paſſi, de quo Rom. Martyrol. die triceſimo Octobris, & Baron. tom. 2. an. 298. & vidi illis hæc modo relata eſſe perquam ſimilia. In vtriſq; commemoratur idem officium, nempè Centurionis; idem ſupplicium, obtruncatio capitis; eadem ſupplicij cauſa, militiæ abrenunciatio; eadem nomina*

Iudi-

Iudicum, Fortunatus, & Agricolanus: At non propterea fides horum actorum vacillare debet; cum non ſit nouum acta Sanctorum aliquando inter ſe aut parum, aut plurimum conuenire. In theſauro concionatorum referuntur acta S. Blaſij, quem omninò diceres eſſe Blaſium Sebaſtenum Epiſcopum martyrem in Armenia. Et apud Comenſes colitur S. Iuliana perſimilis ei, quæ colitur Cumis, vt notat Ferrarius in Topographia. Imò in actis S. Marcelli Romani, de quo Martyrol. Non. Octobris, eſt nomen Iudicis Aureliani quod in actis Tingitani etiam legitur. Sed præterea animaduerti inter ipſa acta eſſe multum diſſimilitudinis: Hæc noſtra habent Marcellum paſſum imperante Iuliano; illa, Fauſto, & Gallo Conſulibus; atq; ideo ſub Diocletiano, & Maximiano anno 298. Hæc habent, iudicium incœptum eſſe coram Dragontio Præſide, illa coram Anaſtaſio Fortunato. Hæc habent, Fortunatum Dragontij ſucceſſorem, fuiſſe Præſidem Prouinciæ; illa Anaſtaſium Fortunatum Præſidem legionis. Hæc Agricolanum militiæ Præfectum appellant; illa Aurelianum Agricolanum Vicarium Præfecti Prætorio. Itaq; illa acta Marcelli Tingitani Martyris nullum actis Marcelli Capuani martyris, modo relatis, ſcrupulum inijcere poſſunt.

Remorante. Hinc collige S. Marcellum in carceribus diù fuiſſe detentum: oportuit enim interueniſſe Dragontij infirmitatem, deliberationem de mittendo in Campaniam ſucceſſore, Fortunati electionem, & eius ab vrbe Roma ad noſtram vrbem acceſſum. Quæ omnia vix ſpatio menſis potuiſſe perfici videntur. C

De præcepto Cæſaris. Iulianus poſt acceptum Imperium continuò verſatus eſt in Oriente: at nihilominus Occidentalem Eccleſiam per ſuos Præfectos exagitauit. Quare plurimi ſub Iuliano Apoſtata ſubiiſſe martyrium à Rom. Martyrol. commemorantur, Baron. to. 4. an. 362. num. 269. Obſeruandum D



Digitized by Google

*dum quoq; eſt perſequutionem Iuliani ab aliis aliorum Im-
peratorum differre plurimum: alii quippè Chriſtianitatem
vetebant, contra Chriſtianos edicta promulgabant, ad im-
molandum Idolis tormentis impellebant; Iulianus autem
diuerſas necis inſerendæ cauſas prætexebat: quare Marcel-
lus ea de cauſa damnatus à Præfecto, nempè quod militare
cingulum abieciſſet: vera tamen damnationis cauſa fuit Fi-
dei Chriſtianæ confeſſio.*

E Plexus capite. *In Eccleſia ſancti Marcelli ſupra portã ad
Orientem, nunc obſtructam, legitur hoc Epigramma.*

Marcellus ſanctus, contemnens Cæſaris actus,
Eſt Capuam latus, pro Chriſto decapitatus.

*Qui verſus ab Alpherio Capuano Archidiacono, & Paro-
chialis ſancti Marcelli Rectore, poſiti ſunt, vt alii verſus
indicant ibidem appoſiti.*

Cœleſti vita dignus Rius Alphe leuita
Hoc fieri iuſsit, cui laus per ſæcla decus ſit.
& Dat Chriſto ſaluas Abbas Alpherius albas,
Vt Cęli Regnum valeat penetrare ſupernum.

*At quoniam de Eccleſia ſancti Marcelli Maioris incidit ſer-
mo, non eſt omittendũ ex Chr. lib. 2. cap. 10. tempore Princi-
pum Capuanorum fuiſſe morem, vt feria quinta poſt Paſcha
Principes illuc procederent, ibiq; ſacris intereſſent. Adden-
dum, fuiſſe intra Ciuitatem Eccleſiam dictam ſancti Mar-
celli minoris, quam, tranſlata cura in Eccleſiam omnium
Sanctorum, deſtructam vidimus: & eſſe in Diœceſi Muſi-
cilis, & Caturani Eccleſias Parochiales ſub titulo ſancti*
Marcelli:

F Apuleius. *Quod de Apuleo dicitur, falſum cenſeri poteſt,
Apuleius enim fuit in paſſione ſocius* Marcelli Romani, *qui,
docente ſancto Petro, amplexus fidem, ſub Aureliano Con-
ſulari coronam martyrii reportauit.* De illo Martyr. Roma-
num Nonis Octobris. *At vt ſupra diximus, non eſt inſolitum*

*acta*

Digitized by Google

acta Martyrum inter ſe conuenire: tamen eſto ſit error; errori cauſam dedit Apuleius alter, paſſus Capuæ quinto die Nouemb. ut Ferrarius in Topographia refert. Et licet ſubdubitet an Apuleius, & ſocii martyr. ſint, qui Romæ paſſi ſunt; tamen trepidare non debuit, quando codices ab ipſo lecti, Apuleium, & ſocios Capuæ fuiſſe paſſos teſtantur. Eſto præterea ſit erratum in nomine famuli; tamen non credam erratum in rei geſtæ narratione: credo ſiquidem famulum ſancti Marcelli (quoquo nomine ſit appellatus) voluiſſe cum Domino ſuo ſubire martyrium. Cæterum in alijs quoq; martylogijs manuſcriptis commemorantur Capuæ Nonis Octobris Marcellus, & Apuleius; ita quidem in Martyrol. ſanctæ Mariæ de Pleſco, & in Martyrologio Patriciano apud Patrem Caracciolum.

Famulus. *In Breuiario Capuano edito, & in* M. S. *ordinario totius anni, poſt vltimam lectionem, in qua* Apuleius *nominatur Famulus S. Marcelli, ponitur reſponſorium,* Hæc eſt vera fraternitas: *quod indicat illum non fuiſſe famulum, ſed cognatione propinquum: niſi tamen de ſpirituali fraternitate velimus interpretari.* G H

Die Nonarum. *Nonis, vt vidimus, in alijs etiam Martyrologijs eſt commemoratio ſancti Marcelli: & in ipſo die Nonarum olim Capuæ feſtum eius agebatur: Marius Carreſius Rector Eccleſiæ ſancti Marcelli iuxta Romani Martyrologij commemorationem ad pridie Nonas reuocauit. Varietas orta ex illa, quam diximus, duorum Marcellorum in vnum confuſione.*

## NOMINA PLVRIMVM SANCTORVM.

D*Ie ſeptimo Octob. à Ferrario in Topographia notatur Quartus, & Marcellinus; & ita habet additio ad Martyrol. Adonis; & M. S. apud* P. Caracciolum. *In manuſ-*



Digitized by Google

*nuſcripto Martyrol. Monaſterij S. Ioannis*, Nonis Octobris Capuæ S. Quarti Presbyteri.

*Die quinto Nouembris à Ferrario notantur.*

Eurus Quartus, & Pardus MM.

Apuleius, & ſocij MM.

Rogatus, & ſocij MM.

*De Euro, Quarto, & Pardo facit mentionem hoc ipſo die quinto Nouembris Additio ad Adonis Martyrologium, ubi pro Euro legitur Auras. De Pardo meminit M.S. Martyrol.* S. *Petri apud Beneuentum: & Kalendarium Codicis laceri apud* Chioccarellum *Neapoli. De Quarto meminit Beda, affirmans fuiſſe* Presbyterum, *qui Sanctorum Euſebij, & Felicis MM. corpora Tarracina curauit. Hiſtoriam habemus in actis S. Cæſarij, quæ duplicia ſunt in noſtro C.M.S.* Poſtquam SS. Cæſarij, & Iuliani corpora ſepulta fuerunt ab Euſebio monacho, *habent acta*, Euſebius Monachus, & Felix Presbyter cum Dijs ſacrificare nollent, carcere eos detrudi Conſularis mandauit: Nocte verò inſequuta, eos per intermiſſas perſonas Dijs ſuis commonens immolare; cum ipſi id funditus deteſtabile ducerent, eadem nocte plexos capitibus, fluuio, qui dicitur Ligula, in præceptis tradidit immergendos: Sacroſancta corpora mari mox fluuius, mare litori iuxta locum, qui Pineta dicitur, die altera deſtinauit. Capuanus verò presbyter quidam, Quartus nomine (*& ecce quidam presbyter nomine Quartus de urbe Capuana dum tranſiret ad agrum ſuum*) ad agrum proficiſcens ſuum, Sanctorum corpora ſine capitibus die eadem repperit: quæ collecta, vehiculoque impoſita, domum ad ſe veneranter peruexit. Quorum capita, dum anhelus, ſeduluſque perquireret, die altera illibata, Domino largiente, inuenit, humauitque corpora iuncta capitibus, iuxta corpus leuitæ Cæſarij die nonarum Nouembrium.



Digitized by Google

*Die vigeſimo ſexto Nouembris à Rabano commemoratur Capua Nicanor, Caſsianus, & Felicisſimus, vt in Martyrol. edito per Caniſium: ijdem, eodemque die commemotur in Martyrologio Beda.*

# DE S. MATRONA VIRGINE.

*IN Eccleſia S. Priſci Capuanæ Diœceſis colitur S. Matrona Virgo: agitur feſtum die Martij quintodecimo: & hoc ipſo die in Romano Martyrologio notatur S. Matrona Virgo, & Martyr: & illa diuerſa eſt à noſtra Matrona. In Kalendario Theſauri M. S. reperi notatum caractere nigro & Longobardo, Idus.* SCE Matronæ Vir. *Huius acta habuimus non atramento in chartis impreſſa, ſed imaginibus in muris expreſſa, quæ ex muris in chartas ita traduximus.*

Matrona, Portugalliæ Regis filia duodennis, graui ſanguinis fluxu laborabat: pater vndique remedia, ſed fruſtra conquirebat: puella cæleſte implorabat auxilium, & tandem ſui morbi curandi rationem cælitus edocta fuit: Angelus enim illi in ſomnis apparuit, dixitque: Matrona in Italiam perge, in Campaniam penetra, in via Aquaria propè Capuam ſiſte: ibi duos necdum domitos iuuencos inueniens, qui quotidie ab armento ſegregati certo quodam in loco procumbunt: cura tu locum effodi, Beati Priſci Epiſcopi, & Martyris, ex antiquis Chriſti diſcipulis, corpus inueniens: extractis, tactiſque reliquijs, conſiſtet ſanguis, & ſana fies. Nè verò de voluntate diuina ſis hæſitans, accipe funiculum, quem capitibus iuuencorum impones. Matrona ſurgens mane, parentibus noctu viſa narrat: lætantur illi, eligunt duodecim virgines, & probatiſſimos viros, qui comitentur. Matrona ergo cum nobiliſſimo comitatu dimiſſa, Capuam vſq; peruenit, & iuuen-

corum

corum ſigno comperto, locum effodi curauit: inuenit S. Priſci reliquias, & morbus abſceſſit. Acceſsit deinde ad Pontificem Romanum, & Eccleſiæ in honorem S. Priſci conſtruendæ, dedicandæque facultatem obtinuit. Itaq; illo ipſo in loco ſupra ſanctum corpus inuentum, erexit Eccleſiam, & circumiacenti campo dotauit.

*Hactenus acta beatæ Matronæ non ſcripta, ſed picta. Erant picturæ in muris Eccleſiæ iuncta cum tribuna, id eſt cum ſuperſtite illa parte Baſilicæ, quam ipſa Beata Matrona conſtruxerat: tandem aucta populo, amplianda fuit Eccleſia, diruendique picti parietes: Sed Archiepiſcopus Cæſar Coſta mandauit, vt pictor exempla ſumeret, & ſecundùm illa, iconi Maioris altaris paregra apponeret. Præter picturas, epitaphium extat caractere quaſi Longobardo, vel quaſi Francico ſculptum, hiſce verbis.* Anno Domini Quingenteſimoſexto Indictione decimaquarta; regnante Zenone Imperatore in Conſtantinopolitana vrbe; Gelaſio Papa in Romana vrbe, Beata Matrona fieri fecit iſtam Baſilicam ad honorem Beati Priſci, cum auctoritate ſupradicto Papa, & aliorum Prælatorum conſtituit: & ordinauit, vt omnis, qui hanc Baſilicam deuotè viſitauerint, annis mille, centum & duobus Indulgentiam ſuorum peccatorum acceperit.

*Ferrarius in Cathalogo.*

*Eſt cui parum veriſimile videtur, puellam duodennem, quæ dicta ſunt egiſſe; ſed antiquitati deferendum ſibi quoq; videtur. Nos non ita quæ dicta ſunt accipimus, vt puella duodecimum agens annum, omnia illa peregerit: ſed ita vt duodennis ſanguinis fluxu laborare cæperit, & aliquot anni in remediorū experientia præterierint, vt ita magis (iuxta diuinæ prouidentiæ morem) & diuina miſericordia, & accepti beneficij magnitudo cognoſceretur. Imò quid mirum puellam duodennem illa omnia perfeciſſe, quando illi diuina gratia præſto erat? Mira videntur, & tamen vera ſunt,*

*Ferrarius in Cathalogo. 23. Februarij.*

quæ

Digitized by Google

quæ de ſancta Romana virgine decenni leguntur: sed planè non mirum quod à Diuina gratia proficiſcitur.

Præterea ſacrorum hiſtoricorum antesignanus in notatione ad Martyrologium opinatur hanc Matronam, quam in honore nos habemus, eſſe vnam ex martyribus Africanis, quam tempore Vuandalicæ perſequutionis, Epiſcopi inde pulſi hùc aſportarunt: additque non credere ſe actis, quæ nulla ex parte conſiſtunt, & habent illam Virginem ex Luſitania Capuam conceſſiſſe. Si tantus vir opinaretur, S. Matronam viuentem cum ſanctis Epiſcopis Africanis hùc acceſſiſſe, & de S. Priſci corpore perquirendo poſtea monitam; libentiſsimè conſentirem, & adderem opinionem de aduentu puellæ à Portugallia propter ſimilitudinem vocum Portugallia, & Portugaulos, in Acta irrepere potuiſſe: Gaulos enim eſt Inſula in Africano mari contra Siciliam, & à portu Gaulos, ideſt à Portu illius Inſulæ, vel ab Inſula nuncupato, poſſemus opinari diſceſſiſſe Sanctos, qui ad noſtra litora peruenerunt: at verò, dum ille opinatur Matronæ defunctæ reliquias hùc adductas, quia ſic tota negatur hiſtoria, aſſentiri non poſſum. Cur negabo S. Matronam fuiſſe infirmam, & laborantem ſanguinis fluxu, ſi antiquiſſima, & conſtantiſſima deuotio eſt, vt fœminæ, imò etiam viri, quaqua laborent ſanguinis infirmitate, Beatæ Matronæ ſeſe commendent? Cur negabo S. Matronam Baſilicam S. Priſci ædificaſſe, ſi feſtum dedicationis illius Eccleſiæ, antiquiſsima, & conſtantiſſima traditione à Capuanis, Auerſanis, Calatinis, & Caſertanis appellatur feſtum S. Matronæ? Cur negabo acta, in quibus nihil repugnans, nihil improbabile, nihil inſolitum inuenitur? Narratur dormienti puellæ S. Priſci reuelatum eſſe corpus? & hoc non eſt inſolitum: quia S. Pulcheriæ virgini reuelatæ ſunt reliquiæ Sanctorū Quadraginta Martyrum: & Berta monialis ſancta Hunegundis ſepulturam diuina relatione cognouit: & fœminæ

T quæ-

Digitized by Google

*quædam in ciuitate Gazenſi in ſomnis accepit ſignum, quo diſcerneret, & colligeret martyrum oſſa, quæ inter oſſa beſtiarum proiecta, & confuſa, diſcerni non poterant.* De *his Baron.to.5.ann.*438.*to.*10 *fol.*492.*to.*4.*fol.*45.

*N*arratur S. Matronam *admonitam eſſe, vt pro ſanitate corporis obtinenda è Portugallia in Campaniam, longiſſimè poſitam, proficiſceretur? & hoc non eſt inſolitum: quia legimus apud* S. *Antoninum in* Chronico *par.* 2. *tit.* 13. *cap.* 6. *Abbatiſſam quandam in Syria luminibus oculorũ orbatam, admonitam fuiſſe, vt pro cæcitate ſananda* P*ariſios vſque contenderet, atque corpus* S. *Aureæ decentiori in loco reponi curaret: & apud Natalem, & Surium in vita* S. *Quintini legimus quoque matronam quandam* Romanam, *Euſebiam nomine, cæcam, ab Angelo ter admonitam, vt in Gallias ad corpus S. Quintini martyris perquirendum accederet: & in vita S. Sabini Epiſcopi Canuſini, quam in codice Longobardo M. S. habemus, legimus Hiſpanum quendam, Gregorium nomine, toto corpore languidum, admonitum, vt in Italiam ad corpus* S. *Sabini properaret.*

*Narratur, ſigno iuuencorum accepto S. Priſci corpus inuentum? & hoc neque inſolitum eſt: quia corpus* S. *Zacchariæ Prophetæ reuelatum fuit cuidam agricolæ, & demonſtrato loco, datum illi ſignum, nempè futurum, vt refoſſa terra, inueniret arcam, & propè, ſerpentes duos amplitudine mediocres, mites, & innoxios. Et cum corpus S. Saluij in ſtabulo eſſet incognitum, taurus ab alijs animalibus, & immunditijs ſeruauit immune. Et* S. Michael *Archangelus tauri ferociſſimi ſigno demonſtrauit locum in monte Gargano ſibi gratum: & idem ipſe Primas, in Inſula Maris Oceani ſigno ligati tauri, pedibuſq; terram effodientis, oſtendit locum, & formam Eccleſiæ, quam volebat. S. Geneſius M. corpus quoque ſuum indicio bouum reuelauit, narrat Gregor. Tur. mir. lib. 1. cap. 67. lege Bar. tom. 5. ann. 415.*



Digitized by Google

*tom. 9. ann. 801. & Natal. l. 9. cap. 71.*

*Narratur acceſſus ad Papam, & impetratio facultatis pro Eccleſia conſtruenda & dedicanda? & hoc neceſſarium erat: quia, vt è Sanctorum Gregorij, & Gelaſij colligitur epiſtolis, antiquitus inconſulto Romano Pontifice non licebat Eccleſiam dedicare, Bar. tom. 8. ann. 591. num. 27. ann. 598. num. 22. ideoque iure optimo narratur acceſſiſſe Romam: quæ vel ipſamet, vel per alios ſaltem acceſſit.*

*Nunc videor mihi audire dicentem, quonam pacto ſtare poteſt fides hiſtoriæ pictæ, ſi in ſubſcriptione primæ picturæ pater S. Matronæ Rex Portugalliæ notabatur, & eo tempore Portugallia Regni titulum non habebat? Et quonam pacto Epitaphij ſtabit fides, ſi Zenonis, & Gelaſij tempora non conuenerunt? Si annus, hìc Incarnatione, & Indictione ſignatur, tunc verò Conſulibus tempora ſignabantur? Si Indulgentiæ notantur mille, & ducentorum annorum, & eo tempore Indulgentiarum tam larga conceſſio fieri non ſolebat?*

*Hæc obiecta non ſunt tanti momenti, vt hiſtoriæ fidem abrogare valeant. Et primo ſcrupulo ſatisfactum puto, ſi dixerimus, Regem appellari Dominum & Regulum in aliqua Portugalliæ ciuitate: ſic in Romano Martyrologio S. Lucius appellatur Britanniæ Rex; quem tamen Regulum exiſtimandum eſſe Car. Baronius annotauit. Sic in actis aliorum Sanctorum paſſim inuenitur. Pater S. Iuſtinæ dicitur Rex Patauinæ ciuitatis, & S. Erina ſeu Irene dicitur filia Imperatoris, & S. Catherina filia Regis.*

*Quod verò ad Epitaphium pertinet, ego propter caracterem illum, & propter Indictionis obſignationem, libenter concedo illud poſitum fuiſſe poſt annos circiter quadrigentos ab inuento corpore S. Priſci: nempè quando reſtituta Campaniæ aliqua pace, in reparanda templa licebat incumbere. Tunc ſine dubio reparata fuit Baſilica à Saracenis ante deſtru-*



Digitized by Google

*deſtructa & tunc ſculptum Epitaphium eſt, & picturæ continentes acta Beatæ Matronæ muro ſuperinducta. Agantur igitur gratiæ viro pio ( quiſquis ille fuerit ) qui hiſtoriam ſanctam nobis conſeruare ſtuduit. Condonetur illi, ſi qui ſunt, errores, leues enim, & venia digni ſunt: Coniunxit ille tempora Zenonis Imperatoris, & Gelaſij Papæ? ſunt qui exordium Imperij Zenoniani ponunt ann. 476. & 477. Proſper Pariſius in Chronol. F. Leander Alberti in Italia, fol. 125. & producunt ad ann. 492. & 493. & ita Zenonis Imperium vno, & altero anno conuenit cum Gelaſij Pontificatu, qui incepit ab anno 492. & ad 496. durauit. Præterea Breuiarium quo ante commune monaſticum, Patres Gulielmitæ, ſeu de Monte Virginis vtebantur, in Apparitione S. Michaelis Archangeli ita habet:* Anno Dominicæ Incarnationis quinquageſimoſexto Indictione decimaquinta, Zenone Auguſto Imperatore, in ſede verò Apoſtolica Gelaſio Præſule præſidente, in Ciuitate verò Sypõtina Laurentio Epiſcopo: quibus Præſidẽtibus facta eſt inuentio S. Michaelis Archangeli octauo Iduũ Maiorũ. *Item in actis S. Barnabæ apud Natal. lib. 5. cap. 105. legitur illius oſſa latuiſſe vſque ad tempus Zenonis Imperatoris, & Gelaſij* Papæ, *quo tempore, ipſo Apoſtolo reuelante, reperta ſunt: idem habet* Sigisbertus *in Chron. ann. 489.*

*Itaque Auctor Epitaphij, ſi errauit, errauit ipſe cum alijs. Et quoad Indulgentiarum conceſſionem, ſequutus eſt opinionem, quæ ſuo tempore percrebuerat: & facilè quidem opiniones huiuſmodi percrebeſcunt: vt apud Anconitanos, ab Alexandro III. tot ipſis conceſſos indulgentiarum annos, quot vtraque manu arenæ minuta comprehendi poſſent. Bar. to. 12. ann. 1177. Quare dicamus firmam eſſe fidem hiſtoriæ in eo, quod habet S. Priſci reliquias inuentas à Beata Matrona, licet aliquæ res geſtæ circunſtantiæ adeò certæ non ſint. Et profectò non eſt nouum, neque mirum, res antiquitate*



Digitized by Google

*tate oblitas, narrari aliquatulum diuersè, quàm contigerunt: imò non eſt nouum, vt ea, quæ geſta ſunt, niſi ſcriptis tradantur,* euaneſcente *(vtar verbis S. Paulini Nolani in Martyrio S. Geneſij)* per tempus vel tradentium, vel accipientium fide, fabuloſa credantur.

*Quare deferamus antiquitati, amplectamur acta, actis aliorum Sanctorum maximè conſentanea: laudemus viri pij ſtudium in conſeruandis illis.*

*Age nunc. In Epitaphio tria tempora coniunguntur, nempe Gelaſij, Zenonis & anni Quingenteſimi ſexti: quodnam recipiemus? Ego planè tempus Gelaſij Papæ, vel alterum illi proximum libenter accipio: tunc enim Theodoricus Rex, Italiæ vniuerſæ dominabatur, & in ſua ditione habebat Hiſpanias & pacem cum omnibus Principibus Europæ compoſitam retinebat, ita vt itineribus tutis, & expeditis, virgo è Portugallia venire potuerit: Quo etiam tempore Germanus ille ſanctiſſimus Capuanum tenebat Epiſcopatum. Hic nō eſt omittendū habere nos Epitaphia, quæ varijs occaſionibus refoſſa terra in atrio, vel in horto Eccleſiæ nūc exſtantis reperta fuerunt: duo legūtur integra, & ita ſe habēt.*

Hic requieſcit in ſomno pacis Renobatus, qui vixit annos XXIII. Depoſitus Kal. Iulias quater P.C. Baſilici, V C.

Hic requieſcit in ſomno pacis SARMATA, qui vixit annus plus minus 7XX. Depoſitus duodecimus Decembris Flauio Acapito. V C. Conſ.

*Primùm poſitum eſt Kalen. Iulij* quater P. C. *id eſt annus Domini quingenteſimus, quadrageſimus quintus, Baron. tom. 7. ann.* 545.

*Secundum poſitum Flauio Acapito viro clariſſimo Con-*

*ſule,*

Digitized by Google

ſule, indicat annum Domini quingenteſimum decimumſeptimum, Bar. tom. 6. ann. 517. Ecce quam benè confirmatur antiquitas Eccleſiæ S. Priſci; nec fictitiũ eſſe cognoſcitur quod de anno quingenteſimo ſexto habet Epitaphiũ ſupra relatũ.

Quæres nunc de S. Matrona quid actum? Accipe: Conſtruxit domum propè Baſilicam, domus ſuperſunt reliquiæ: dicitur locus la Motta: quod nomen in perſonis ſignificat corrogationem quandam: & in ædificijs, domum, vel oppidum attributis campis cinctum: & vtrumque nobis ſignificare poteſt: nam & domus iuncta Baſilicæ, circumiacentis, & attributi campi caput erat: & ibi cum ſuis comitibus puellis virgo ad mortem vſq; permanſit. Mortuum corpus honorificè conditum eſt in arca marmorea perpolita intra ſacellum, cuius teſtudo muſiuo decorata, quatuor columnis innititur, & parietes candidi, marmoreis politiſq; tabulis incuſtrati, ad auorum vſque tempora perdurarunt. In arca paruulum foramen eſt inferius, e quo ſanctum corpus liquorem, vulgò manna, emiſiſſe dicitur. Nunc ibi non eſt niſi vrna vitrea plena minoribus oſſibus: credunt oppidani eſſe ibi integrum corpus: at quamuis eorum ſit decepta ſimplicitas, pietas tamen decepta non eſt: nam Beatæ Matronæ ſepulchrum piè viſentibus, nunc etiam pietate diuina gratiæ conceduntur, & mulieres, quæ præſertim ſanguinis fluxu laborant, quotidiè interceſſionis virtutem experiuntur. Et Ianuarij die vigeſimo quinto, cum ſit feſtum Dedicationis Eccleſiæ, ſemper nuncupatum eſt feſtum ſanctæ Matronæ: & maximus eſt etiam Capuanis finibus conterminorum ad Eccleſiam S. Priſci concurſus, cum votiuis muneribus inuocantium nomen, & auxilium S. Matronæ.

At quonam tranſlatum eſt ſanctus corpus? Hoc tantum ſcimus, dixiſſe militem quendam Hiſpanum, in quadam (non recordamur nomen) Hiſpaniarum ciuitate die vigeſimo quinto Ianuarij coli Matronam traductam ex Italia.

Fe-

Digitized by Google

Feſtum S. Matronæ in Eccleſia S. Priſci agitur die Martij decimoquinto: quo etiam die Martyrologium Romanum alterius Matronæ Virginis, & Martyris mentionem facit: De hoc non mirabitur eruditus, cum non ſit inſolitum plura feſta eiuſdem nominis in eundem diem incidere; vt apud nos duo Priſci, duo Ruſi vno die à Martyrologio commemorantur. Poſſunt legi alia exempla, vt de ſancta Candida die 4. Septembris, de ſancto Modeſto Februarij 12. de S. Stephano item Februarij 13.

Tandem vt ex actis B. Matronæ omnis ſcrupulus eximatur, quibuſdam ferè quotidianis interrogationibus reſpondebo. Quæri etenim ſolet cur Matrona virgo in icone maioris altaris cernatur cum palma, ideſt cum ſigno martyrij? Certiſſimum eſt, id factum errore pictoris, & cuiuſdam tunc Eccleſiæ presbyteri mercenarij: & ſicut erroris fuit illo modo pingere, ita Rectorum deindè incuriæ fuit errorem non corrigere. Nunc autem in icone illa nihil innouandum eſſe videtur, tum propter eos, qui B. Matronam tempore Vuandalicæ perſequutionis huc ex Africa ſeù mortuã adductam, ſeù viuam conceſſiſſe opinãtur: tum propter Breuiarij noſtri auctoritatem: in illo namq; Idibus Martij notatur S. Matrona Virgo, & Martyr; nec apparet de noſtranè, an de altera loquatur: & de noſtra, ſi loquitur, non eſt omninò reſpuendum: potuit enim B. Matrona perueniſſe vſq; ad ſenectam, & ſenium, & à Lõgobardis impijs, & Idololatris, & turpibus, qui (ex Bar. to. 7. an. 567. vel 68.) in Italiã irruperunt, tormenta pro fide pati, vel pro virginitate, vt alijplures.

Quæritur etiam quorumnam ſint illa gentilitia ſigna, nempè quod eſt in facie Eccleſiæ à dextris pictum, quodq; in arcu cœmentino ſacelli ſculptum? Inter picturas vna erat Beata Matrona itinerantis in lectica: & lecticæ illi pictæ erat appictum inſigne gentilitium, quod quadripartitum, in dextera ſuperiori, & in ſiniſtra inferiori

habet

*habet bennas, vt dicunt, ſeu barras, ſeu liſtas, ſeu verius, cotiſſas nigras, (cotiſſa eſt triplo minor quam Benna, Catal. gl. m. p. p. concl. 72.) & in inferiori dextra, & ſuperiori ſiniſtra aquilam nigram expanſis alis, collo in cœlum erecto: Fuiſſe hoc inſigne gentilitium Beatæ* Matronæ *eruditorum credit nemo, cum huiuſmodi familiarum ſigna tempus Caroli* Magni *excedere non videantur Catal. gloriæ mundi p. p. concl. 57. Meo iudicio erat hoc inſigne alicuius nobiliſſimi viri, qui acta Beatæ Matronæ proprio ſumptu pingenda curauit, additoque ſuo gentilitio ſigno innuere voluit ſe Beatæ Matronæ deuotum, vel ſuam gentem à gente Beatæ Matronæ progenitam.*

*Lilia verò, quæ ſunt in arcu cæmentino, ſine vllo dubio Francorum ſigna ſunt, oſtenduntque dominantibus Francis arcum illum ſacello appoſitum eſſe: arcus etenim ille non eſt cum ſacello conſtructus, ſed additus, & appoſitus, vt nuper occaſione alam Eccleſiæ nouam ædificandi, compertum eſt, & cunctis patuit.*

## DE S. OFFA.

### *Ex hiſtoria monaſtica à Petro Calzolario Caſſinenſi Italicè ſcripta.*

A OFfa ſanctimonialis in Monte ſanctæ Martyris Agathæ ſupra Capuam (*nunc dicitur* (A) *mons Sancti Nicolai*) ſeſe abdens, atq; eremiticam agens vitam; cum ibi corpus abſtinentia, alijſque incommodis affligeret, animam contemplationis pinguedine abundè reficiebat. Sed quia ciuitas ſupra montem poſita abſcondi non poteſt, ſanctitatis eius per vniuerſam Campaniam diffuſa fama, à Beneuentanis accita, monaſterio S. Petri Abbatiſſa fuit. Cum ſororibus in monaſterio communē vitam agebat, il-

Digitized by Google

bat, illud tamen rigidum in monte Capuano ſuſceptum inſtitutum deſerere noluit. Quadam vice, cum inter(B)no B ¦ cturnam pſalmodiam (vt monaſterij, & temporum ferebat conſuetudo) incẽſum circa altare deferre vellet, cecidit in terram nauicula, & diſperſum fuit incensũ: ſed ecce preſtò fuit Angelus, qui in thuribulũ aliud incensũ immiſit, vnde ſuper omnia aromata fragrauit odor. Morti proxima, grauiſsima laborans infirmitate, vt alium præter conſueta legumina, cibum caperet, adduci non potuit, quamuis Beneuentanæ Matronæ, à quibus deuotionis ergo viſitabatur, rogarent, & obſecrarent. Hanc ſupra lectulum, in quo iacebat infirma, ſorores ſæpè raptam in extaſim conſpexerunt. Tandem ſancto fine quieuit, & cum aliquando ruſticus quidam in loco ſepulti corporis ignoranter frumenti ſaccum appoſuiſſet, illum inuiſibili manu indè remotum, longè reiectum inuenit. Hæc ſancta vixit circiter annum Domini milleſimum & ſeptuageſimum.

## NOTATIONES.

MOns. *Mons qui Capuæ imminet, S. Nicolai nunc dictus, olim S. Agathæ dicebatur: docet hoc Caſſinenſe Chronicum lib. 1. cap. 59. in quo legitur:* Similiter etiam quidam Ioannes monachus, natione Capuanus, obtulit in hoc loco Eccleſiam S. Viti, quæ conſtructa eſt in monte S. Agathæ ſupra Capuam, propè locum, qui dicitur Ferruzanum, cum ipſa aqua, & molendinis, & cum omnibus omnino eiuſdem Eccleſiæ pertinentijs, necnon vniuerſis mobilibus ſuis. *Hæc ibi; Verum pro Ferruzano Sarzanum dici debuit: nam Ferruzanum (nunc Ferranzano) vltra flumen eſt. Eccleſia autem S. Viti poſt tergum montis, nomen adhuc extat, & ruinæ ſuperſunt.* A

*Præterea lib. 2. cap. 59. legitur.* Namq; condicto die

egreſſus Capuam ( *ideſt Abbas Caſsinenſis, qui in Monaſterio Capuano quaſi captiuus à Principe detinebatur,* quaſi ſpatiandi gratia vſq; ad Eccleſiam ſancti Marci, quæ eſt ad radicem montis S. Agathæ, atq; inde paulatim ſe, ac pedetentim militibus præfatis coniungens, Neapolim abijt. *Profecto nomen Eccleſiæ S. Marci ad radicem montis ſancti Nicolai adhuc exſtat ſupra lapidicinas, & foſſas hominum S. Priſci. Et eodẽ libro cap. 60. agens de furtis à peſſimo Principe commiſſis, inquit:* Atq; in arce, quam in monte S. Agathæ, qui Capuæ imminet, paulò ante conſtruxerat, omnia ſimul condens, repoſuit. *Additio ad Chronicum ex Dialogis Deſiderij Abbatis refert:* Inſuper etiam omnem Theſaurum huius Monaſterij auferens, aſportauit ( *ideſt ille peſsimus Princeps* ) & in arce, quam non longè à Capuana vrbe, in monte, qui S. Agathæ martyris dicitur, conſtruxerat, in qua multa ſpolia orphanorũ, viduarum, & Eccleſiarum, ac pauperum intulerat, condens, repoſuit, *Nomen arcis, imò ruinæ adhuc extant in culmine montis ſancti Nicolai, vulgò la Rocca di S. Nicola à quibuſdam ( ignoro qua ratione ) dicitur fuiſſe Caſtellum Annibalis.*

*Itaq; mons S. Nicolai ante annum milleſimum, & ſeptuageſimum dicebatur mons S. Agathæ, tempore ſcilicet Deſiderij Abbatis, qui anno milleſimo, & quinquageſimo octauo creatus eſt Abbas: idemq; nomen retentum etiam anno milleſimo centeſimo, vigeſimo octauo: cognoui ex priuilegio Principis Roberti Secundi, dato Monaſterio S. Vincentij, quod in Theſauro Capuano legi. Sed quorſum hæc omnia? profectò vt cognoſcamus quendam gratis ſcripſiſſe, ſanctum Nicolaum Capua tranſeuntem, Tifatinæ ſuperſtitionis fama commotum, petijſſe Tifata, & Dianæ Templum deſtruxiſſe, ideoq; factum vt ſequentibus annis Capuani ſacellum in culmine montis S. Nicolao conſtruxerint, & montis nomen Tifata, in nomen S. Nicolai commutarint. Gratis*

*abſq;*

Digitized by Google

*abſq; dubio, dictum eſt, & falſitatis arguitur ex nomine S. Agathæ, quod ipſi monti fuit antiquius: Imò Chron. lib. 4. cap. 28. docet Aedem S. Nicolai fuiſſe Cappellam S. Angeli ad Formam, à monachis in monaſterio S. Angeli conſiſtentibus, ædificatam poſt annum milleſimum centeſimum quintum. Monachi igitur Eccleſiam S. Nicolai conſtruxerunt, at non in culmine montis, ſed paucis paſſibus longè ab ipſa Eccleſia S. Angeli, nempè aliquantulum ſupra latus fontis nunc fluentis. Viuunt hodie, qui ſciunt vſq; ad tempora Caroli Carrafæ Commendatarij ſuperfuiſſe reliquias Eccleſiæ S. Nicolai illo ipſo in loco. Quare dicendum poſt multos annos deſerto à monachis monaſterio S. Angeli, & deſtructa Eccleſia S. Nicolai, huius Sancti ſtatuam tranſlatam fuiſſe in Aediculam S. Agathæ, quæ in montis vertice poſita, monti nomen dabat.*

*Sed à quo, quaue occaſione Aedicula S. Agathæ in montis vertice conſtrui potuit? Diuerſis diuerſa opinantibus, aſſentior opinanti, Gothos, qui ex nomine S. Agathæ ciuitatẽ ædificarunt, voluiſſe in monte Capuano Aediculam ponere, vt eorum Patrona vbiq; ſicut honore, ſic etiam loco ſublimis appareret.*

Cum inter. *Petrus Damianus epiſt. 5. lib. 8. rem paululum diuerſè narrat, vt Deſiderius Abbas acceperat ab altera moniali, Oſſæ noſtræ diſcipula: verba autem, quibus primò de iuniori, deinde de ſeniori agit, hæc ipſa ſunt.* Venerabili Deſiderio Caſſinenſis Rectore Cœnobij referente, didici, quod his apicibus annotare curaui. Sanctimonialis (inquit) quæ vocabatur . . in monaſterio B. Petri Apoſtoli quod intra mœnia Beneuentanæ vrbis ſitum eſt, deguit, quæ dum vixit, religioſæ vitæ tramitem non reliquit. Porrò dum eſſet deſponſata iuxta natales ſuos, conſpicui germinis viro; vt cœleſtem ſuſciperet ſponſum, contempſit carnale coniugium. Nuptialium itaque B

 tabu-

Digitized by Google

tabularum fœdus abrupit, & monaſticum ſuſceptura velamen, ad perfectæ virginitatis auctorem, & incontaminatæ pudicitiæ thalamos conuolauit. Ab iſtis rudimentis ſanctæ conuerſationis diſtrictioris vitæ ſe lege conſtrinxit, omnemq; carnalis illecebræ mollitiem ſublimis intentionis pede conculcans rigidæ ſeueritatis cenſura, longè aliter educatum corpus edomuit: adeo vt in nudo pauimento membra ieiunijs ſæpius attenuata, collideret: Sed vt de vita huius interim taceam, quod de magiſtra ſua, Oſſa nomine (quæ videlicet eam in ſanctimonialis ordinis religione genuerat, & nobiliter educauerat) retulit, expedire contendam.

Ait enim, quia dum nocturno ſilentio ex more maturius ſurgeret, & orationibus crebris inſiſtens, ſacroſancta altaria cum odore ſuccenſi thymiamatis circumiret, quadam nocte thuribulũ, ſicut ſolebat arripuit, ad locum vbi thus reponebatur, acceſsit, quod caſu quodam, ſiue collapſam, ſiue ſublatam, hanc, ſicut præparauerat, ſpeciem nõ inuenit. Huc acceſsit, quia vis ventorum, quæ tunc inclementiùs inhorruerat, radiantis lucernæ lumen extinxit: cumq; ſolicito ſpiritu religioſa mulier huc, illucq; diſcurreret, & odoramentum, quod thuribulo ſuperponeret, nullatenus inueniret; repentè quidam inter ipſas tenebras venit, & in manu eius thymiama, quod quærebat, immiſit, quod nimirum per Angelum potuiſſe fieri non incongruè poſſum opinari. Aiebat etiam, quia prædicta mater ſua, dum in eo, quo paulo poſt obijt, depreſſa languore decumberet, cernentibus his omnibus, qui coram lectulo propiùs aſsiſtebant, mirabile viſu, repente toto corpore in aerem ſubleuata, ibiq; diù librata perſiſtit, donec cœptæ orationis vota perſoluit. Quæ poſtquã fœliciter obijt, ſanctum corpus eius intra Eccleſiam eſt ſepultum: ſuper cuius tumulum ſaccum frumẽto plenum ruſticus poſuit:

quem

Digitized by Google

quem protinus vehementiſsimo propulſum turbine, diuina virtus abiecit: ſic itaq; rudis, & imperitus ruſticus ſua de puluere coactus eſt frumenta colligere, dum ſancti corporis vaſculo dignam noluit reuerentiam exhibere.

*Itaque ex textu Petri Damiani colligimus, Oſſam Abbatiſſam ſolitam circunire altare cum odoribus, non inter officia ſeruanda conſuetudinis cauſa, pſallentibus monialibus in choro; ſed ob ſuam tantum deuotionem, ſolam, & ſecretà.*

## DE S. IOANNE ABBATE CASSINENSI.

*IOannes Caſsinenſis Abbas à Leone* Hoſtienſi *nõ appellatur ſanctus: at in* Martyrologio *monaſtico* Sanctis *annumeratur,* Pridie Kalend. Aprilis Capuæ S. Ioannis Abbatis: *meminit Ferrarius in nouo Catalogo, & à Petro Diacono ſanctus eſſe ſcribitur. Quod* Hoſtienſis *in Chronico de illo ſcribit, ita ſe habet.*

Ioannes Abbas Viceſimustertius à B. Benedicto, ſedit annis decem & nouem, & menſibus ſeptem. Hic nobilium Capuanorum ortus familia, eo tempore, quo præfatus Abbas Leo deceſsit, Archidiaconi (A) officio in Capuana Eccleſia fungebatur, religioſus valdè, & honeſtis moribus præditus. Sed cum aliquanto tempore congregatio monachorum, quæ Theani conſiſtebat, paſtore eſſet proprio deſtituta, nec inueniretur inter eos aliquis huiuſmodi, qui tantæ prælationis eſſet idoneus; tunc Landulfus, & Atenulfus Capuani Principes, ineuntes conſilium, præfatum Archidiaconum adiere, eumq; tam monitis, quàm precibus, vt eiuſdem congregationis regimen reciperet, compulère: Quo tandem annuente, mox monachus factus, nec multò poſt à fratribus vniuerſis iuxta morem electus, atq; à ſupradicto D. Ioanne (B) Papa honorificè cõſecratus eſt. B

Factus

Digitized by Google

Factus itaq; Abbas, cœpit monere Fratres, vt relicto Theano (Caſsinenſes etenim incenſo à Sarracenis monaſterio, Theanum tranſmigrauerant) Capuam habitaturi ſecum pariter pergerent: quæ videlicet ciuitas & circumpoſitarum ciuitatum primaria eſſet; & in ipſa Domini eiuſdem patriæ Principes habitarent: qui obſecundantes eius Imperio, Capuam omnes ſimul habitaturi profecti ſunt. Verùm in eadem ciuitate monaſterium adhuc non erat ædificatum, ſed in eo loco, vbi nunc conſtructum eſt, iuxta portam ſcilicet S. Angeli, perparua, viliſq; domuncula ſtabat de lignis contexta, vbi tres tantùm, aut quatuor Fratres vetuli morabantur. Hunc ſiquidem locum Maio
C Abbas (C) S. Vincentij, nepos videlicet illius, ſub quo monaſterium S. Vincentij deſtructum eſt, olim à Principibus acquiſierat, & tandem quam diximus Eccleſiolam, atq; domunculam ibi conſtruxerat: ſed cum poſt eum Godelpertus Abbas factus fuiſſet, loquutus cum prædicto Abbate Ioanne, permiſsione, ſeù licentia præfatorum Principum concambiauit cum eo ipſum locum, recipiens ſcilicet pro eo alium locum tantundem ambitus, vbi prius idem Ioannes Abbas monaſterium ſuum ædificare ſtatuerat, & conſequenter ipſe Godelpertus ad Principes iam dictos accedens, acquiſiuit ab eis alium locum iuxta ipſam ciuitatem, & ſuper ipſum fluuium Vulturnum, & cœpit ibi ædificare monaſterium in honore S. Vincentij, & monachos, qui per diuerſa diſperſi fuerant, congregare, & res atq; poſſeſsiones ipſius monaſterij iam dudum perditas, recolligere. Noſter autem Ioannes, tam propinquorum, quàm amicorum nō paruis adiutus ſolacijs, cœpit nihilominus in eodem, quem diximus loco, monaſterium in honore Beati Patris Benedicti à fundamentis conſtruere, atq; intra non multum tēpus magnam, pulchrāq; Eccleſiam, necnon & officinas diuerſis monaſterij officijs con-

Digitized by Google

congruas decenter fecit, ibiq; quinquaginta, & eo amplius monachos victuros regulariter aggregauit. Cuius etiam ſtudio, & cura, Dei præcedente gratia, factum eſt, vt ipſum monaſterium ſubitò alleuatum, atq; diuerſis intus, & exterius opibus ditatum ſit. Fecit ſiquidem ibi inter cætera idem Abbas codicem Miſſalem vnum cum tabulis argenteis deauratis, & gemmis. Euangelium quoq; ſimili opere decorauit: altarium verò vndiq; in circuitu argento veſtiuit. Crucem etiam pulcherrimam cum gemmis, ac ſmaltis ad procedendum fecit. Ceroferaria argentea duo, vrceolum quoq; cum aquamanili ſuo ſimiliter argēteum: vaſcula de auricalco, vel ære ad diuerſos vſus, appendentia libras ſexcentas: Codices Eccleſiaſticos totius anni diuerſos, & multos, Planetas, Pluuiales, & albas, necnon dalmaticas, vniuerſamq; tam in Eccleſiaſticis, quàm in familiaribus vſibus ſupellectilem ſufficientiſsimè præparauit.

Hoc tempore ſatis mirabile ſignum in eodem monaſterio contigit: nam altare maius ipſius Eccleſiæ ab hora diei tertia vſque ad mediam ferè noctem tātam aquarum abundantiam guttatim, inſtar ſudoris, effudit, vt omnia indumenta eiuſdem altaris madefierent. Apud Caſsinum verò poſt renouationem totius maioris Eccleſiæ, cum aliquot Eccleſiaſtica ornamenta idem Abbas feciſſet, altarium quoq; maius, vbi corpus S. P. Benedicti humatum eſt, marmoreis tabulis albiſsimis induit: à prædictis etiam Principibus Landulfo, & Atenulfo præceptum confirmationis totius Abbatiæ ſuſcepit: necnon &c. Obijt autem pridie Kalend. Aprilis, & apud Capuanum monaſterium decenti eſt ſepultura reconditus.

Archi-

Digitized by Google

## NOTATIONES.

A ARchiadiaconi Officio. *Archidiaconatus in Eccleſia Capuana dignitas eſt, & ſecunda: Decanatus enim eſt prima. Hac noſtra ætate Archiepiſcopo D. Cardinali Bellarmino, Archidiaconus, nomine, & prærogatiuis Archidiaconi ſibi retentis, inter presbyteros cooptatus eſt, & ſolenniter celebrat vice Archiepiſcopi, impedito Decano.*

B Ioanne Papa. *Scrupulus non leuis inſurgit. Si Abbas Ioannes vir adeo religioſus erat, & ſanctus, quare conſecrationem accepit à Ioanne Decimo, qui canonicè non fuit electus, ſed in Papatum ſeſe intruſit, vt manifeſtè patet ex Leone Hoſtienſi, & alijs, quos C. Bar. tom. 10. ann. 915. citat? Reſpondemus contigiſſe, vt qui inuaſor ingreſſus erat, accedente cleri conſenſu, habitus fuerit legitimus Pontifex: cuius quidem rei argumento ſunt legationes ex diuerſis partibus ad eum miſſæ: magis autem cultus fuit poſtquam eius opera Saraceni ſunt extincti: non ergo mirũ ſi à Ioanne Decimo conſecrationem accepit, maximè ſi eius conſecratio, iuxtà computationem ex Chr. nouiter edito, contigit anno 916. poſt Saracenorum extinctionem factam anno 915.*

C Sancti Vincentij. *Hic ergo habemus primordia Eccleſiæ, & monaſterij S. Vincentij Capuanæ ciuitatis. At fuiſſe Eccleſiam SS. Vincentio, & Anaſtaſio dedicatam, apparet ex amborum imaginibus in ſuperliminari pictis, & amborum actis pictis in parietibus, quorum pars extat: Dicta eſt Eccleſia S. Vincentij della Cerua: cui nuncupationi cauſam dedit vel cerua lapidea in ſummo tecto poſita, vt in maiori Eccleſia poſita cernitur Aquila; vel locus ipſe, qui ante nouam Capuam conditam, vocabatur alla cerua, ex eo quòd Cerua ſæpeſæpius à Capuano Comite cum venatoribus ſuis* agi-

Digitized by Google

*agitata, in huius loci ſecretum ſpecu ſeſe abdens, facilè capi non potuit. Meo iudicio nuncupationis vtraq; cauſa poteſt eſſe vera: potuit enim propter locum qui vocabatur alla cerua; cerua marmorea in ſummo tecto collocari, & cerua in portæ liminari, vt etiam hodie cernimus, pingi. Planè reparato monaſterio S. Vincentij, ad fontes Vulturni ſito, illius monaſterij, atq; huius Capuani, vnus idemq; Abbas erat. Propterea Eccleſia Parochialis S. Mariæ propè ipſum Monaſterium ſita, necnon ipſi monaſterio ſubdita, appellabatur Sancta Maria in Abbate. Propterea legimus in tranſlatione S. Martini ſolitarij nomen* Hilarij *Abbatis* S. *Vincentij: & in Kalendario mortuorum apud moniales Sanctæ Mariæ nomen Rainaldi venerabilis Abbatis S. Vincentij, 16. Kalen. Aprilis: & propterea in priuilegio quodam, quod ſecundus Robertus* Princeps *conceſſit Eccleſiæ, & monaſterio S. Vincentij, legitur:* Igitur nos prænominatus Secundus Robertus, ſola Dei miſericordia Capuanorum Princeps, notum fieri volumus, &c. Conſilio quoq; ac interuentu Odoaldi noſtri Camerarij, & Petri clerici, & Abbatis S. Michaelis &c. Damus tradimus in monaſterio S. Vincentij Leuitæ, & martyris Chriſti, ſito intus hanc noſtram Capuanam ciuitatem, in quo etiam D. Amicus venerabilis Cardinalis S.R.E. Abbas præeſſe dignoſcitur, tantum de monte noſtro, qui eſt propè . . . . qui dicitur S. Agathes, quam propè Eccleſiam S. Petri, quæ eſt ſubdita ipſi præfato monaſterio, quam etiam Eccleſia S. Georgij, &c. *Habetur hoc priuilegium in Theſauro, & fuit ſcriptum anno* 1128. *primo anno Principatus, menſe Maio Indictione* 6. *Hic eſt Amicus, ex Decano Caſſinenſi factus Abbas S. Vincentij, vt in Chr. lib. 4. cap. 42. Huius AMICI Abbatis, & S.R.E. Cardinalis extat in ipſa Eccleſia S. Vincentij pulchra memoria, extat .n. ſub abſide poſt altare, marmorea cathedra, habens in vtroq; latere ſculptos verſus, qui ſunt.*



Digitized by Google

Ad decus Abbatis, ſeù Cardiquenalis Amici
Hæc ſtruitur ſedes, ſubdentur vt huic inimici.
Hanc ſupra ſedem qui iure ſedere meretur,
Ad patris hinc Aedem Chriſto ducente vehetur

*habēs quoq; in reclinatorio ſculptā Crucē huiuſmodi forma.*




Crux, Agnus, Dextra nos ſaluent intus, & extra.

*De literis, quæ ſunt in quatuor angulis, ſentio primā illam* V *eſſe* A *inuerſum, & illas ita colligendas* A. C. F. D. *& interpretandas,* Amicus Cardinalis Famulus Dei. *Amicus Cardinalis vtebatur ſigno Crucis, quia erat ipſe Cardinalis Presbyter tituli S. Crucis, vt habet Ciacconius fol. 351. appellabat ſe famulum Dei, ſequens laudabilem morem antiquorum Chriſtianorum, & præcipuè Prælatorum. De manu credo, illam fuiſſe ſignum Monaſterij Sancti Vincentij: ſicut manus, ſed aliquantulum diuersè formata, fuit, & eſt ſignum* Monaſterij *Caſſinenſis: vidimus quippè in Sancto Benedicto, in Sancto Ruſo, in Sancto Angelo ad Oialdiſcos,*

*& nunc*

Digitized by Google

*& nunc quoq; videmus in* S. *Ioanne Monialium manum pictam, & ſunt illæ omnes Eccleſiæ Caſsinenſium : quod ſignum, ut ſuppoſitus Cruci verſus innuit, Dei protectionem ſignificat. De duobus Agnis, credo per illos ſignificari Sanctos Vincentium, & Anaſtaſium. Baronius ad Martyrol. die viceſimonono Iunij meminit de duobus Agnis ſub Cruce, qui ſe è regione aſpiciunt. Notator ad ſanctum Paulinum epiſt.* 12. *interpretatur de fidelibus, vel de* SS. *Caſsio, & eius coniuge, in quorum ſepulchro Narniæ illa ſculptura extat. Ego in noſtra Cruce (præter hæc hiſtoricè dicta) poſſum agnoſcere myſteria Trinitatis, & Redemptionis. In vno Agno agnoſco Agnum Dei Filium Patris, qui in ara Crucis immolatus, tollit peccata mundi: in altero agnoſco hominem, Agnum Chriſti, ideſt redemptum ſanguine Agni immaculati, & factum Agnum: iuxta illud,* Paſce Agnos meos: *ecce igitur myſterium redemptionis. Deinde in dextera agnoſco potentiam Patris; in digito anulari flexo charitatem Spiritus ſancti; in Agno Verbum noſtra indutum carne: ecce igitur myſterium Trinitatis.*

*Non eſt omittendum aliquando manus ſic efformatas, vt ritum benedicendi populo preſeferrent. In pauimento* S. *Rufi eſt ſculpta manus alata, habens digitos minimum anularemq; flexos; pollicem verò, & indicem, & medium erectos: qua forma ſine dubio Latinorum Pontificum ritus in benedicendo, myſterium Trinitatis exprimens, repræſentatur.* Manum *illam ita ſculptam, eſſe ſignum Monaſterij Caſsinenſis oſtendunt appoſita verba* S. Benedictus: *ita nunc in manu iſta, quam dicimus eſſe Monaſterij* S. *Vincentij, Ritus Græcorum in benedicendo repræſentari videtur: Græci etenim Præſules cum benedicunt, digitis efformant literas* I.C.X. *anularis enim iunctus, vel decuſſatim pollici ſuperpoſitus, exprimit literam* X. *& Index prorſus erectus ex-*



Digitized by Google

*primit I. iota, & medius aliquantulum flexus C. ſigma, quibus literis I C X. Ieſus Chriſtus exprimitur, ex Imagine S. Chryſoſtomi, edita per P. Antonium Caracciolum, & præfixa conſtitutionibus Clericorum Regularium.*

D Pulchram Eccleſiam. *Eccleſiam ab anno 915. ædificatam, à Deſiderio Abbate renouatam fuiſſe circa ann. 1084. teſtatur Chr. lib. 3. cap. 14. hiſce verbis:* Deſiderius autem poſt iſta, Capuam pergens, & officinas monaſterij Capuani in ruinis iam poſitas cernens, ad renouationem illius animum dedit. Diruta namque priori Eccleſia, iuſſit conduci artifices alios ad muros conſtruendos, alios ad capitella columnarum miro opere facienda: euocanſq; ad ſe Benedictū eiuſdem loci Præpoſitū, præcepit vt in eiuſdē Eccleſiæ renouatione, omnibus rebus poſtpoſitis, ſpecialiter inuigilare ſtuderet. Cuius ille imperio parens, Patris Benedicti baſilicam, ſicut nunc cernitur, pulcherrimam ſatis cōſtruxit: quæ quidem Eccleſia habet in longitudine cubitos octo & nonaginta; in latitudine duos & quinquaginta; in altitudine quadraginta; columnas ab vno latere nouem, & ab altero totidem.

I Nunc cernitur, &c. *Hāc deinde Eccleſiam Paſchalis Papa II. anno 1108. rogatus ab Odoriſio Abbate conſecrauit, & in ea etiam de veſtimentis ſanctiſſimi Patris Benedicti recondidit, Chronic. Caſſin. lib. 4. cap. 33. Tempore Papæ Calixti II. circa annum 1120. Capuana ciuitas conflagrauit, & igni tota ferè conſumpta eſt: Tunc etiā S. Benedicti monaſterio ignis vndique minabatur. Fratres autem humanis rebus diffidentes, & in ſolo Dei adiutorio ſperantes, corporale calicis ſumentes, extra monaſterium in medio ignis poſuerunt: mirum in modum reuerſus ignis, vltra propiùs accedere non audebat: ciuibus etiam omnibus quædam manus, ignem à monaſterio propellens, viſa eſt: Corporale verò prorſus ab ignis iniuria illæſum*

*man-*

*manſit, prater quod, cauſa teſtimonij, eius in medio ſonitamen paruum factum eſt.*

Benedictum, &c. *Hic eſt ille Benedictus, qui non ſine ſanctitatis opinione deceſsit: de hoc Petrus Diaconus*: Benedictus Caſſinenſis monachus, Capuanique cœnobij Præpoſitus, ſub Deſiderio Abbate Caſſinũ veniens, quàm crebrer in pſalmodijs, quàm ſedulus in orationibus, quàm ſtudioſus in eleemoſynis, quam peruigil in vigilijs, luce clarius patet: qui apud Capuanum monaſterium, infirmitate tactus, defunctus eſt vndecimo Kalendas Iunij, ſepultus verò ante oſtium eiuſdem monaſterij ad dexteram partem introeuntibus Eccleſiam: vbi vſque hodie mira virtus diuina patrare non ceſſat.

*Erat Eccleſia, antequam ad Ieſuitas perueniret, tota picturis ornata: habebat in media naui pulcherrimum chorum, & in abſide muſiuum cum imagine Saluatoris, à cuius dextra Sanctus Paulus, & à ſiniſtra S. Petrus eodem opere efformati, cernebantur, ſub imaginibus per gyrum in muſiuo pariter exarata hæc legebatur inſcriptio.*

Hoc Deſiderius, qui & Victor Præſul, & Abbas
Cœpit opus, quod Oderesius optimus Abbas
Compleuit, Benedicte tuum decorans ad honorem.

*Tempore Papæ Leonis Decimi, cum in ipſo Monaſterio non eſſet amplius congregatio monachorum, idem Pontifex N. Patritio Capuano, ex familia de Angelis, ius patronatus conceſsit, referuato tamen Caſſinenſibus annuo cenſu. Conſtitutus eſt ibi Abbas ſæcularis cum Collegio duodecim Canonicorum: & quoniam Leo Papa ſæpè rogatus, & tandem exoratus, reſpondit illi Patritio verbis Italicis*; Sarà fine al tuo Deſio: *ideo Patritius ille figuram finxit (vt illa ætate fingi conſueuerat) quo rem geſtam exprimeret: voluit enim pingi faciem Seraphin, habentem.*

*tem binas alas ſupra, & binas infra, cum inſcriptione Al* tuo deſio. *Tandem Clemente Papa VIII. cum Abbas àſſio quodam agnato occiſus eſſet, voluit idem Papa nullam prorſus Iuriſpatronatus rationem haberi, & proprio motu Cardinali Bellarmino Archiepiſcopo Capuano Abbatiam conceſſit. Qui Dominus Cardinalis, poſt Archiepiſcopatum dimiſſum, egit cum Paulo V. Papa, vt Abbatia efficeretur beneficium ſimplex, & Canonicis ad aliquam aliam Eccleſiam tranſlatis, Canoniæ Sancti Benedicti nomen ſupprimeretur: ipſa autem Eccleſia Patribus Societatis Ieſu concederetur. Ieſuitæ igitur Eccleſiam obtinuerunt ab anno 1611. Miniſtri verò, Cathedralis Eccleſiæ Choro, certis conditionibus, additi.*

*Non eſt prætermittendum Deſiderium, ſeu Victorem, & Oderiſium, nominatos Abbates, ambos in Sanctorum monachorum Caſſinenſi Martyrologio habere ſcripta nomina: legitur ſiquidem Victor die 16. Septembris, & Oderiſius 4. die Decembris: meminit vtriuſq; Ferrarius in nouo Catalogo.*

## VITA S. ALDEMARII MONACHI CASSINENSIS,

*Scriptore Petro Diacono Caſſin.*

A ANno ab Incarnatione Domini circiter Milleſimo (A) ſeptuageſimo, ſanctiſſimus ipſe Aldemarius miraculorum patrator egregius, virtutum meritis præclarus, mundo illuxit. Hic ergo in Capua, totius olim Campaniæ præſtantiſſima vrbe, natus, patrem habuit Ioannem venerabilis vitæ virum; matrem verò Miram, quæ non immeritò tale ſortita eſt nomen, miris enim refulſit operibus. Cum itaq; iſti deuoti coniuges diuinis legibus præcincti,

Deum

Digitized by Google

Deum timentes, præceptaq; eius cuſtodientes, religioſis actibus inſiſtentes, diù prole carerent, obnixis precibus Deum deprecabātur, vt eis filium concedere dignaretur: quorum gemitibus miſericors Dominus, qui voluntatem timentiū ſe facit, annuēs, beatiſsimæ prolis eius præmium cōtulit. Sacri ergo Baptiſmatis fonte lauatus, Aldemarius appellatus eſt. Ab iiſdem parētibus piè educatus, cum ipſorum moribus imbueretur, virtutum etiam, ac ſanctitatis futuræ ſpecimen dabat. Literarum namq; ſtudijs ab illis traditus, ita egregiæ naturæ indole, ac ingenij acumine æquales omnes præcedebat, vt immatura ætas nullius impedimenti illi eſſet ad diſciplinas adipiſcendas, liberaliumq; artium ſcientiam obtinēdam. Tali itaq; pollebat ingenio, non tamen animo inflatus erat, ſed pueriliS ætatis leuitatem morum grauitate compeſcens, nullis voluptatum illecebris ſe patiebatur irretiri: Sicq; cum ſpiritu ſcientiæ clareſcebat etiam in eo ſpiritus timoris Domini. Abſente autem doctore, à ſuis ſodalibus (vt mos eſt puerorum) ludentibus lōgè ſemotus, ſecretiorem locum adibat, nè ſibi impedimento eſſent: ludos enim, ac puerorum curſus, vt inutiles deuitabat, orationi operā dabat, & quantum poſſibile tali adhuc erat ætati, in corporis motu, & inceſſu foris oſtendere qualis habitus formaretur in mente, nitebatur. Vnde ab eiſdem loci alumnis iure vocabulū ſortitus fuit ſapientis; ad ſapientiam enim literarū ſolus incedens, pertingere anhelabat. Porrò parentes eius pueri animum in tenera ætate adhuc poſiti, intuentes, eumq; virtutibus incumbentem, ac terrena omnia deſpicientē agnoſcentes, laudum munia Domino referebant, pro tantæ munere prolis, in cuius adhuc puerili pectore gratiam ſuam, virtutumq; dona ponere dignatus eſſet. Talibus itaq; diuinæ largitatis muneribus illius animus corroboratus, toto vitæ

ſuæ

ſuæ tempore omnem vitiorum immunditiam ſuperauit. Cum ergo ætate adoleſceret, ad cœleſtia iam anhelans, ſacrum Caſsinum adire diſpoſuit, ibique ſub regulari conuerſatione Domino militare. Relictis ergo parentibus, mundiq; voluptatibus, Caſsinenſe cœnobium petens, ab Abbate benignè ſuſceptus, monachali habitu inſignitus eſt. Monachus autem factus ſoli Regum Regi in vigilijs, & orationibus placere ſtudebat: obedientiam, humilitatemq; adeo coluit, vt propter hoc cunctis imitandum ſe exhiberet: nam cum ipſe vniuerſos perfecta charitate diligeret, diligebatur ab omnibus. Abbas itaq; intelligens, quoniam vas electionis erat iſte, leuitico eum ordine ſublimari fecit. Qui tali honore decoratus, iuxta ſapientis ſententiam, quantò maior erat, quantoque ſublimiores gradus aſcendebat, tantò ſe magis humiliabat in omnibus. Non diù tamen lucerna ardens ſub modio latere poterat; ſed iam eius ſanctitatis fama ab omnibus celebrari incipiebat. Tanti ergo viri præconium ad vxoris aures Capuani Principis cum perueniſſet; Abbatem, ſub cuius regimine Dei famulus Aldemarius degebat, adijt, poſtulans, vt ſibi Aldemarius concederetur; cuius precibus annuens Abbas, Dei ſeruum cuiuſdam monaſterij, quod ipſa mulier in honorem ſancti Laurentij (B) in Capuana vrbe conſtruxerat, Rectorem conſtituit. Illius igitur cœnobij venerabilis Aldemarius curam ſuſcipiens, vigilijs, orationibus, carniſq; macerationi quotidie inſiſtebat. Paupertati autem, quam cœlorum viam eſſe nouerat, adeo deditus erat vt deteriora, ac viliora ſibi retinens veſtimenta, quæ nullatenus à frigore eum tueri poterant, noua pauperibus, tanquam Chriſto in eis erogaret. Quamobrem Altiſsimus ita in eo ſibi complacuit, vt ſeruum ſuum miraculorum gratia illuſtrare voluerit, quatenus Dei virtus

B

in

Digitized by Google

in Sancto eius ab omnibus laudaretur. Cernens autem Caſsinenſis Abbas tantum virum, ſignis, & virtutibus coruſcantem, ad ſe eum euocare diſpoſuit: quod audiens præfatæ Capuanæ vrbis Domina, à ciuitate receſſum Dei famuli ægre ferens, omninò renuere cœpit, nè vir Dei diſcederet. Videns autem Aldemarius litem inter Abbatem, & Dominam illam in dies ſuccreſcere, locum deſerere voluit, nè propter ipſum tanta diſcordia amplius haberetur. Omnibus ergo inſcijs Capua egreſſus, Bouiani ciuitatem petijt, in qua duplici miraculo, diuina gratia largiente, illuſtratus eſt. Tres enim in vrbe illa fratres aderant, quandam Eccleſiam pariter poſsidentes, quorum vnus partem quandam illius Eccleſiæ ſibi contingentem, Aldemario tribuit: reliqui verò id indignè ferentes, virum Dei perimere, niſi quantocius inde diſcedere properaret, minitabantur. Ipſe verò in eo, qui protector ſuus, & merces magna erat, confiſus, eorum minas contemnebat, quapropter magis in eum ira, ac furore fremebant quotidie. Quadam verò nocte, dum vir Dei Eccleſiam more ſolitò ingreſſus, ibi in oratione, ac precibus perſeueraret, ipſi telis, armiſq; præcinti, eandem ingredi auſi fuerunt. Inceptis autem matutinis laudibus, vnus ex illis eum occidere niſus, telum in illum vibrauit; quod cum feciſſet, lacertus eius in tantum obriguit, vt brachium flectere nullatenus poſſet. Summo ergo dolore afflictus, pedibus viri Dei prouolutus, cum lachrymis veniam deprecari, atq; vt ſuum illi auxilium impendere dignaretur, inſtanter depoſcere cœpit. Huius autem calamitati compatiens vir Domini Aldemarius, Saluatoris memor præcepti, qui dixit benefacite his, qui oderunt vos; & rurſus: Orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos, continuò Dominum deprecaturus pro illius ſalute ſeſe orationi dedit: qua completa, mox ille ſanitati redditus eſt. Illis item



Digitized by Google

diebus Canonicus eiuſdem vrbis ita infirmitate depreſſus iacebat, vt membrorum omnium vſus, & exercitium penitus ei deeſſet; medicorum etiam ipſi ars nulla prodeſſe nequiret. Quadam ergo nocte dormienti illi reuelatum fuit, quòd ſi Dei famulo Aldemario mittere vellet, vt ſibi aquam benediceret, illaq; inde aſpergeretur, continuò ſanus fieret. Euigilans autem Canonicus, ad virum Dei quendam ex ſuis direxit, vt ſibi aquam à ſe benedictam mittere dignaretur. Quo audito Leuita Aldemarius, huic, qui nuntium attulerat, reſpondit, nequaquam mei iuris eſt, frater, aquæ benedictionem infundere, qui adhuc ſacerdotii munere non fungor: verum petitioni inſiſtendo, eius excuſationibus non acquieſcens, enixiùs flagitare cœpit, vt ad petentis infirmi voluntatem aquam benedicere non dedignaretur. Videns ergo humillimus
C Leuita Chriſti Dei eſſe voluntatem, aquam (C) benedixit, quam celeriter ille ſumens, infirmo Canonico detulit, qui magna animi deuotione accipiens, ac bibens, eaque corpus ſuum aſpergi faciens, priſtinæ incolumitati reſtitutus eſt. His ergo, alijſq; virtutum ſignis pollens famulus Dei, rogatus à ciuibus, & clericis, presbyteri munus tandem ſuſcepit. Ordinatus autem, viuificam, ac ſalutarem hoſtiam Domino in altari immolabat quotidie, ac virtutibus magis inſiſtere curabat.

Inde itaque diſcedens, Monaſteriū S. Liberatoris adijt, quod ad pedes conſtitutum eſt montis, qui Maiella præ magnitudine appellatur: ibi quoſdam reperiens monachos muſicæ artis ignaros, libriſq; ad diuinum cultum adinuentis carentes, aliquandiù commoratus, antiphonarium deſcribere aggreſſus eſt, multiſq; virtutibus coruſcans, ab omnibus vnicè diligebatur. Ad Caſſinenſe Monaſterium poſtea regredi cogitauit, quod vir quidā, Adam nomine, perpendens, eiuſq; diſceſſum non ferens, ipſius

equum.

Digitized by Google

equum abſtulit, nè illinc diſcedere poſſet. Ad alium ergo locum, qui S. Euphemiæ dicitur, directus eſt, ibiq; monaſterium conſtruxit, vbi, monachorum numero aggregato, ijs ſupplicantibus, inuitus Abbatis onus ſuſcipere cogitur, magniſq; virtutibus fulgens, tanquam lucerna in candelabro poſita, exemplum bonorum operum cunctis ſe exhibebat. Dei autem cultus, & honoris zelo exæſtuans, atq; permotus, animarum quoq; ſaluti conſulere cupiens, plurima per Theatinæ prouinciæ oppida, cœnobia conſtruere curauit, innumeram ſeruorum Dei multitudinem, qui diuinis laudibus incumberent, in illis conſtituens. Diuina ergo ducente eum gratia, ad oppidum, quod Bocclanicum dicitur, peruenit, ibiq; Eccleſia quadam reperta, magnum cœnobium ædificare Dei famulus ſtatuit, quod opibus, & auxilio cuiuſdam nobiliſſimi Treuiſij, illarum partium ditiſſimi viri, celeriter conſtruxit. Congregatoq; non paruo monachorum numero, cogente Treuiſio illo, paſtoris onus ſuſcepit. Ibi miris virtutibus enituit, tanta humilitate, tantaq; cum omnibus vſus eſt charitate, vt ab omnibus diligeretur, vnde breui ſanctitatis eius odor vniuerſam prouinciam illam replens, omnes ad eius merita laudanda, ac beneficia per eum recipienda perduxit. Mulier quædam paupercula aridam habens manum, ad eum venit: vtq; pro ea omnipotentis Dei clementiam exorare dignaretur, precibus illum compellere cœpit, quatenus ſui corporis manum priſtinæ reſtitueret ſanitati: ille vt erat mitis, & benignus, lachymis eius commotus, ſacerdotalibus veſtibus aſſumptis, ſacrificium omnipotenti Deo pro illius ſalute offerre non diſtulit: Sacris autem peractis, prædictæ mulieris manum tenens, in cęlumq; oculos lachrymis profuſis eleuãs, ſic Deum precatus eſt: Deus æterne, cui omnes cœleſtes, & terreſtres famulantur creaturæ, omniaq; obediunt ele-



Digitized by Google

menta, tuo omnipotenti verbo creata, à te omne bonum, omne da um optimum eſt, cuius miſeratio ſuper omnia opera tua, huic ancillæ tuæ infirmitate detentæ pietatis clementia ſubuenire digneris, vt iam agnoſcant omnes, quòd te corde puro, & fide non ficta inuocantium preces non deſpicis. Hac ergo oratione peracta, mox mulieris illius manus priſtinæ incolumitati reddita eſt.

Tanta autem in eius pectore diuini amoris flamma decebat, vt non homines tantùm, verum nec ipſa etiam bruta animal a deturbare vel in minimo vellet. Accidit enim, vt cum monaſterium in honorem ſanctiſſimæ Dei Genitricis Mariæ conſtructum peteret, graui ibidem detentus languore, multo tempore commoraretur: ſanitate autem, Deo largiente, recepta, ad monaſterium, cui præerat, reuerſus eſt, arca quadam in præfato cœnobio, in quo infirmatus fuerat, relicta, quam maximum apum agmen, per foramen ingreſſum, per quod ipſa arca claue aperiebatur, non paruum ibi mellis fauum compoſuit. Reuerſus ſeruus Dei Aldemarius ad monaſterium illud, arcæ clauſtra aperiens, quod intus latebat aſpiciens, nullamq; illis moleſtiam inferens, vir pijſſimus domicilium, quod elegerant, benignè eis reliquit. Illinc autem deſcendens ad cœnobium, quod ſuper ripas poſitum eſt, fratres viſendi gratia perueniens, benignè ab illis exceptus eſt. Cum verò nocte quadam, ſicut conſueuerat, vt diuinas laudes perſolueret, ſurrexiſſet, impellente humani generis hoſte, ita grauiter lapſus eſt humi, vt femoris ſui virtutem penitus amiſerit. Illo autem morbo ingraueſcente, ad cuiuſdam oppidi mœnia, quod S. Martinus dicitur, ſe deferri iuſſit, ibiq; febribus ſubitò correptus, poſt multa virtutum opera, & miraculorum inſignia, peracto bono certamine, & curſu fœlici conſummato, vitam in terris Angelicam viuẽs, & mentem in cœlo ſemper affixam habens, pretioſiſſimam

tandem

Digitized by Google

tandem Creatori ſuo animam reddidit: quam inter Angelorum tripudiantes choros in cęleſtibus ſedibus collocauit. (D) Eius autem ſacrum corpus in præfato oppido ſepelire cupientes illius habitatores ad eorum auxilium, & patrocinium, ſtatim ſumpſere ligones, & certatim, nè inde auferretur, terram fodere cęperunt: verum mox fodientibus illis, quidam ibi paruulus lapis, ſic diſponente Deo, inuentus fuit, quem ijdem abſtrahere ſatagentes, totius diei fruſtra conſumpſere labores. Interea audientes monachi, quorum regimini præfuerat, Paſtorem, ac Patrem ſuum è mundo iam migraſſe, illuc properare feſtinant, vt ſacrum eius corpus ad eorum cęnobium ſepeliendum deducerent: Oppidani autem vbi illos adueniſſe ad corpus viri Dei auferendum, agnouerunt, nullatenus, vt ſacratiſſimum corpus inde tollerent, permiſerunt: inſuper ligonum ictibus illos interficere minitati ſunt. Hæc ergo videntes monachi, ad Dominum illius oppidi acceſſerunt cum lachrymis, ac gemitibus rogantes, vt eorum Patris corpus ad monaſterium, cui præfuit, reduci, concedere dignaretur. Tandem poſt multas preces, illis acquieſcens, corpus viri Dei monachis reſtitui imperauit. Tunc lætanter ſacrum Aldemarij corpus monachi ſuſcipientes, maximo fidelium concurſu in hymnis, & laudibus benedicentes Dominum, in decenti, ac decoro, quod ſecum detulerant, feretro poſuerunt, atq; ad monaſterium ſummo honore, cunctis lætantibus, ſepeliendum aſportarunt: Cumq; in Eccleſia collocatum fuiſſet, vt decentiſsimæ traderetur ſepulturæ, quam præparare curabant, multitudine hominum confluente, cuidam pauperculæ mulieri illuc à longè aduentanti, & lepræ morbo laboranti, ita reuelatum eſt: Surge quantocius, atq; ad monaſterium, in quo exequiæ præparantur, præpeti, vt præuales, curſu perge, illius enim meritis, & precibus, cuius corpus in eadem Eccleſia inhumatum

Digitized by Google

matum requieſcit, reddenda es ſanitati. Continuò expergefacta, quę in ſomnis audierat, qualiterq; admonita eſſet, hoſpiti ſuo innuere non dubitauit. Qui de quo corpore hæc intelligi poſſent, ſecum mente reuoluens, confeſtim diuino permotus ſpiritu, recoluit, quòd Beatiſsimi Aldemarij corpus in Eccleſia inſepultum iaceret: nam per eum adhuc in carne degentem mirabilia patrari agnouerat. Mulierem ergo illam ad monaſterium direxit; dicens, celeriter vade, & ſicut in ſomnis admonita es, Dei famulum Aldemarium deprecari non deſinas, ipſe enim eſt, quem tibi Dominus reuelare dignatus eſt. Mulier itaq; vt potuit, ad Monaſterium citò cucurrit, quæ Beatiſsimi Aldemarij intercedentibus meritis, ita ſana effecta eſt, vt nec cicatricum quidem ſigna in ea remanſerint. Tanto itaq; miraculo aſtantes permoti, innumeras Deo retulerunt gratias, qui talia meritis ſerui ſui Aldemarij mirabilia operari dignatus ſit. Decentiſsimo ergo tumulo extra Eccleſiæ muros præparato, magnificentiſsimi honoris ſtudio, monachorum pſallente choro melos dulce organis perſonantibus, omniumq; fidelium iubilo, & lætitia pretioſus theſaurus reconditus eſt.

Anniuerſario autem præfati beati viri Aldemarij die appropinquante, quidam de monaſterij fratribus in grauem morbum incidit, qui nimio febrium calore exæſtuãs, ſancti Patris ſepulchrum adijt, vbi placidiſsimo ſopore oppreſſus, expergefactus poſtea, ita ſanus effectus eſt, ac ſi nunquam ægrotaſſet: qua fama per totã Prouinciã peragrante, omnes varijs morbis languentes ad Beati viri tumulum recurrere feſtinabant, cuius meritis interuenientibus, mirabiliter curabantur. Interea vir quidam Picenæ Prouinciæ oriundus, filiam habebat pedibus contractam, quæ iam triennium tranſgreſſa, nulla incedẽdi ſigna præbebat. Hanc pater ſecum aſſumens, ad ſepulchrum viri Dei

per-

peruenit, & obnixis precibus pro filiæ ſalute deprecari S. Aldemarium non deſinebat. Biduo ergo in precibus elapſo, iam quaſi de ſalute deſperans, triſtis, ac lugens ad propria remeauit; filiamq; ſuam in ſubſellio collocauit. Quæ ſedens, ſic matrem ſuam affata eſt: da mihi baculum, Mater, quo ſubnixa incedere valeam: mater verò hoc audiens, baculum illico præbuit: quo puella accepto, ita protinus inoffenſo gradu ambulare cœpit, ac ſi pluribus annis ipſum adhibuiſſet: Filiam ergo ſoſpitem pater aſſumens, ad ſepulchrum Beatiſſimi Aldemarij acceſſit, eam ibi deuouit, vt quandiù in carne viueret, quotannis munera offerre ſatageret.

Alio quoq; tempore leproſus quidam ex oppido, cui vocabulum Ripa eſt, à primæuo ſuæ vitæ tempore ita vlceribus repletus erat, vt nullus in corpore eius ſanitatis locus appareret. Miraculorum itaq; viri Dei Aldemarij fama commotus, ad monaſterium illud acceſſit, atq; meritis eiuſdem Sancti ita mundatus eſt, vt vix à parentibus agnoſci potuerit. Aliquantulum autem in præfato cœnobio commoratus eſt; quoniam verò patri ſuo vnicus erat, nequaquam ibi ſe diutiùs perſeuerare poſſe fatebatur: quadam ergo die iter arripuit, & patrem in præfato oppido commorantem reuiſit: tanta verò illico correptus eſt lepra, vt omnem ſui corporis figuram amiſiſſe videretur. Dormienti autem illi, in ſomnis ſic reuelatum eſt: Surge, & virum, qui te curauit, repete, niſi enim illuc redieris, nũquam de hoc morbo liberaberis: quacunque autem die illinc diſcedere tentaueris, tali correptioni ſtatim ſubiacebis. Quibus verbis admonitus, expergefactus ad cęnobiũ illud reuerſus eſt, ibiq; perſeuerans, integrè tali morbo curatus eſt: quoties verò à monaſterio diſcedere conabatur, eodem ſemper morbo afficiebatur. His ergo, alijſq; mirabilibus ſignis Sanctiſſimi Aldemarij ſepulchrum iugiter deco-

Digitized by Google

decoratur, ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei, qui viuit, & regnat in omnia ſæcula ſæculorum Amen.

## NOTATIONES.

A MIlleſimo ſeptuageſimo. *Circa annum ab Auctore notatum milleſimum ſeptuageſimum credam potius contigiſſe S. Aldemarij obitum; imò ad annum illum fortaſſe non peruenit: nam, vt mox apparebit, tempore Aloaræ Principis Capuam reuerſus eſt.*

B S. Laurentij. *Eccleſiam cum monaſterio S. Laurentij ædificauit Princeps Aloara, relicta* Pandolphi *Principis, cognomento* Capiteferreo, *cum teneret illa* Principatum *cum Landenolpho tertiogenito filio, nempè ab anno 982. Illa anno 986. ab Archiepiſcopo Capuano Adenolpho præfatæ Eccleſiæ, & monaſterio priuilegium exemptionis obtinuit: ſeruatur hodie diploma in monaſterio* S. *Laurentij Auerſanæ ciuitatis, cui Eccleſia hæc* S. *Laurentij* Capuana *fuit iam pridem annexa. Igitur ſi* S. *Aldemarius rexit monaſterium ædificatum ante annum 986. ab Aloara, quæ non peruenit ad annum 992. credetur anno milleſimo ſeptuageſimo contigiſſe obitum potius, quàm ortum, vel ſuarum virtutum præclarum nomen.*

C Benedixit. *Si Sanctus optimè nouerat ſolius eſſe ſacerdotis benedicere, quonam pacto aquam tandem exoratus benedixit? Profectò benedictionum genus duplex eſt: nam aliquando deprecationem ſolummodo continẽt; aliquando verò rem benedictam, conſtituunt ſacram. In primo genere eſt benedictio panis, carnium, & aliorum huiuſmodi; in altero eſt benedictio Calicis, olei ſancti, aquæ baptiſmalis, & ſimilium; Vterq; modus benedicẽdi pertinet ad ſacerdotem, cui dicitur in ordinatione (*Quæcunque benedixeris benedicantur*) at illa benedictio, deprecatoria tantùm nuncupata,*

Digitized by Google

*tà, non ita ſacerdotum eſt, quin & aliorum eſſe non poſſit, hinc & laicus benedicit menſam, & pater benedicit filios. Itaq; etſi ſacerdos benedicit aquam benedictione, quæ conſtitutiua ſacri nuncupatur, illam etiam aliquando benedicit deprecatoria tantùm benedictione, quomodo benedixiſſe S. Aldemarium certo credo.*

Collocauit. S. *Aldemarius, in cœlo collocatus honoratur in terris, & Sanctus appellatur, & colitur Buccanici, ſeu Bocclanici, quod eſt Oppidum Marrucinorum in Aprutio apud Theatеam ciuitatem. Ita Ferrarius in ſua Topographia.* D

Hanc *vitam* S. *Aldemarij miſit ad me* P. D. *Antonius Caracciolus Clericus Regularis vir vbiq; notiſſimus. Ego tanto viro plurimum debeo, ipſe enim cogitanti mihi de hoc ſãctuario colligendo, animos addidit: ipſe pro ſua in Sanctos charitate, librum hunc diligentiſſimè legit, & de nonnullis admonuit: ipſe vt librum hunc ederem, ſemel, & iterum, & tertiùm quoq; me exhortatus eſt. Ipſius igitur viuat etiam in Sanctuario* Capuano *memoria, & qui ſanctuario delectaberis tanto viro gratias agas.* Hanc *vitam* S. *Aldemarij eſſe eandem quæ habetur in bibliotheca Monaſterij Caſſinenſis in* C. M. S. *Longobardo operum Petri Diaconi, teſtatus eſt mihi Pater D. Antonius Vignarolus à Capua, qui me rogante quæſiuit, inuenit, legit.*

## DE S. STEPHANO EPISCOPO CAIACENSI *ex Breuiario Capuano 29. Octobris.*

TEmporibus igitur Landulphi eximij Principis Capuanæ ciuitatis fuit quidam vir, nomine Ioannes, vxor verò Guiſelperta, in loco (A) lanei ſcilicet degentes, infra finem Campaniæ telluris; quibus erat paruulus filius nomine Stephanus, quem illi in cuna poſitum, puerili af- Lec. I. A

Z fectu

ſectu educantes, animaduerterunt Domini virtutem iam in illius operari infantia: Puer enim paulatim creſcebat corporis magnitudine (ita vt omnes mirarentur) non tam materno vbere paſtus, quàm cœleſti gratia auctus. Hic autem cum ſeptem eſſet annorum, intra mœnia eiuſdem

B Capuanæ vrbis apud Eccleſiã Domini Saluatoris (B) à parentibus ſcholis traditus eſt.

Lec. 2. Hic Dei fauente clementia, literas, omneq; Eccleſiaſticum officium præ cæteris conſodalibus paruo tempore didicit: Quotiens ille pſallebat, aut legebat, ſeù vacabat, cœleſtia ſemper cogitabat, Deumq; creatorem habebat, caduca, & tranſitoria penitus reſpuebat, & ipſe ab ineunte ætate caſtiſſimus, ſuos ſocios caſtitatem docebat, & quos male agentes cognoſcebat, mellifluis verbis corrigebat: omnes diligebat, & ab omnibus diligebatur. Qui cum ta-

C lia ageret, ab omni clero, ipſiuſq; loci (C) Abbate factus eſt clericus, & de gradu in gradum ad ſacerdotij eſt ductus honorem: & non longo tempore poſt in eadem Eccleſia Abbas ordinatus eſt.

Lec. 3. In qua videlicet Eccleſia cum omnibus, quos à die natiuitatis ſuæ habuit, quadraginta quatuor compleuit annos. Per idem tempus, defuncto Vrſo Calacienſi Epiſco-

D po, à Pandulpho (D) Principe, qui tũc Capuæ principabatur, filio ſcilicet prænominati Landulphi Principis, & Giriberto Archiepiſcopo, atq; omni populo, vel clero, gratia

E cunctorum, & lætitia D. Stephanus eſt electus, & (E) con- ſecratus Epiſcopus: In quo videlicet Epiſcopatu iterum

F alios quadraginta (F) quatuor expleuit annos, & obdor-

G miuit in (G) Domino.

NO-

Digitized by Google

# NOTATIONES.

A Pandulpho Principe, &c. *Pandulphus cognomento Capite ferreus, Landulphi III. filius, & Landulphi IV. pater, poſt conſecrationem S. Stephani annos tres, plus minuſuè parum vixit: mortuus eſt enim anno Natiuitatis 980. vt ex vita S. Nili apud Baronium, & apud annotationem ad Chron. Caſſ. ſatis clarè colligitur.* D

In loco lanei. *Laneum vulgò lagno, latinè Clanius, paruum flumen, quod à paludibus Sueſſulanis ad mare Patriæ fluens, Capuanũ territorium ſeiungit ab Auerſano.* Heremperitus *meminit de Laurio riuulo: à Lauio Lanium deductum: nomen Terra lanei, nomen antiquum, & inſcripturis à me lectis inuenitur vſitatum anno* 1165. *Hæc terra Lanei quamquam vltra Capuanos fines longè protenditur, tamen S. Stephanum in loco lanei intra Capuanos fines ortum eſſe, dubitat nemo. Ortus eſt autem in* Pago *qui* Macerata *nuncupatur, & ex illa gente, quæ nunc* Menicilla *dicitur. Ita conſtans traditio docet, quam traditionem cum Archiepiſcopus Cæſar Coſta etiam ab ore Illuſtriſsimi Iulij Antonij Sanctorij* S.R.E. *Cardinalis accepiſſet, pro huius Sancti deuota memoria, Laurentium* Menicillum *adoleſcentulum, nunc Eccleſiæ Cathedralis Primicerium, clericum ordinauit. Et nuper, cum ipſe* Primicerius *hanc traditionem, & alia monumenta apud* Regium *Conſilium Neapolitanũ in acta retulerit, ſententia pronunciata eſt, Gentem Menicillam eſſe* S. *Stephani gentem. Eadem traditio retinetur à Calatinis: imò, vt à* Calatino *quodam accepi, Calatiæ dicitur nulli Calatino ciui canes* Menicillorum *allatrare.* A

Domini Saluatoris. *Hæc eſt Eccleſia, quæ dicitur* S. Saluatoris *maioris; ad differentiam duarum Eccleſiarum, item ſub titulo* Saluatoris: *quarum vna eſt Cappella propè mo-* B

naſterium S. Ioannis; altera erat Parochialis, quæ propter loci indecentiam profanata fuit; tranſlata, coniunctaq; cura Eccleſiæ S. Mariæ, dictæ in Abbate, ſeù S. Vincentij, à qua non longè diſtabat. Eccleſia S. Saluatoris Maioris digniſſima ſemper eſt habita. Quædam anus centum annorum, auia presbyteri Octauiani Sapij, dicebat, à maioribus ſuis dictum, in Eccleſia S. Saluatoris aliquando fuiſſe Epiſcopium: quod in hunc ſenſum interpretor, vt in illa Eccleſia Canonici celebrarint, donec perfectum eſt Epiſcopium ipſum.

C Loci Abbate. Ex inſtrumentis antiquis liquidò conſtat Parochiales omnes Eccleſias & ciuitatis, & Diœceſis habuiſſe miniſtrum vnum maiorem, vnum infimum, vnum, vel plures medios. Miniſter maior dicebatur Abbas, Cuſtos, & tandem dictus eſt Rector: Miniſtri medij dicebantur Presbyteri & tandem Cappellani: Miniſter infimus dicebatur ſacriſta, & tandem Iaconus. Sacriſta ſeù Iaconus Abbati, & presbyteris inſeruiebat, & quæ in Eccleſia minora ſunt officia, peragebat. Præsbyteri, ſeù Cappellani habebant curam animarum in actu, id eſt, habebant actuale exercitium curæ, ipſi nempè miſſas populo celebrabant, ſacramenta ſanis, & infirmis adminiſtrabant. Abbas, ſeù Rector habebat curam in habitu: quamobrem erat illi liberum per ſe ipſum miniſtrare ſacramenta, ſi vellet; ſed omninò neceſſarium erat ſuper vniuerſam Parochiam inuigilare, pecoris vultum agnoſcere, quibus danda, vel neganda ſacramenta perquirere, & diligenter attendere, nè diuinus cultus, vel animarum ſalus quicquam detrimenti pateretur. Imò, vt hic Breuiarium clarè docet (niſi dicamus fuiſſe ſpeciale ius Abbati S. Saluatoris) Abbas in Eccleſia ſua clericos, & presbyteros eligebat, ab Archiepiſcopo tamen inſtituendos. Quia verò Abbates, ſeù Rectores ad actuale exercitium curæ non cogebantur, Abbatiæ, ſeù Rectoriæ cœperunt

Digitized by Google

*runt conferri clericis, qui presbyteri non erant, imò & uni-
ri Capitulari, vel Epiſcopali menſæ: quas unionem Clemens
V. in Concilio Viennenſi nè Epiſcopi ampliùs facerent, in-
terdixit. Hinc legitur Alpherius Archidiaconus, Abbas S.
Marcelli: & in inſtrumento anni* 1116. Robertus Diaco-
nus, & Abbas S. Leucij *& in altero ann.* 1128. Petri cle-
rici, & Abbatis S. Michaelis. *Hinc in Bulla conſecrationis
S. Stephani, Archiepiſcopus commemoratis nonnullis terris,
inquit:* Tali itaq; ordine, & ratione, ut ſubjdeantur Archie-
piſcopatus, aut noſtræ Abbatiæ: *erat autem Abbatia S.
Mariæ ad Peti Archiepiſcopali menſæ coniuncta, ut infra
patebit. Conſuetudo verò committendi regimen Parochia-
lis Eccleſiæ clerico non ſacerdoti, alibi etiam viguit: nam
S. Hugo Cartuſianus & Lingonenſis Epiſcopus, cum Diaco-
nus tantùm eſſet, Parochiam ſibi concreditam rexit: Bzou.
ann.* 1200. *nu.* 20. *Tandem res eò pervenit, ut ipſæ Abba-
tiæ, ſeù Rectoriæ ſub nomine beneficiorum ſimplicium exte-
ris, longè poſitis, & vix prima tonſura initiatis conferren-
tur: & mos inoleuit, ut Rector Eccleſiæ repræſentans, Cap-
pellani regendarum animarum onus obirent. Concilium
Prouinciale Capuanum an.* 1569. *ſtatum priſtinum Paro-
chialibus Eccleſijs reſtituere ſtuduit: ſed quem effectum
prouincialis conſtitutio ſortita fuerit, per ſe patet.*

Conſecratus Epiſcopus. *Bulla conſecrationis inter Ec- E
cleſiæ Calatinæ monumenta reperta eſt, & refertur in quar-
ta parte.*

Quadraginta quatuor. *Ergo vixit S. Stephanus octo- F
ginta octo annos, etſi in potentatibus octoginta anni, am-
pliùs eorum labor, & dolor: ſenio confectus interfuit Conci-
lio prouinciali, & de occupatoribus bonorum Eccleſiæ Cala-
tinæ conqueſtus eſt. Inter monumenta illius Eccleſiæ ſcrip-
tura fuit inuenta in multis conſumpta, integra tamen in
his, quæ ad noſtram hiſtoriam faciunt. Verba ſunt:* EGO

Digitized by Google

PAN.

PALDVLFVS humilis Archiepiſcopus . . . . . . . .
1 quod dum reſiderem in (1) Aula Sanctæ Dei Genitricis,
2 & Virginis Mariæ (2) Sāctorumq; Protomartyris Stephani, & Agathæ cum reliquis Coepiſcopis ſuffraganeis noſtræ Sedis, & cum Sacerdotibus, ac Diaconis, & in circuitu noſtro aſtaret agmen reliquorum ordinum Eccleſiaſticorum, ad ſanctam Synodum celebrandam: tunc in conſpectu omnium ſurrexit de ſubſellio Stephanus confrater, & Epiſcopus Calatianæ Sedis, & cœpit dicere tam mihi, quàm etiam omnibus reſidentibus, atque aſtantibus: Scire vos volo, Domini, & confratres, quod ſedes mea ad nihilum redacta eſt ab illis, qui eius hæredes eſſe permanſerunt: Sed cum prædicti confratris noſtri vox ob infirmitatem, & ſenium ita tenuis ab eius ore progrederetur, vt ad aures omnium minùs perueniret, cœpit humilitas mea tunc alloqui, vt vel ipſe ſic loqueretur, vt ſermo eius clarè ad aures omnium pertingeret, vel vocaret vnum ex ſuis, qui pro eius vice, ea quæ ipſe dicere non valeret, ediceret. Tunc accerſitus eſt Ioannes, Diaconus ſuæ ſedis, & iniunxit ei, vt in conſpectu omnium ediceret, quæ, & qualia damna ab inuaſoribus hæreditatum ſuſtineret. Ad hæc humilitas mea præcepit eidem Diacono, vt nominatim ediceret, qui eſſent inuaſores quoq; laici. Tunc ille in primis nominauit Landonem filium Sighenulphi Comitis, & Adenolfum filium Adenolfi Comitis, & dixit vt iſti inuaſiſſent Curtem S. Coſmæ, &c.

1 Aula. *Paldolfus Archiepiſcopus maiorem Eccleſiam nuncupauit Aulam: potuit habere rationem ſacræ ſcripturæ, vel ſacrorum poetarum, à quibus magnificum templum Aula nuncupatur. En epigramma, quod in muſiuo abſidis exaratum eſt.*

Condidit hanc Aulam Landulfus, & Oto beauit
Mœnia, res, morem: vitreum dedit Vgo Decorem.

Mariæ

Digitized by Google

Mariæ (2). *Hinc non obſcurè colligitur, hic in noua Cagua nomen ſanctiſſimæ Virginis aſſumptum fuiſſe in titulum, & antiquioribus Stephani, & Agathæ titulis additum. Cum in ipſa maiori Eccleſia oĩa feſta ſanctiſſimæ Virginis ſolemniter celebrentur, etiam feſtum ad Niues, etiam ſi aliquod transferri contigerit: & in Aſſumptionis die Archiepiſcopus; & in reliquis alterutrer* Primiceriorum *agant officium; inter amicos non ſemel quæſitum eſt, quænam ſit ratio huiuſmodi ritus? quænam cauſa conſuetudinis?* Mihi quidem *hæc videtur eſſe vera cauſa, nempè quia & ipſa Virgo ſanctiſſima* Patrona *eſt Eccleſiæ, atque cum Stephano, & Agatha, Titularis.* 2

*Hæc Synodus fuit celebrata an. 1007. vel ante: nam an. 1008. Adenulphus reperitur Epiſcopus: & ideo extremum tempus* Paldolphi *non exceſſit an. 1007. S. Stephanus agebat ann. 72.*

Obdormiuit in Domino. *Obijt S. Stephanus (vt nos computamus) anno ab Incarnatione milleſimo viceſimo tertio: à natiuitate milleſimo viceſimo ſecundo. De eius ſepultura, in actis inuentionis eius, ita ſcribitur:* Enim vero penſitarunt Calatini Ciues, ad deuotionem recolendam, vt reconditi ipſius venerabilis corporis extaret articulus digiti manus benedictæ, quotannis populo celebritatis ſuæ die ſolẽni in Miſſa oſtendendi, nec minus oſculandi. Cuſtodiebatur interim in ſacrario ſub digitali argenteo modulo. Proinde ſacello cum altari erecto, ſuper pauimento ferrea cancellatura cingente aliquale buſtum. . . . fabricauerunt è regione verſus illud corpus honeſtiferum, vllis oſſibus poſitis intus; iugiter accenſa lampade, quare opinaretur quiuis latitare ibi reliquias, de quibus loquimur ſacras: excolebant ſeduli quando minimè deerant exorata diuinæ gratiæ dona confugientibus illuc. Timuerunt Calatini nè furto daretur Sanctus deſiderabilis, præſertim G

con-

confinibus Capuæ, & ideo ſic ſtudioſiſſimè abſconderunt.

## MIRACVLA S. STEPHANI.

*Hic Sanctus Epiſcopus viuens, & vita functus miraculis coruſcauit, quorum aliqua in eius officio legit Eccleſia Calatina; eorumq; textus ita ſe habet.* Quodam die celebratis ab ipſo Reſurrectionis Dominicæ miſſarum ſolennijs, contigit, vt quidam clericus calicem, in quo diuina fuerunt pertractata myſteria, tergendum acciperet, quo
A inter manus eiuſdem fracto (erat enim calix (A) vitreus more illorum temporum, quo vitreis calicibus ſacerdotes vtebantur) cumq; id ſanctum Epiſcopum non lateret, ad locum accedens, rem caſu geſtam diligenter examinans, iuſſit partes calicis exhiberi, quibus allatis, fudit ad Dominum preces, ſtatimq; firmus, & integer, vt prius erat. Quo miraculo aſtantes obſtupefacti, Deum in Sancto magnificabant, ipſumq; maiori veneratione proſequebantur. Per idem tempus cum Sanctus Antiſtes in villa quadam ad dedicandum altare in Eccleſia S. Maximi cum ſuis ſe clericis contuliſſet, peracto, vt decuit, Dei opere, in domo presbyteri, qui eandem regebat Eccleſiam, ad corporis refectionem ſumendam ſeceſſit: ibi igitur morante, canis
B aduenit, qui oblatam (B) quam minus cautè in Eccleſia cuſtoditam inuenerat, ore portabat. Ad triuium igitur illius domus cum perueniſſet, depoſuit illam in terra, quam cum reſumere totis viribus conaretur, & non poſſet, vlulando alios canes conuocabat, quibus concurrentibus, nec illam tangere, nedum reſumere valentibus, accurrit populus: nec ſegnis Beatus Stephanus exiit: Cauſa igitur à presbytero audita, qui etiam ſuæ negligentiæ falſus eſt culpam, quærit oblatam, quæ cum ei delata fuiſſet, nec caninis reperiſſet dentibus attrectatam, ſignat illam, & frangit,

git, circumſtantibus reſumendam tradidit: quo miraculo vniuerſis admirantibus, rem hanc inauditam ſancti viri meritis tribuebat.

Nec diſſimile aliud extitit. Cum enim feria quinta ſanctus Domini confeſſor diuina celebraſſet, ſanctiſſimumq; Euchariſtiæ, tam clero, quàm populo tradidiſſet Sacramentum, quod de formata (C) ſupererat, Eccleſiæ cuſtodi magna tutela ſeruandum tradidit: qui iuſſis obtemperans, qua potuit adhibita diligentia, decenti, tutoq; loco depoſuit: ſed oportunitate nocturnæ quietis nacta, mures aduenjunt, parietem penetrant, thecam rodunt, inueniunt formatam, quam inuentam repentino interitu oppreſsi, guſtare non potuerunt: vnde formata intacta manente, apud illam mures mortui ſunt inuenti: quod qui viderunt, & audierunt Dominum benedicere non ceſſabant. C

Poſt mortem quidam clericus cum à Capuano (D) Principe in Apuliā legationis cauſâ miſſus fuiſſet, & trium dierum metam incolumis perfeciſſet, tantam ſubitò capitis incurrit vertiginem, vt in amentiam incidere videretur. Quare inuocatus Stephanus, vt eum à tali morbo liberaret, noctu ei apparuit, factoq; ſuper caput eius ſigno Crucis, omnem capitis languorem effugauit. Hæc ſufficiat pauca ex pluribus exſcripſiſſe. D

Vitreus. *Ante Beati Stephani tempus Concilium Remenſe anno* 813. *& Triburienſe anno* 895. *celebratum fuit, & in vtroq; de vſu vitreorum calicum tollendo ſancitus eſt canon: refert* Gratianus *de conſecratione diſtinctione prima. Verùm quia Concilia illa fuerunt prouincialia, & in partibus Tranſalpinis, non continuò eorum Canones apud nos vſu recepti fuerunt: Quare non mirum ſi tempore Beati Stephani Eccleſia vitreis calicibus vtebantur, nondum enim conſtitutio generalis edita, vel conſuetudo vniuerſalis inducta fuerant.* A

B Oblatam. *Participium præteriti temporis apud Patres non ſemel ponitur pro nomine verbali: imò & vſus ſermonis noſtri vulgaris frequentiſſimè id vſurpat: hinc miſſa pro miſſione, annunciata, pro annunciatione: & ſic oblata pro oblatione, & ſacrificio Miſſæ: tamen hìc oblata ſpecialiter ſignificat placentam triticeam ad vſum ſacerdotis.*

C Formata. *Certum eſt hìc, Formatam ſignificare panem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: ſed quænam ratio nominis? Formata apud patres antiquos ſignificabat literas communicatorias, ideſt literas datas vel à Papa, vel ab aliquo Epiſcopo, ſignificantes aliquem eſſe Catholicæ communionis; & deinde Formatæ dictæ ſunt literæ dimiſſoriæ. De Formatis paſſim Baronius, & Gratianus in decreto. Quare mihi viſum eſt poſſe dici, Formatam accipi pro ipſa communione, ſicut per methonimiam ſignum ponitur pro re ſignificata: & quia in Sanctiſſima Euchariſtia perfecta eſt communio; ideo Formata ad Euchariſtiam benè transfertur. Sed planè credo potius fuiſſe nomē huius patriæ, & ſignificaſſe placentam panis coctam in aliqua forma, ideſt in aliquo particulari inſtrumento ad id deputato: vel ad differentiam panis ordinarij habentem aliquam formam, ideſt ſignum, ſeu imaginem.*

D Principe. *Hic Princeps, meo iudicio, eſt Paldulfus de ſancta Agatha nominatus, qui ab* Henrico *Imperatore detinebatur in vinculis: ſed mortuo Henrico, ſolutus vinculis, Capuam venit, & priſtinos ſuos fautores de Apulia, vna cum Bolano Græcos aſciſcens, Capuam per annum integrum, & dimidium obſeſſam, & expugnatam ingreditur. Chron. lib. 2. cap. 57.* H*oc igitur fuit negotium legationis hìc memoratæ.*

De

# DE INVENTIONE S. STEPHANI.

*Vincius Maſſius Salernitanus, Epiſcopus Caiacenſis, cum legiſſet hymnum in officio S. Stephani;*

Hic iacet corpus Stephani beati: ſacrum corpus eius latet in præſenti tumulo totum præter, prout patet, Digitum in vaſculo reſeruatum ſicut decet, vt pandatur populo.

*de inueniendo, & effodiendo ſancto corpore cogitauit: quare anno 1512. noctis ſilentio cuidam probo ſacerdoti, & corpore quàm robuſto D. Andreæ ſacriſtæ maioris Eccleſiæ, huiuſmodi faceſsit negotium: qui ope implorata diuina, ianuis occluſis, marra, vel ligone aſsūptis, nō minus religioſè, quam nauiter diuitiarum excauandarum ſatageret: nec mora: iuſſa capeſſit Andreas presbyter: pergit fodiens, dum primum Sarcophagum ruiſſet, nouit ibi non eſſe quod quæritat corpus ſanctum: cuius rei cauſa triſtis, domino Vincio clanculè detulit inanem laborem. Præſul verò perculſus dicto, indixit ſilentium, & nè ciues id intelligant, lætitiam diſſimulat, & ſe reperiſſe quod exquiſierat: Imò vt cautiùs ageret, quod lateret ſuos familiares, comiteſq; in re cœpta, caput cuiuſdam cadaueris, cum tibia eodem loco aptari fecit: at mala fama volat in vires, eo quia oſſa illa nec odorem efflabant, neq; Pontificis indicia præferebant. Exeſo cadauere viſo, ſtomachantur ciues: Tribuni, ſeù Electi plebis Vincium adoriuntur probris, miniſuè conquerentes ſcādalum tentaſſe abolendæ deuotionis populi. Erubuit Epiſcopus: quapropter accerſito* Hieronymo de Gentilibus, *ſuo familiariſsimo, deinde Canonico, cœperunt iter ad S. Mariam de Gratijs apud ciuitatem; quod aggrediuntur nudis pedibus, manibus ſupplicibus. Arās ingreſsi, coram Virgine lachrymantes, oratione, & ieiunio confugium exorant.*



Digitized by Google

rant. Non defuit puriſſima virgo: rediere domum, intrinſecus aſſtati, vt ſolum vſq; ad aquarum venas aperirent: Epiſcopus tamen nihilominus hæſitans, collectis ſarcinulis, præfato Hieronymo detegit animum, ſe Romam profecturum niſi corpus deſideratiſſimum innoteſcat. Vehatur (inquit) ſupellectilis omnis noſtra, ad Baiam, Caſtrum Diœceſis noſtræ, itineri confinis Romano, fortaſſe arripienda ſit fuga præ rumore populi. Cum verò nox properaſſet, togam, diploidem caligaſq; deponens, æger ſpatiatur in aula, quaſi dementaſſet, ſeſe obiurgat: Reuocato tandem animo, Andreæ iterum verba facit, dicens, ſpiritus vbi vult ſpirat: Quis ſciat, tendente in meridiem hodierno ſole, mihi triſti ſtanti in ſacra Aede, quidam Agamenon de progenie Fortunatorum, licèt ipſe blæſus, hoc oſtendit cohortans: Ecce muſcæ nonnullæ (inquit) Domine ex parte illa prodeunt, qua ſanctum corpus quæritis, odorem ſpirantes. Portentum ſunt, ipſe aſſero, exurge, inferius deſcendamus, inſtemus operi. Aggreditur iterum obediens Andreas presbyter, præſul autem Vincius anxius Beatam inuocat Mariam. Inter hæc en ſub incepto labore ſuauem ſentit odorem presbyter: inde paululum ſuffodiens, ex cæmento factum apparet ſepulchrum. E veſtigio omnibus relictis, ad domicilium Epiſcopi magno cum iubilo currit: Epiſcopus peruigil, bacchatus iubilatione, totam acclamat familiam: præit ſeminudus, præ gaudio lachrymatur, induit ſtolam, aperit tumulum, & ecce corpus Beatiſſimi Patris patet cunctis integrum, præter illam digiti particulam, quam diximus: Dominus autem Vincius ſtatim manum in ſanctum pectus extendit, crucem (erat enim Epiſcopalibus ornamentis indutum) arripuit, quam quotidie populo inter ſanctas reliquias oſtenderet. Erat corpus ſtatura procerum, vultu prolixum, pia ſerie depoſitum, cancellatis manibus: tunc in tota ciuitate magna facta eſt

Digitized by Google

*eſt letitia, confluunt omnes ad oſculandum manus, & pedes. Vincius ab alto loco concionem letiſſimam habuit; & ciuibus ad propria redeuntibus, collegit reliquias ſacras, & in venerabili Aedicula collocauit, ſeruatis nonnullis fragmentis in ſacrario. Feſtum huius Inuentionis, ſeù tranſlationis celebratur octauo die Pentecoſtes. Hæc de Inuentione fuſiori ſtylo ſcripſit Auctor incertus illius temporis, inde breuiter ipſa nos exſcripſimus.*

## DE SS. IOANNE PRIMICERIO, *& Paulo Præpoſito.*

E*cclesia ſancti Nazari, quæ eſt* Parochialis *in ciuitate, habebat ab Oriente paruam porticum, per quam antiquitus (noſtra enim ætate clauſa erat propter domum hærentem) ad ipſam* Eccleſiam *patebat introitus. Erat porticus tota ornata picturis, inter quas duæ cernebantur coniunctæ imagines, cum nominibus ſuper inſcriptis: Legebatur ſuper vnam* ſanctus Ioannes Primicerius *& ſuper alteram* ſanctus Paulus Præpoſitus. *Ambo capite, barbaq; raſi, & manu florentem ramum tenentes repræſentabantur. At ſanctus Ioannes Primicerius talarem habebat veſtem; ſanctus autem* Paulus *Præpoſitus ſupra talarem lineam, quam dicimus rochetum, & ſupra lineam nigram, quam dicimus mantellettum. Oportet alterum fuiſſe Primicerium* Cathedralis, *& alterum Præpoſitum vel ſancti Benedicti, vel ſancti Vincentij, vel ſancti Laurentij. Horum acta non inuenimus: vtinam modo nominatas imagines haberemus: illa parua porticus pro conſtruendo Oratorio puellarum ſancti Hieronymi deſtructa fuit & imaginum nulla ratio habita eſt. Deo gratias, quod cum iam pridem illas inſpexiſſem, & annotaſſem, nomina ſaltem non perierunt.*



Digitized by Google

*Quamquam dixi horum ulla me non inueniſſe, nunc tamen addo vereri me maximè, vt Paulus Præpoſitus ſit ille Paulus, qui in Chronico Caſsinenſi lib. 2. cap. 55. monachus ſimpliciter nominatur: Sed ſiue vnus, idemq; ſit, ſiue duo, operæpretium eſt, quæ de Paulo Chronicum habet, huc afferre.* Iiſdem quoque diebus (*ideſt circa annum 1025.*) Paulus quidam ſanctæ poſtmodum conuerſationis vir, ad iſtud cœnobium venit, atq; de manibus prædicti Abbatis (*ideſt Theobaldi*) monaſticæ religionis veſtem adeptus, ad monaſterium B. Benedicti intra Capuanam vrbem ſitum, ab eo ad commanendum tranſmiſſus eſt, vbi ſub ſanctæ profeſsionis diſciplina ita feruentiſsimè conuerſatus eſt, vt eius vita prioribus, & religioſis quibuſq; viris eſſe poſſet exemplo, namq; vitæ ipſius exitus docuit quàm omnipotenti Deo eiuſdem conuerſationis vita placuerit. Cum enim languore correptus ad extrema veniſſet, nocte ipſa, qua tranſiturus erat, quidam reuerēdæ vitæ Epiſcopus de Galliarum partibus, ad memoriam Beati Michaelis Archangeli in monte Gargano poſitam pergens, in eadem Capuana ciuitate iuxta Eccleſiam S. Martyris Laurentij fuerat hoſpitatus: qui cum intempeſta nocte ſurgens, deuotè ante prædictam Eccleſiam orationi incumberet, ſubitò ad dexteram Orientis plagam conuertens obtutus, vidit de præfato noſtro monaſterio lucem maximam inſtar ſolis egreſſam, cœleſtia penetrare: cumq; ad viſionem ipſam attonitus ſtuperet pariter, & exultaret, mox campanæ monaſterij ſonitum, qui fratris obitum de more ſignificaret, audiuit, agnouitq; profectò talem ibi aliquem fuiſſe defunctum, qui in luce, quam viderat, peteret cœlum. Statim igitur ſanctus Antiſtes id, quod viderat, ſocijs referens, è veſtigio legatum tranſmiſit ad monaſterium, vt agnoſceret, quis ibi ea nocte defunctus fuiſſet, ſibiq; ex nomine denunciaret.



Digitized by Google

Quo facto, decreuit venerabilis Epiſcopus Pauli ipſius nomen ſibi quandiù viueret, inter Beatorum nomina memorandum.

## DE S. SYMMACHO EPISCOPO CAP. *& de Eccleſia S. Mariæ Maioris.*

IN *Kalendario manuſcripto Theſauri Capuani reperi S. Symmachi nomen charactere nigro, & Longobardo notatum: legitur* 11. Kalen. Nouembris, *id eſt Octobris die.* 22. S. Salomæ S. Symmachi Epiſcopi Capuani, & Confeſſ. Hic *ædificauit Eccleſiam S. Mariæ Maioris in Diœceſi: in ea poſt obitum depoſitus eſt, & anniuerſario feſto recolitur. Olim in Eccleſiæ media naui parabatur altare, & Miſſa fiebat cum oratione* Propitiare &c. in præſenti requieſcit Eccleſia, &c. *At nunc quia nouis noua placent, altare tantùm ibi paratur, & Miſſa in Altari Maiori celebratur.* Huius *nomen in abſide per girum eſt exaratum; legitur enim in illo muſiuo,* SANCTA MARIA SYMMACHVS EPISCOPVS. *Profectò inſcriptio hæc non ſignificat S. Symmachum eſſe Patronum Eccleſiæ, ad hoc enim ſignificandum nomen* SANCTVS *additum eſſet: imò eius imaginem pingi oportuiſſet; quis enim vel ineruditus cogitabit, in muſiuo columbas, caueas, palmas, flores, & id genus alia decuiſſe pingi, & imaginem S. Patroni prætermitti potuiſſe? Iam quia non legitur* SANCTVS SYMMACHVS, *nec eius imago cernitur, neceſſariò colligendum eſt inſcriptionem non ſignificare S. Symmachum eſſe patronum Eccleſiæ: imò quia nomen* SANCTVS *in inſcriptione non eſt appoſitum, argumento eſt, ipſo S. Symmacho viuente fuiſſe poſitam inſcriptionem illam. Hinc conſequitur, vt illa inſcriptio* SANCTA MARIA, *perſonam ſanctiſſimæ Virginis non ſignificet; non enim de-*

*cuiſſet*

tuiſſet nomina ſanctiſſimæ Patronæ, & non Patroni ſimul inſcribi. Quare vel eſt nomen Eccleſiæ; vel Pagi potius, ſignificans à Symmacho Epiſcopo, unà cum populo S. Mariæ ædificatam ipſam Eccleſiam. Recordor mihi puero in pago S. Mariæ ſcholas grammaticæ frequentanti, ſæpè narratum, Sanctum Symmachum fuiſſe fabrum, qui è tegulis Eccleſiæ cecidit, ſed nihil damni paſſus, pauimento genu ſignum impreſſit: & nunc ſcribenti mihi narrarunt Presbyter Auguſtinus Gazella, & Leonardus Roccia Parochus Sabiniani pagi municeper, & ſe quoq; id ſæpèſæpius audiuiſſe. Vulgi narratio non omninò reſpuenda: nam etiam in fabellis anilibus ſicut in luto aurum, eſt aliquid veritatis inuolutum. Separemus aurum à luto. Verum eſt S. Symmachum ædificaſſe templum, & in hoc vulgus inſcriptionem abſidis interpetratur.

Et re verà inſcriptio nihil aliud ſignificare poteſt, quàm Eccleſiam ædificatam à Symmacho, vt Romæ in Eccleſia S. Mariæ inſcriptio Xyxtus Epiſcopus plebi Dei. S. Syxtum Tertium Papam ædificaſſe illam Sanctæ Mariæ Baſilicam indicat Ciacconius in Syxto Tertio. Similis inſcriptio apud Anaſtaſium in Sylueſtro. Conſtantinus Auguſtus & Helena Auguſta: Hanc domum ſimili fulgore coruſcans Aula circundat. Vide vt nomen Conſtantini, & Helenæ nullo addito verbo ſignificent Auctores operis. Sed falſum eſt illum tractaſſe trullam, & malleum: nam auctoritate, conſilio, induſtria, ſumptu, vt decet Epiſcopum, ædificauit, & in hoc inſcriptio corrigit vulgus. Quod verò dicitur de caſu e tegulis, credi poteſt id accidiſſe alicui ex operarijs, qui tamen præſentia, & meritò S. Symmachi nihil mali ſit paſſus; niſi potius ſit allegoria, ſignificans S. Symmachum, ædificata Eccleſia, mox è vita migraſſe.

At verò quonam tempore S. Symmachus vixit, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ Maioris ædificauit? Doleo in re-

ſcitu

Digitized by Google

ſcitu digna nihil certi aſſerri poſſe.

Nam qui ſibi perſuadent, Eccleſiam ſanctæ Mariæ eſſe Conſtantinianam, arguuntur ab Anaſtaſio ſcribente, Conſtantinum Magnum Capuæ Baſilicam Sanctorum Apoſtolorum nomine dedicaſſe: item ab Heremperto ſupra citato in vita ſancti Rufini. Et qui fingunt neſcio cuius Imperatoris Græci filium leproſum, ſoricum linguis à Beata Virgine miraculosè mundatum, florente Capua veteri, vel mox fundata Capua noua, hoc templum extruxiſſe; fingunt multa prorſus improbabilia. Quis credet inter tot filios Imperatorum, hunc ſolum obliuioni traditum, & tot hiſtoricis incognitum? Quis cogitabit ab aliquo Imperatore conſtructam Eccleſiam, in cuius muſiuo Symmachi Epiſcopi nomen, & non Imperatoris exaratum cernit? Et quonam pacto Eccleſia credetur antiquior Capua noua, ſi nec in portis, nec in muris, nec in pauimento, nec in tecto, nec in abſide vllum apparet præ noua Capua ſignum maioris antiquitatis? Imò quia anno 880. & ante Eccleſia ſanctæ Mariæ cognomento Suricorum extabat, ſi iam tum vel gloria miraculorum, vel ſtructuræ magnificentia fuiſſet tam inſignis, in ea quippe vt in inſigniori Eccleſia Diœceſis, diuiſo Epiſcopatu Capuano per Ioannem Papam Octauum, decuiſſet conſecrari Epiſcopum, & tamen conſecratus eſt in ſancto Petro, vt habet Herempertus, qui ſcribit rem ſui temporis, cuiq; conſentit Chronicum Caſſinenſe. Tandem ſi ab antiquiſſimo illo tempore fuiſſet in illa Eccleſia Beatæ Virginis imago miraculoſa, illa quidem imago cẽſenda eſſet illa ipſa, quæ eſt in muſiuo antiquior alijs: at illi ſpecialem honorem, qui alijs miraculosis imaginibus exhiberi ſolet, exhiberi nunquam vidi. Ego igitur mihi videor arbitrari poſſe ſanctum Symmachum vixiſſe poſt ann. 900. & fortaſſe circa annum 950. & quã iampridem extabat, Eccleſiam amplificaſſe: amplificatam verò Eccleſiam ipſam,



Digitized by Google

in dies auctam magis, redactamq; in huiuſmodi formam, qua poſteri ſtupefacti, opinati ſunt fuiſſe opus Imperatorium.

Tandem admoneo, hoc nomen ſanctus Symmachus, vulgo proferri ſancto Simmio; & certè viri docti ſemper intellexerunt, vulgare nomen Simmio eſſe latinè Symmachum, vt Capuanum virum doctum à doctis commemoratum Symmachum Bigium, vulgariter nuncupatum Simmio Brigido, certiſsimum eſt. At quorſum hæc? Vt cognoſcamus non tantum in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris, ſed etiam intra Capuam nouam ſancti Symmachi memoriam eſſe cultam. Erat hic paruulum Oratorium, dictum di ſanto Simio, ſuperioribus annis, neſcio cur profanatum, ipſa tamen ædicula adhuc integra perſeuerat, & eſt illa quam propè ab aquaductu primus fons emanat: Capuani itaque ciues Epiſcopo Capuano in Eccleſia S. Mariæ Maioris deposito, memoriam intra mœnia ciuitatis conſecrauerunt. Huius quoq; nec alterius Symmachi credam fuiſſe Eccleſiam ſancti Symmachi in Diœceſi Caluenſi, Archiepiſcopo Capuano ſubditam, vt legimus in Bulla Alexandri Papæ anno 1173. & Theſauro vnitam, vt in vno inſtrumento Theſauri an. 1445. necnon Eccleſiam in loco, qui propè villam Curtium corruptè dicebatur ſancto Simbrico anno 1369. & anno 1344.

Quia in Taſſa decimarum anni 1375. nulla fit mentio de Rectoria ſancti Symmachi intra Capuam, de qua tamen mentio eſt in altera Taſſa recentiori poſt annum 1500. propterea credo Oratorium ſancti Symmachi conſtructum eſſe intra Capuam poſt annum illum 1375.

Supe-

Anno Dñi Nongenti
Quadraginta nobem
Menſe Martio Ind.
Septima Imperante
Domno Petro Diac.
Leo Magiſter fecit.

*Superioribus annis cum quædam do-mus iam di-ctæ Eccleſiæ dirueretur, inuentus eſt lapis magnus cum hoc Epi-thaphio intra circulum in-ciſò. At verò quid illud eſt* Imperante Domno Pe-tro Diac. *Quid illud* Leo Magiſter fecit*? Profe-cto cognoſci-mus illo quo-que tempore viguiſſe antiquam conſuetudinem, de qua Baron. ann. 34. nu. 28. to. 1. & anno 404. nu. 46. to. 5. ſcilicet vt Diaconi patrimonium Eccleſiæ procurarent. Erat igitur D. Petrus Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Diaconus, & eiuſdem Eccleſiæ cuſtos, & Rector, atque ideo Eccleſiaſtici Patrimonij diſpenſator, quiq; pro ſuo munere domum propè Eccleſiam ad vſum Eccleſiaſticum ædificari iuſsit. Cognoſcimus deinde opifices ſabrefactis nomina ſua inſcribere conſueuiſſe: ſic in portis æneis ſancti Ioannis Monialium nomen magiſtri Odoriſij: ſic olim in illa campana Maioris Eccleſiæ, quæ dicebatur olei, quia ſignificabat veſperi ſequens ieiunium, nomen Magiſtri Nicolai: ſic in Cruce argentea huius Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Maioris nomen Magiſtri Maſij.*

*In hoc Epithaphio notatur annus noncenteſimus quadrageſimus nonus, circa quod tempus, vel paulo poſt (vt arbitror) ſanctus Symmachus vixit, & Eccleſiam ædificauit. Eccleſia verò dedicata eſt Kalend. Auguſti; illo die magna eſt in ea frequentia etiam finitimorum: imò ex epiſtola Regis Ferdinandi ad Ioan. Albinundata, clarè patet Regibus noſtri Regni ſolemne fuiſſe illo die, illam ad Eccleſiam conuenire. In ipſo Pago ſanctæ Mariæ, & extra, imò, & in oppidis extra territorium Capuæ antiqua traditione nar-*

Bb 2 ratur

*ratur, Pontificem Romanum conuocatum fuiſſe ad conſecrandam Eccleſiam, illumq; cum veniſſet, atq; Kalend. Auguſti conſecrare vellet, Kalendarum mane inueniſſe ſuper altare tabellam aureis literis atteſtantem ſuperiori nocte ab Angelis dedicatam Eccleſiam, & indulgentiæ à galli cantu obtinenda conceſſione ditatam. Res profectò miranda, ſed non prorſus inſolita. Olim non erat inſolitum exorari Pontifices Maximos, vt Roma in remotas etiam partes irent ad dedicandas Eccleſias. Alexander Secundus exoratus ab Oderiſio Abbate, Caſſinum acceſſit, & Eccleſiam S. Benedicti conſecrauit anno 1075. vt teſtatur Chronic. Caſſ. & Gelaſius Papa exoratus à S. Sabino, Roma Canuſium vſq; profectus eſt, & Eccleſiam Barolitanam in honorem Beatiſſimi Andreæ Apoſtoli dedicauit, vt legitur in vita S. Sabini, quam Canuſini habent impreſſam, & nos emendatiorem in C. M. S. Neq; fuit inſolitum Eccleſias dedicari manu cœleſti. Notiſsima eſt dedicatio Cryptæ, in monte Gargano ab Archãgelo Michaele peracta anno 493. Et anno 610. Landonijs apud Orientales Anglos Eccleſiam Sancto Petro conſtructam, ipſe S. Petrus nocte, ſtatutam conſecrationi diem præcedente, conſecrauit: refert Baron. tom. 8. Et anno 948. in Diœceſi Conſtantienſi Epiſcopo S. Conrado D. N. I. Chriſtus Cappellam S. Mariæ, dictam Eremitarum, conſecrauit: teſtatur libellus de vita Sancti Menradi Theutonicè ſcriptus, Italicè redditus à Martino Piſcatore Alemano, & Mediolani impreſſus anno 1605. Profectò qui Kalend. Auguſti in Eccleſia Sanctæ Mariæ oculis cernit, & animo conſiderat concurrentium populorum frequentiam, deuotionemq; ab antiquiſsimo tempore continuatam, & ſingulis annis quaſi recentem; cogitur credere in ipſius Eccleſiæ dedicatione mirandum aliquod eueniſſe.*

*Eccleſiæ tam inſignis tria vocabula ſunt: Sancta Maria.*

ria Suricorum, Sancta Maria Gratiarum, Sancta Maria Maior. Primum Sancta Maria Suricorum antiquius nomen, quod legitur etiam in M. S. Caſsinenſi, de eo nos infra in Catalogo Epiſcoporum, anno 880. & concludimus non à Soricibus, ideſt à muribus deriuatum nomen, ſed ab ipſo Vico, qui cenſendus eſt in Capua veteri, ſaltem tempore Longobardorum, Vicus Suricorum appellatus eſſe. Alterum Sancta Maria Gratiarum nomen, acceptum abſque dubio, quando Eccleſia, conceſsis à Beatiſsima Virgine gratijs, coruſcare cœpit: & tertium Sancta Maria Maioris, quando Eccleſia, quæ gratijs coruſcabat, auguſtiùs amplificata, cæteras in Diœceſi eiuſdem nominis antecelluit. Alterum nomen legitur in Epiſtola Regis Ferdinandi ad Ioannem Albinum & in Italia P. Alberti Leãdri. Tertium legitur in Priuilegio, quod Monaſterio S. Ioannis Monialium ſcripſit Robertus II. Princeps anno 1129.

Inquies. Cur Santo Symmacho ex tot Eccleſijs exiſtentibus in Diœceſi, S. Mariæ Maioris cura fuit? Ego ſicut certò ſcio Rectoriam Eccleſiæ S. Mariæ Maioris annexam Archiepiſcopali menſæ; ita certò credo annexionem ab antiquiſſimo tempore factam eſſe. De annexione, & ſubiectione quæ ab annexione procedit, certò cõſtat ex multis inſtrumẽtis Theſauri, præſertim ex ſcriptis tempore Iordani Archiepiſcopi: vt cætera omittam, accipe quæ habentur in vno ann. 1450.

Infraſcriptam petiam terræ ipſius Leonelli, quam tenere ſe dixit ab Eccleſia, & Hoſpitali S. Maioris de Villa S. Mariæ Maioris pertinentiarum dictæ ciuitatis Capuæ, immediatè ſubdita, & annexa, ſubdito, & annexo Archiepiſcopali cameræ Capuanæ ad infraſcriptum redditũ, &c.

Accipe quæ in altero antiquiori ſcripto tempore Alphani Archiepiſcopi ann. 1153. Fundus, & Sedilis pertinens Eccleſiæ Sanctæ Mariæ Maioris, quæ eſt ſubdita præfatæ Eccleſiæ Sancti Stephani. Et nè putes verba eſſe de illa

gene-

generali ſubiectione, qua omnes Eccleſiæ ſubduntur Epiſcopo; ſed de ſpeciali, quæ ab annexione procedit; nota Eccleſiam non dici ſubditam Archiepiſcopo, ſed Eccleſiæ Sancti Stephani: ſcito inſuper in illo inſtrumento narrari Alphanum Archiepiſcopum permutaſſe fundum, qui erat Eccleſiæ Sanctæ Mariæ: Si Alphanus non fuiſſet ipſe Rector, vtique non ipſe permutaſſet, ſed vt Archiepiſcopus permutationem à Rectore factam, ſolummodo confirmaſſet. Erat igitur annexio facta quampridem: & illam ad antiquiſsima tempora; ſine ſcrupulo reuocare debemus: quandoquidem ex bulla Sancti Stephani Caiacienſis Epiſcopi conſtat, iam tum ab illo antiquiſsimo tempore Capuanam Eccleſiam habuiſſe & alias Abbatias (vt nunc dicimus Rectorias) inferiorum Eccleſiarum ſibi ſubditas, & annexas. Igitur & ſine vllo ſcrupulo affirmare poterimus, Sanctum Symmachum, vt qui erat Archiepiſcopus Capuæ fuiſſe, & ipſum (& fortaſſe primum) Abbatem, ideſt Rectorem Sanctæ Mariæ Maioris, ideoque illius Eccleſiæ ſpecialem geſsiſſe curam.

Nunc apparet certa ratio, cur D. Archiepiſcopus habeat in Eccleſia Sanctæ Mariæ quædam ſpecialia Iura præter generalia, quæ habet in omnibus Eccleſijs ſibi ſubiectis: ratio, inquam, ipſa eſt Ius Rectoriæ, quo in ea potitur. Hac ratione Stephanus Archiepiſcopus in ea Crucem fecit argenteam grandem, cui & nomen, & ſua gentilitia ſigna inſculpta eſſe voluit. Hac eadem ratione Philippus Barrilis Archiepiſcopus eidem Eccleſiæ nouas dedit valuas, quibus Leonem alatum, ſeù dixeris Griphum, ſignum gentile Barrilium Neapolitanorum appoſuit.

Quæret aliquis à quonam tempore Collegium Canonicorum in Eccleſia Sanctæ Mariæ ſit inſtitutum? Ego nihil certi afferre poſſum: quia tamen inueni Gerbertum Zarrillum Canonicum Sanctæ Mariæ Maioris ann. 1350.

cenſeo

Digitized by Google

cenſeo Collegium illud eſſe multum antiquum, imò conijcio eſſe antiquiſsimum, vt vnio illius Eccleſiæ cum Archiepiſcopali menſa antiquiſsima eſt: Videtur enim rationi congruum Præſulem in Eccleſia tam inſigni nunquam deguiſſe ſine Canonicis.

## CIVES CAPVANI DIVERSARVM
### *Eccleſiarum Prælati.*

QVi legiſti S. Bernardum Epiſcopum Caleni, & S. Stephanum Epiſcopum Calatiæ, ſcito plurimos è Capuano clero aſſumptos ad diuerſas Eccleſias: eorum diſperſa ſunt nomina: pauca tamen, quæ occurrunt, hic conſcribere, non iniuncundum arbitror.

## PONTIFICES MAXIMI.

HOnorius Primus, Petronij de la Marra, viri conſularis filius, Campanus, At quoniam multi Romani Pontifices ſcribuntur NATIONE CAMPANI, eorumq; patria ſimul exprimitur; ſolus autem Honorius ſimpliciter CAMPANVS appellatur; propterea videtur Honorius fuiſſe patria Capuanus: & planè interpres Italicus Platinæ Magiſter Bartholomæus Dionyſius Fanenſis Campanum, natum Capuæ interpretatur. Ego non contendam.

Hic Decimus Papa Regnicola, imperante Flauio Heraclio ſedit in Petri Cathedra annos 12. menſes 11. dies 7. creatus eſt die Dominico 7. Idus Nouemb. ann. 622. iuxta Ciacconium; ſed. an. 626. iuxta Baronium: obijt ann. 635. ſeù veriùs 638. Fuit Honorius Canonicus Regularis: eius Pontificatum Hæretici Monothelitæ, vnam dumtaxat voluntatem, & actionem in Chriſto Deo ponentes, perturbarunt: & quidam huiuſmodi crimen ipſi Honorio impingere ſtu-

ſtuduerunt: at Sanctiſſimum virum illi hæreſi nunquam ſubſcripſiſſe, imò illam condemnaſſe ſatis manifeſtum oſtendit Baronius. Hoc ipſo Pontifice, Heraclius Imperator Perſica potitus victoria, Crucem Domini recuperauit, & Hieroſolymis ſuo honori reſtituit. Hic Sanctiſſimus Pontifex in fide propaganda, & gentibus conuertendis, ſolertia nunquam ſatis laudata laborauit: erudiuit clerum, & omnem penè renouauit: Eccleſias, Oratoria, & Cœmeteria vel conſtruxit, vel refecit, vel exornauit. De hoc Romæ in Eccleſia S. Pancratij huiuſmodi fuit inſcriptio. Ob inſigne meritum, & ſingulare B. Pancratij Martyris beneficium Baſilicam vetuſtate confectam, extra corpus Martyris neglecto, antiquitatis extructam Honorius Epiſcopus Dei Famulus, obruta vetuſtatis mole, ruinamq; minante, fundamentis à nouiter plebi Dei conſtruxit, & corpus Martyris, quod ex obliquo Aulæ iacebat, altari inſignibus ornato metallis, proprio loco collocauit. *Ex Ciacconio fol.* 181. *ex Baron. tom.* 8. *an.* 638.

*Gregorius Nonus (in minoribus Vgolinus) Capuæ ciuitate Campaniæ felicis, Triſterio Anaguino patre natus, XXIII. Papa Regnicola, ex Comitibus ſigniæ, Innocentij III. nepos, à quo, Cappellanus, & Subdiaconus primum fuit, mox Diaconus Cardinalis tit. S. Euſtachij, ac demum Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis, & Veliternus ab Honorio III. factus, creatus Romæ omnium Cardinalium ſuffragijs, altero poſt Honorij obitum die Sabatho* 13 *Kalend. Aprilis ann.* 1227. *Imperatore Friderico II. Auguſto ſedit ann.* 14. *menſes* 5. *dies decem: obijt* 11. *Kalend. Septemb. ann.* 1241. *cum paulò ante ſolis Eclypſis appáruiſſet quantum nunquam antea: ſepultus in Baſilica Principis Apoſtolorum.*

*Fuit Gregorius IX. conſtantia, animi magnitudine, & vitæ ſanctitate clariſſimus, Iuris Eccleſiaſtici conſtantiſſimus*

mus

mus aſſertor, cuius tuendi cauſa multas aſſlictiones paſſus eſt, nec vnquam ab eo munere ſtrenuè obeundo auerti potuit.

Et cum eſſet vir diuini, humaniq; iuris conſultiſſimus, opera F. (nunc ſancti) Raymundi de Pennafort Hiſpani Barchinonenſis, Ordinis Præd. Tertij Generalis Magiſtri, decretalium librum digeſſit, condidit, euulgauit.

Aſsiſij S. Franciſcum Minorum inſtitutorem anno 1230. & Rheate S. Dominicum Ordinis Prædicatorum Patrem anno 1233. in Sanctos retulit: ſicut & paulopoſt Beatum Antonium Hiſpanum Vliſponenſem, vocatum Patauinum, & Eliſabetham Regis Hungariæ filiam, viduam, miraculis claram, Inſtituit, vt in Eccleſia caneretur precatio SALVE REGINA, quam multis ante annis Sanctus Monachus Hermannus contractus compoſuerat; vt poſt occaſum, ſolis campana pulſata ſigno oraretur ad Deiparam Virginem: vtque in eleuatione Sanctiſsimæ Euchariſtiæ, necnon eius ad infirmos delatione pulſarentur campanæ. Nihil demum prætermiſit, quod ad vrbis ornatum, Eccleſiæ decus, & maieſtatem Pontificiam aſſeruandam neceſſarium arbitraretur: ex Ciaccon. ſol. 547.

## CARDINALES S. R. E.

ALDEMARIVS Capuanus Campanus, cum eſſet Capuanæ Eccleſiæ clericus, & Richardi Capuani Principis à ſecretis, Monachus in monaſterio Caſſinate ab Abbate Deſiderio factus; diù ſanctiſſimè in ea congregatione vixit. Cuius virtutem admiratus Deſiderius, eum Abbatem conſtituit, vt cum duodecim Monachis in Sardiniam Inſulam præſtantiſſimis, vt monachorum normam in ea conſtituerent, Boriſi Regis rogatu ire iuſſit. Qui cum ſocijs à prædonibus Piſanorum Regis Sardiniæ hoſtium captus, re-



Digitized by Google

bus omnibus ablatis, incolumis dimiſſus eſt, & ad monaſterium Caſſinate rediјt. Quod intelligens Alexander Papa, eum Romam accitum, Hildebrandi Archidiaconi ſuaſu, Abbatem monaſterij S. Laurentij extra muros vrbis, & presbyterum Cardinalem conſtituit: ſub quo multis virtutibus clarus, vita exceſsit. Multa de eo ſcribit Leo Oſtienſis lib. 3. cap. 24. hiſt. Caſſinatis. Ciacc. in Alex. II. fol. 324.

Petrus Capuanus, Campanus Monachus Caſſinas, Abbas Monaſteſterij S. Benedicti Salerni, presbyt. Card. tit. S. ſummo loco natus, generis nobilitati eximiam virtutem adiunxit. Ex libro Monaſtico Baptiſtæ Bertonenſis Abbatis. Ciaccon. in Alex. II. fol. 325.

Thomas de Capua Campanus, presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ, duas Legationes cum Rainaldo Epiſcopo Oſtienſi egregiè geſſit; primã Viterbium, qua Viterbienſes ferali odio cum Romanis decertantes, in gratiam reduxit: alteram ad Longobardorum vrbes, quæ Imperatori Friderico II. hoſtes erãt, quos cum ante eos Legatus miſſus Iacobus Præneſtinus Epiſcopus pacare non potuiſſet, parum & ipſi profuerunt: Germanorum enim, & Imperatoris Ducum ſuperbiam, & exactiones ferre nolebant. Ab Eccleſia Hieroſolymitana Patriarcha electus, quod eius opera vniuerſali Eccleſiæ neceſſaria eſſet, à Gregorio IX. non eſt conceſſus; creatus eſt in eius locum Patriarcha G. Epiſcopus Valentinus. Legatus cum Othone de Morano ad Imperatorem Fridericum pro ſacra expeditione miſſus, parum profuit; Maximè in ſcribendo carmine, & ſoluta oratione valuit: Edidit Antiphonã Virgo parens gaudet, ſcripſit Innocentij IV. Papæ nomine epiſtolam ad Imperatorem Fridericum, qua omnes eius impietates commemorat, & ingratitudinis exprobat, eumq; iure excommunicatum fuiſſe oſtendit, cunctis ejus maledictis, & obiectionibus reſpondens; obijt Anagniæ II. Kalend. Septembris, anno 1243. ibidem ſepul-

Digitized by Google

ſepultus: Ciacconius in Innocentio III. ſol. 535.

M. Petrus Campanus de Capua Campanus Presbyter Card. tit. S. . . vir, qui Pariſijs Doctor in Theologia eximius fuit, Petri tit. S. Marcelli fratris filius. Ita Ciaccon. in Honorio III. fol. 545. At in libro emortuali M.S. Mon. Caſſinenſis nu. 47. D. Petrus de Capua Diaconus Card. S. Georgij. Sunt in eadem Caſſinenſi Bibliotheca opera huius Card. nempè Epitome ſententiarum, & Lexicon Concionatorum.

Guillelmus de Capua, Comitis Altauillæ filius, Capuanus, electus Archiepiſcopus Salernitanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Coſmedin, poſt Presbyter Cardinalis tit. S. Euſebij, obtinuit Eccleſiam S. Laurentij de Rabacca, & plebem S. Mariæ de Caina Peruſinæ Diœceſis. Extat citatio Cardinalium Salernitani, Veneti, Genuenſis, & de Petra Mala, poſtquam Vrbanus Sueſſæ Cardinalem Reatinum priuauerat: Neapolim ad Vrbanum profectus, apud eum gratia, & auctoritate deinceps valuit. Hic aliquandò moram traxit Peruſiæ, ſiue Legatus, ſiue alio munere fungens, & ibidem Vrbanum VI. Luca aduenientem expectauit, cum quo Romam accedens, paulò ante eius obitum, anno 1389. 10. Kalend. Auguſti, diem clauſit extremum. Referuntur literæ Bonifacij IX. quibus Ludouicum de Altauilla Capuanum militem, ducem exercitus Eccleſiaſtici, & Patrimonij gubernatorem creauit. Ciaccon. in Vrbano VI. fol. 771.

Ludouicus de Capua Campanus, Prothonotarius Apoſtolicus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ Nouæ. Huius ferè omnes res geſtæ deſiderantur: hoc tantùm in proceſſu Vrbani VI. contra Clementem VII. inueni, Ludouicum Diaconum Cardinalem S. Mariæ Nouæ, cum Galeoto Cardinale de Petra mala ad Palatij fores profectos fuiſſe, quæſitum, num aliquis exiſteret, qui Roberti Gebennenſis An-



Digitized by Google

*tipapæ cauſam tueri vellet: & neminem ſe reperiſſe, retuliſſe. Eum inde parum vixiſſe opinor, quod nihil de eo præterea in monumentis Triuultianis inuenerim.* Ciaccon. *in Vrbano V I. fol.*771.

## ARCHIEPISCOPI.

IOANNES *Archiepiſcopus Neapolitanus, anno* 1367. *in Bulla Indulgentiarum Eccleſiæ* S. *Ianuarij nominatus, ex Summontio fol.*443.

*Gregorius Archiepiſcopus Beneuentanus ex* Kalend. *mortuorum Monialium* S. *Ioannis an.* 1000.

*Franciſcus* Caroſius *ex* Canonico Capuano *Archiepiſcopus Tranenſis. obijt an.* 1433. *ex inſtrumento monaſterij S.Ioannis.*

*Benedictus ex nobiliſſima familia de* Capua, *viceſimus quintus Archiepiſcopus* Salernitanus, *ex* Catalogo *Gaſparis Muſcæ* Salernitani.

## EPISCOPI.

1 A*Ngelus Maziotta Epiſcopus* Caluenſis, *ex inſtrumento Theſauri ann.* 1449. Hic *ann.* 1429. *erat* Primicerius.

2 *Arduinus* Pantolianus *Epiſcopus Nicoterenſis. obijt anno* 1525. *ex Kalend. mortuorum Eccleſiæ* Cathedralis.

3 *Bernardinus de* Henrico *Epiſcopus Guardienſis. obijt an.*1498. *ex* Kalend. *mortuorum Eccleſiæ* Cathedralis.

4 *Franciſcus Graſſullus Epiſcopus* Calinenſis. *obijt anno* 1481. *Extat* Epithaphium, *& nomen in* Kalend. *Eccleſiæ* Cathedralis.

5 *Iacobus de* Gulielmo *Epiſcopus* Calinenſis, *ex* Kalend. *Eccl.Cath.erat* Epiſcopus *an.*1420. *& fuerat* Primicerius.



Digitized by Google

6 Ioannes Vitellius, Nicolai Vitelli patrui Epiſcopi Calinenſis Coadiutor, deinde ſucceſſor an. 1594. ſum an. 1612. Epiſcopus Caputacquenſis eſt factus, & obijt.

7 Gulielmus filius Raimi Epiſcopus Caiacenſis ob. die 9. Ian. ex Kalend. S. Ioannis circa annum 1181. ex inſtrumento Theſ.

8 Lucas de Rinaldo Epiſcopus Grauinenſis 1551. extat ſacellum in Eccleſia S. Catharinæ: fuerat familiaris Leonis Papæ X.

9 Magnus Morula Epiſcopus Agathenſis, ex Kalendario Eccl. Cathed.

10 Nicolaus Antonius Vitellius, Epiſcopus Calinenſis, ann. 1583. cum Ioannem ex Cæſare Vitellio Regio Conſiliario fratre, nepotem, ſibi coadiutorem impetraſſet, obijt anno 1594.

11 Nicolaus Flore Epiſcopus Caſertanus, obijt ann. 1286. ex inſtrumento Theſauri.

12 N. de Gallo Epiſcopus Caluenſis: domus eius propè arcum Aloyſij.

13 Pyrrhus de Azia, Epiſcopus Puteolenſis, anno 1491. in Regeſto Regum inuenit Chioccarellus. Hic anno 1461. erat Decanus.

14 Quiricus Epiſcopus Lauellenſis, Canonicus Capuanus, & Commendatarius præbendæ Archidiaconalis ann. 1373. ex inſtrumento Theſauri.

15 Stabilis Zarrillus, Epiſcopus Calinenſis, ex kalendario mortuorum. Hic an. 1461. erat Canonicus presbyter, & ob. ann. 1486. ex inſtrumento Theſ.

16 Siluius Pandonus, filius Comitis Venafri, ſub Leone X. fuit Epiſcopus Auerſanus ex Capacio pater Siluij fuit Franciſcus Pandonus, magnificus, & potens Comes Venafri, & Calui.

17 Thomas de Antignano, Epiſcopus Caiacenſis circa an. 1312.

Digitized by Google

1312. ex monumentis monaſterij S. Ioannis.

18 Thomas de Antignano Epiſcopus Gerentinenſis, ſeù Careiatenſis, 1536. ex Archiuio Capuano, & ex inſtrumento Theſaurij 1523.

19 Thadæus Canonicus Campanus, Epiſcopus Caluenſis anno 1318. ex inſtrumento Theſauri.

## PRAELATI ORDINVM.

MAnſo, Viceſimus octauus Abbas ſancti Benedicti in monte Caſsino: de hoc in Chron. Caſs. lib. 2. cap. 12. & in vita ſancti Nili vituperatu.

B. Raymundus Ord. Prædicatorũ, de quo infra in 3. parte.

Iacobus de Azia Miles, & Magiſter Generalis ſancti Lazari in toto Regno Siciliæ. obijt die 8. Octobris anno 1499. ſepultus in Eccleſia Sancti Dominici. Eiuſdem Militiæ S. Lazari Generales Magiſtri fuerunt Alphonſus de Azia viuens ann. 1556. & Mucius de Azia viuens ann. 1564.

Magiſter Marcus de Marcianiſo Ordinis Prędicatorum Prouincialis in Prouincia Neapolitana, & auctor reformationis, obijt cum opinione ſanctitatis anno 1614.

Iacobus de Graſſijs monachus Caſsinenſis, & Abbas, qui de Caſibus conſcientiæ luculenter ſcripſit, & cum opinione ſanctitatis obijt ann.

Pompeius Garighanus Canonicus, & Theologus Cathedralis Capuanæ, & Abbas S. Saluatoris Theleſini, in Romano gymnaſio Philoſophiæ Profeſſor, obijt Romæ deploratus ab Academicis anno 1626.

Domnus Germanus de Vua Caſsinenſis monachus, & Abbas viuens.

Præter hæc habemus in kalendarijs mortuorum nomina quorundam Antiſtitum, quos propter kalendaria fuiſſe patria

tria Capuanos, aſſerimus, ſunt illa ex kalend. monialium Sanctæ Mariæ.

Ioannis Epiſcopi Auerſani die 13. Septembris.
Ioannis Epiſcopi de Caiaze die 1. Septembris.
Petri Epiſcopi Caluenſis ann. 1144. die 30. Iulij.
Theodini Furconenſis die 8. Maij.
Gulielmi Epiſcopi .... die 1. Maij.
Iſembardi Epiſcopi .... die 23. Martij.

| | |
|---|---|
| Angelus Epiſcopus .... die 1. Martij. | ex Kalendario Monialium S. Ioannis. |
| Landulfus Epiſcopus .... die 15. Maij. | |
| Richardus Epiſcopus .... die 21. Iulij. | |
| Tranſmundi Epi .... die 26. Noueb. | |

*Tandem quæ noſtra ætate illuxerunt præclariſſima lumina (Santorij viri) prætereunda non ſunt: illi etenim viri, etſi Caſertani ſūt Ciues, tamen Eccleſiæ Capuanæ ſunt filij.*

*Iulius Antonius* Santorius *Caſertanus, Capuanæ Eccleſiæ filius, & clericus, Sanctæ Seuerinæ Archiepiſcopus anno 1566. deinde S. R. E. Presbyter Cardinalis à Pio V. creatus anno 1570. obijt anno* . . .

*Franciſcus Antonius Santorius Caſertanus, Capuanæ Eccleſiæ filius, & clericus, ex renunciatione Domini Cardinalis ſui fratris Archiepiſcopus S. Seuerinæ anno 1573. deinde ex præſentatione Catholicæ Maieſtatis* Philippi *II. Archiepiſcopus Materanus, obijt anno* 1588.

Paulus *Aemilius* Santorius *Domini* Cardinalis *ex fratre nepos, inter* Romanæ *Curiæ Prælatos patrui ſplendore clarus, merito ſuo præclarior, apud literatos, apud ſummos etiam Principes magni nominis vir, præter exactam Iuriſprudentiæ cognitionem, quæ pridem ipſum ſacræ* Pœnitentiariæ, *Sanctiq; Officij ſubſellijs honorauit; in omni hiſtoria doctè verſatus, Annalium ſcriptor, ſincera fide, breui ſtylo, verborum delectu, ſententiarumq; pondere, Taciti æmulator, à Doctis abſque inuidia Tacitus appellatur.*



Hic

Digitized by Google

*Hic à Pontificibus Maximis Archiepiſcopatus, Conſentinum ſcilicet à Paulo V. & Vrbinatem (primo iam dimiſſo) ab Vrbano VIII. non petitos, ſpontè oblatos, obediens, non ambitioſus accepit: accepturum maiora credit Orbis.*

*Iulius Antonius Santorius Domini Cardinalis ex fratre nepos, ex renunciatione Domini Pauli Aemilij ſui fratris, Archiepiſcopus Conſentinus ann.* .

# SANCTVARII CAPVANI

## PARS TERTIA.

COLLECTORE
MICHAELE MONACHO
D. D. & Canonico Presbytero
Capuano.

In hac tertia Parte recenſentur Sancti exteri, à quibus Capuæ, vel cum Capuanis aliquid actum legitur, qui ſunt

*S. Petrus Apoſtolus.*
*Conſtantinus Magnus Imperator, cultus à Græcis.*
*S. Paulinus Epiſcopus Nolæ.*
*S. Ambroſius.*



Digitized by Google

S. *Placidius Abbas, & Martyr.*
S. *Gregorius Papa.*
*Caro us Magnus Imperator, cultus in Gallijs.*
S. *Nilus Abbas.*
S. *Henricus Imperator.*
*N. Solitarius.*
S. *Leo Papa Nonus.*
*Victor Papa III. cultus in Caſsino.*
S. *Anſelmus Epiſcopus Cantuarienſis.*
*Ioannes Rauennas cultus à Caſsinenſibus.*
*Ioannes Abbas cultus à Caſsinenſibus.*
S. *Franciſcus.*
S. *Thomas Aquinas.*
S. *Catharina Senenſis, & B. Raymundus.*



Digitized by Google

# DE S. PETRO APOSTOLO.

*SANCTVS* Petrus *cum ſocijs, & condiſcipulis, inter quos erat Priſcus,* Antiochia Romã *proficiſcens, Neapolim appulit: quo in loco Miſſam fecit, & Aſprenatem Epiſcopum ordinauit: deinde reliquum iter pedibus conficere voluit, Capuam peruenit, & vrbis totius Campaniæ Principis, habita ratione, Priſcum ei donauit* Epiſcopum. *Proſequens Romam verſus iter inceptum, via, quæ ducebat ad flumen, media propè confecta, aliquantulum conſtitit, & ad Tifata proſpiciens, indoluit, Fanoq; Dianæ maledixit, atq;* S. *Priſcum monuit, vt contra Dianam vehementius prædicaret.* Propterea *ſequentibus annis antiqui illi* Chri*ſtiani illo ipſo in loco ad honorem* S. Petri *Eccleſiam erexerunt.* Hoc Nicolaus *Vitellius* Theſaurarius Capuanus, & *Epiſcopus* Caleni, *ſenex multorum annorum, quod à* Senio*ribus acceperat, enarrabat.* Hanc *ipſe traditionem diligenter examinans, mihi viſus ſum alijs monumentis conſentaneam reperire.* Hæc *habet* S. Petrum *Neapoli Romam terreſtri itinere conceſsiſſe: at idem habent acta* Atinenſis *Eccleſiæ, quæ Baronius citat, & nuper Italicè reddita edidit Florius Vrbinas. Hæc habet* S. *Priſcum illo in itinere à* S. Petro *ordinatum Epiſcopum; & hoc innuunt verba Natalis, quæ ſunt:* Hic *( idest* Priſcus *)* poſt Aſcenſionem Domini veniens Romam cum Apoſtolo Petro, in partibus Campaniæ Euangelium prædicauit. *Noto verbum illud* VENIENS, *& intelligo quaſi itinere Romam vſq; non abſoluto.* Hæc *habet* S. *Priſcum à* S. Petro *monitum, vt contra Dianæ cultum inſurgeret, & hoc innuere poſſunt verba illa Breuiarij noſtri* Beatus Priſcus Capuæ dona-



Digitized by Google

tus à Domino (*ſcilicet miniſterio Petri*) vt populus, qui ibi Dianæ vana ſacrificia offerrebat, liberaretur. T*andem hæc habet antiquos fideles inibi S. Petro Eccleſiam conſtruxiſſe, & hoc ſemper conſtanter aſſertum docet inſtrumentum coram Archiepiſcopo, vniuerſoq; Capitulo ducentis ab hinc annis ſcriptum, cuius verba ſunt.* Ante præſentiam Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Philippi, miſeratione diuina Archiepiſcopi Capuani &c. præſentibus quoq; ibidem ſubſcriptis venerabilibus Canonicis, &c. Præfatus quidem Marinus Pharaone de Aliſa, habitator Capuæ, ex quadam ſua votiua deuotione, quam geſſit, & gerit erga Eccleſiam S. Petri ad Poſteiam extra Capuam ANTIQVITVS PIA FIDELIVM DEVOTIONE FVNDATAM, quæ propter ipſius antiquitatem, & propter guerrarum turbines, quæ hactenus viguerunt in Regno iſto, & præcipuè in Prouincia Terræ laboris, totaliter fuit, & eſt collapſa, & diruta, adeo quod vix poteſt diſcerni locus, vbi dicta Eccleſia antiquitus fuit ædificata: quæ propter ipſius collapſitatem, & ruinoſitatem ab eo tempore, cum hominum memoria in contrarium non extet, & vſq; nunc, & nunc ſimiliter deducta fuit, & eſt ad tranſitum, & vſum publicum ſingulis viatoribus, illac tranſire volentibus cum animalibus. Propterea præfatus Marinus, charitatiua deuotione compunctus, diſpoſuit, & deliberauit ſuæ mentis acie ſæpeſæpius præmeditando pro eius, & defunctorum ſuorum, & aliorum de ejus progenie, remiſſione peccaminum, dictam Eccleſiam ſuis laboribus, & expenſis reædificare, & de nouo reparare, & ibidem diuina officia celebrari facere, & ab inde totaliter delere tranſitum, & vſum publicum antedictos. Quapropter præfatus Marinus coram nobis cum inſtantia ſupplicauit eidem Archiepiſcopo, &c.

*In-*

Digitized by Google

Inſtrumentum integrum, & incorruptum eſt in Theſauro: ſcriptum fuit anno 1420. Hoc vt primum legi, omnem dubitationem abieci, ratus, quòd in eo habetur, ſufficere ad comprobanda cætera, quæ traduntur. Quid quæſo ſignificat antiquos fideles Eccleſiam S. Petro ab vrbe milliario diſtantem ædificare voluiſſe? Quid illa ſpecialis deuotio Chriſtianorum in illam Eccleſiam potius, quàm in aliquam aliam ex tot multis S. Petro dicatis? Quid de Eccleſia iampridem, & ſupra hominum memoriam diruta, Chriſtianorum colloquutio, & reparandi voluntas? Quid inquam, hæc omnia ſignificare poſſunt? fuit illius ædificandæ ſpecialis occaſio, & fuit, quam traditio docet. Hodie huius Eccleſiæ nè veſtigium quidem apparet: perſeuerat autem nuncupatio loci S. Petri à Poſteia. Sed quid nomen illud à Poſteia? profectò in antiquioribus inſtrumentis non à Poſteia, ſed Apoſteia legitur; & idem eſt quod Apoſtolus, nomen Longobardorum barbarie ita corruptum.

Igitur S. Petrus Apoſtolorum Princeps Epiſcopatum Capuanum inſtituit: ipſe Priſcum primum Epiſcopum ordinauit: & in illo ſpatio 24. annorum à paganis occiſo Priſco, Epiſcopatum Sinoto tradidit, & occiſo Sinoto, tradidit Ruſo.

Nunc ratio poſtulat, vt Epiſcopatus à S. Petro iam inſtituti continuatio ad noſtra vſque tempora cognoſcatur. Multa Epiſcopòrum Capuæ nomina collegerat, Archiepiſcopo Coſta mandante, Camillus Peregrinus Primicerius, Ille omnibus Academijs Italiæ benè notus: Plura Dominus Iulius Antonius Cardinalis de S. Seuerina: ſed ferè omnia D. Cardinalis Bellarminus: nos etiam Catalogum auximus & in annorum conſignatione, quæ Bellarm. curæ non fuit, præcipuè laborauimus.

S. Priſcus Epiſcopus, & Martyr, vnus ex antiquis Chriſti diſcipulis, à S. Petro Apoſtolo Capuam miſſus fuit. Anno Xpi 4?.

Mar-

Martyrol. Rom. die 1.Septembris,& Annales Baron. ad ann.46. *Ita Bellar.* Nos plura de S. Priſco & in prima,& in hac tertia parte. Diximus adueniſſe Capuam anno 44. inuentum à Beata Matrona circa annum 440. & à Via Aquaria ad nouam Capuam tranſlatum anno 1000.

00 S.Sinotus Epiſcopus,& Martyr,de quo Muſiuũ Eccleſiæ S.Priſci in Via Aquaria,vt ſupra in 2.par.notauimus.

60 S.Rufus Epiſcopus, & Mart.S. Apollinaris diſcipulus, ſecundus à Beato Priſco Capuanam Eccleſiam gubernauit,Martyrol.Rom.die 27.Auguſti. *Ita Bellar.* Nos de S.Rufo in 1.par.fuſiùs, & in 2. fuiſſe tertium Epiſcopum Capuæ circa an.560.oſtendimus.

00 S.Auguſtinus Epiſcopus, & Martyr,filius S. Felicitatis Martyris,de quo in 2.par.ex Muſiuo S.Priſci,& ex diuerſis Martyrologijs.

000 S. Ariſtæus Epiſcopus, & Martyr, quo tempore ſederit,ignoratur.Martyrologium Rom.die 3 Septembris.*Ita Bellarm.*Nos de Ariſtæo pauca in 1.part.

000 S. Quartus Epiſcopus,& Martyr.
000 S. Quintus Epiſcopus,& Martyr. } Sequimur Cardinalem de S.Seuerina, qui propter auctoritatem Breuiarij Capuani hos non prætermiſit. Hi verò alij cenſendi ſunt ab illis, de quibus menſe Maio Martyrologium Romanum,& nos in 1.parte.

*Alii plures abſque dubio fuerunt Epiſcopi Capuæ vſque ad Magni Conſtantini conuerſionem,ſed illorum nomina, nedum acta incognita ſunt.*

313 Proterius Epiſcopus Capuæ,interfuit Concilio Romano ſub Melchiade Papa in cauſa Cæciliani. Vide Opt.lib. 1.*Ita Bellarminus.*

314 Protus Epiſcopus Capuæ, interfuit, & ſubſcripſit II. Concilio Arelatẽſi tempore S.Silueſtri Papæ. Vide to.1. Conciliorum. *Ita Bellarminus. Adde* Baronius De Prote-

rio,

Digitized by Google

rio, & Proto ann. 313. & 314. admonet Protum, & reliquos, qui ſecundo Arelatenſi ſubſcripti reperiuntur, eſſe illos eoſdem Epiſcopos, qui interfuerunt Concilio Romano ſub Melchiade, & nequaquam illos ſubſcripſiſſe Arelatenſi II. ſcilicet anno 326. ſed primo celebrato anno primo S. Silueſtri, ſcilicet anno 314. & ex errore ſubſcriptiones primi Arelatenſis ad ſecundum fuiſſe tranſlatas, ideoque mendosè loco Probi legi Proterium. Profectò (niſi ſit mendum in impreſſione) qui legit Bar. an. 313. num. 25. & anno 314. num. 51. comperit illum confusè loqui: & nos nihil vrget, vt Proterium, & Protum conflemus in vnum quia: licet ſubſcriptionum tranſlatio, ex errore contigerit, tamen intra vnius anni ſpatium Protus Proterio ſuccedere potuit, & intereſſe primo Arelatenſi an. 314. ſicut ipſe Proterius anno ſuperiori 313. Romano interfuerat. Et quid mirum? ſi intra eiuſdem anni ſpatium S. Melchiades obijt, & S. Silueſter Arelatenſe Primum approbauit?

Vincentius Epiſcopus Capuæ tempore S. Athanaſij 346
inſignis habetur, interfuit Concilio Sardicenſi, & ab ipſo 357
S. Athanaſio in Apologia ad Conſtantinum Epiſcopus Campaniæ nominatur, & in epiſtola ad ſolitariam vitam agentes dicitur Epiſcopus Capuæ Metropolis Campaniæ. *Ita Bellarm. Adde* Hic Vincentius ann. 325. erat presbyter Romanus, & à S. Silueſtro legatus interfuit Nicœno Concilio. Sed ann. 346. cum eſſet Epiſcopus Capuæ, à Iulio Papa legatus eſt Mediolanum ad Conſtantem Imperatorem, acturus de Concilij Sardicenſis indictione: cui deinde Concilio anno ſequenti interfuit, non tamen Legati munere fungebatur. Ab hoc ipſo Concilio cum Euphrate Epiſcopo Agrippinæ legatus eſt Antiochiam ad Conſtantium Imperatorem anno 348. Poſtmodum anno 353. à Papa Liberio miſſus eſt ad Conſtantium Arelatæ

com-

Digitized by Google

commorantem, acturus de Synodo Aquileæ cogenda: at ibi Imperatoris importunitate victus, S. Athanaſij damnationi ſubſcripſit. Hunc tanti viri caſum deplorauit Liberius ſcribens ad Epiſcopos Oſium Cordubenſem, & Euſebium Vercellenſem: At cum ipſe quoque Liberius in eundem errorem lapſus eſſet, ad Vincentium ſcripſit, vt cum ipſo literis pacem iniret anno 357. Verùm etſi Vincentius cum Arianis communicauit, contra Athanaſium ſubſcribendo; tamen à recta fide non diſceſſit, imò contra Arianos conſtantiſſimè ſe geſſit in Concilio Ariminenſi. Extat pro Vincentio teſtimonium Damaſi Papæ. *Ita Bellarm. an. 359. nu. 35.*

400 Memorius Epiſcopus Capuæ fuit tempore S. Auguſtini, ad eum enim eſt epiſtola eiuſdem Auguſtini 131. eiuſdem meminit idem Auguſtinus lib. 1. aduerſus Iulianum, Memorij prædicti filium, & Succeſſorem. *Ita Bellar. Adde* Memor, ſeù Memorius fuit frater Aemilij Epiſcopi Beneuentani, & S. Paulino Epiſcopo Nolano charus. Vide infra in S. Paulino.

418 Iulianus Epiſcopus Capuæ cum iuuenili temeritate Pelegianam hæreſim propagare niteretur, ab Epiſcopatu fuit depoſitus, vnde Iulianus Atellanus dici cœpit, quod Atellas ſe recepit. Proſper in Chron. & Gennad. de ſcript. *Ita Bellar.* Nos de Iuliano fusè infra in S. Paulino.

000 S. Pamphilus Epiſcopus, de quo Martyrol. Rom. die 7. Septembris. Quo tempore ſederit, ignoratur: de eo habes pauca in 1. parte.

000 S. Rufinus Epiſcopus Capuæ, de quo Martyrol. Rom. die 26. Auguſti. *Ita Bellarm.* Nos de eo in 1. parte.

443 S. Priſcus Iunior Epiſcopus Capuæ, & Confeſſor. Martyrol. Rom. die 1. Septembr. Hic eſt ex numero illorum ſacerdotum, qui tempore Vuandalicæ perſequtionis naui impoſiti, ex Africa ad Campaniæ litora peruenerunt, &

varijs

varijs ciuitatibus Epiſcopi dati ſunt; de qua re vide Annotationes Baron. ad Martyrol. Rom. Porro Breuiarium Capuanum vetus primis tribus Lectionibus S. Priſci, qui ex Africa venit, res geſtas narrat; in tribus verò Lectionibus vltimis S. Priſci prioris, qui ad Campanos adhuc paganorum erroribus implicatos miſſus fuit, paſſionem attingit. *Ita Bellar.* Nos de S. Priſco Africano plura in 1. par. & ad annum 443. eius aduentum reijcimus.

Tiburtius Capuanus Epiſcopus interfuit Conil. Rom. ſub Hilario Papa, & eidem Cõcilio ſubſcripſit. *Ita Bellar.* 461

Conſtantinus Capuæ Epiſcopus inuenitur ſubſcripſiſſe Concilio I. Rom. ſub Symmacho Papa. *Ita Bellarm. Adde,* Hic Conſtantinus Epiſcopus Capuæ à tempore Felicis Papæ Tertij, vt ex Felicis epiſtola Synodica tom. 1. concil. pag. 287. 43. 499

Alexander Epiſcopus Capuæ paulòpoſt prædictum Conſtantinum fuiſſe videtur, cum ei S. Germanus ſucceſſiſſe legatur in veteri Breuiario Capuano. *Ita Bellarm.* circa 500.

S. Germanus Epiſcopus Capuæ, & Confeſſor, æqualis fuit S. Benedicti, & præconem habuit laudum ſuarũ Gregorium Magnum in Dialogo lib. 2. cap. 35. & lib. 4. cap. 40. Ab Hormiſda Papa Conſtantinopolim Legatus miſſus fuit, vt epiſtolæ eiuſdem Hormiſdæ teſtantur: eius corpus Ludouicus Iunior Imperator ex Capua aſportauit in Franciam, Chron. Caſſ. lib. 1. cap. 40. dies feſtus eius agitur 30. Octobris. *Ita Bellarminus.* Nos de S. Germano fusè in 1. parte. Et 519 540

S. Victor Epiſcopus Capuæ, ſãctiſſimus, & doctiſsimus appellatur à Beda in lib. de ratione temp. eiuſdem meminit Ado in Chron. anno 526. & Marianus Scotus anno 560. Meminit eiuſdem Synodus Aurelianẽſis quarta can. 1. & 2. deniq; in Martyrol. Rom. annotatur dies feſtus eius 17. Octobris. *Ita Bellar.* Nos plura in 1. parte. 541 554



Digitized by Google

590 Feſtus Capuæ Epiſcopus obijt Romæ. Gregorius lib.
595 4. epiſt. 12. *Ita Bellarm.* Nos infra, quando referemus epiſtolas ſancti Gregorij.

600 Baſilius Epiſcopus Capuæ, fuit tempore ſancti Gregorij Papæ, vt cognoſci poteſt ex ipſo ſancto Gregorio lib. 8. epiſt. 10. *Ita Bellarm.* Nos infra referemus epiſtolas ſancti Gregorij.

664 S. Gaudioſus Epiſcopus Capuæ inuenitur in actis Cōcilij Romani ſub ſancto Martino Papa, & Martyre. *Ita Bellarm.*

680 S. Decoroſus Epiſcopus Capuæ, & Confeſſor interfuit
688 Synodo Romanæ ſub Agathone Pontifice, quæ Synodus inſerta legitur in ſexta Synodo Generali, Actione 4. Porrò Romana illa Synodus celebrata eſt anno Domini 680. dies feſtus agitur die 15. Februarij ex Rom. Martyrol. *Ita Bellar.* Nos plura in 1. parte.

circa S. Vitalianus Epiſcopus Capuæ, & Confeſſor, Marty-
700 rol. Rom. 16. Iulij, & Breuiar. vetus Capuanum. *Ita Bellar.* Nos plura in 1. parte.

circa N. Epiſcopus, apud quē hoſpitatus eſt S. Vuillibaldus
740 proficiſcens Caſſinum, Caniſ. tom. 4. Vide in nouo Surio die 7. Iulij, & infra in Appendice huius tertiæ partis.

743 Theodorus Epiſcopus Capuæ interfuit Concilio Romano ſub Zacharia Pontifice, eidemq; Concilio nōmen ſuum ſubſcripſit. *Ita Bellarm.*

000 N. Cuius oſſa nuper inuenta ſunt in ſancto Stephano Capuæ veteris cum Cruce pectorali, & annulo.

830 Radalpertus Epiſcopus Capuæ, prædeceſſor fuit ſancti Paulini, vt in veteri Breuiario Capuano legitur. *Ita Bellar.* Nos aliqua ſupra in vita ſancti Paulini.

843 S. Paulinus Epiſcopus Capuę, & Confeſſor, Martyrol. Romanum die 10. Octobris, & Breuiarium Capuanum vetus. *Ita Bellarm.* Porrò Bellarm. tempora S. Rufini, Ra-

dal-

Digitized by Google

dalperti, ſancti Paulini,& ſancti Vitaliani dicit ſe non potuiſſe inuenire, & ordine, quo nunc commemorati ſunt, collocat omnes poſt ſanctum Victorem. Nos plura in 1. part. & oſtendimus ſanctum Paulinum fuiſſe vltimum Epiſcopum Capuæ veteris.

## EPISCOPI CAPVAE NOVAE.

LAndulfus Epiſcopus primus Capuæ nouæ apud pō- 856
tem Caſulini, Chron. Caſſ. lib. 1. cap. 33. Hic Eccle- 879
ſiam Cathedralē ædificauit, vt videre eſt in conuexo pariete chori, muſiuo opere depicto. *Ita Bellarm. Adde* in Chron. nouiter impreſſo eſt cap. 30. Hic Landulfus poſt mortem S. Paulini in Capua veteri, Epiſcopus in Triſiſco, & deinde in Capua noua primus ab anno 856. in eadem Capua fuit etiam Comes ab anno 862. vt notabimus in 4. parte. Ad hunc ſunt plures epiſtolæ Ioannis Papæ VIII. de expulſione Saracenorum agentes, epiſtola ſcilicet nona, vigeſimanona, trigeſima ſexta, quinquageſima, ſexageſimanona: in omnibus ab ipſo, Ioanne Papa laudatur, & magnæ auctoritatis fuiſſe cognoſcitur, lubet primam illarum exſcribere, & ita ſe habet.

Ioannes Epiſcopus Landulfo Epiſcopo Capuano. Sancta (A) Romana Eccleſia, cuius, Deo auctore, præſidemus A
regimini, cunctis ab exordio ſibi fideliter ſeruientibus, dignam in præſenti, & in futuro ſæculo ſolita eſt bonæ retributionis mercedem rependere. Tibi nihilominus, reliquiſq; fidelibus ſuis vtroq; modo, ob veſtræ (B) fideli- B
tatis deuotionē, quam illic poſiti plenè cognouimus per omnia, maternis viſceribus fauebit in proximo. Siquidem noſſe volumus tuæ religionis intentionem, quoniam Domino cooperante, Leone venerabili Epiſcopo nepote

noſtro, ac Sanctæ Eccleſiæ Romanæ eximio Apocriſario, alijſque noſtris Legatis: quos nuper direxeramus, à cariſſimo filio noſtro Carolo Imperatore Auguſto reuerſis, vobis, vtpotè à ſecreto Conſiliarijs noſtris, ratum ducimus animi eius, Deo inſpirante, circa Eccleſiarum, præſertim Romanæ, quæ caput eſt omnium, exaltationem, affectum patefacere: Omne ſanè ius poteſtatis antiquitus attributum, capitulariter renouans in conuentu Epiſcoporum, ac Optimatum inuiolabiliter conceſſit habendum:
C Inter quæ de terræ (C) veſtræ pacto, prout, Chriſto Duce, voluiſſemus ſtatuere, noſtri iuri poteſtatiq; commiſit, quatenus id, quod Pontificali ore nudis verbis diximus, operum oſtendamus patratione, & vt pro animæ veſtræ exhilaratione patrum notaricè ſtylus ſcribentis loquatur. Parate hoſpicium, qui cum nouo hoſpitum agmine Dei gratia in veſtras partes ſumus venturi. Frœnum coercitionis infidelibus, quantum valetis, imponite: Fidelibus quoq; futuræ in proximum ſpei ſubleuationem promittite: Domini Dei noſtri ſine intermiſſione hortor miſericordiam deprecamini, noſtrumq; aduentum ſpectate veraciter.

## NOTATIONES.

A SAncta &c. *Hæc epiſtola ſcripta eſt menſe Septembri, vel Octobri incboata iam Indictione decima: erat annus* 876.

B Fidelitatis. *In epiſtolis Ioannis VIII. paſſim occurrit nomen Fidelis, & Fidelitatis, quod eſt hodie nomen vaſſalli, & Vaſſallagij, ſiue Feudatarij, & Feudi: huiuſmodi namque homines iuramentum, quod dicitur fidelitatis, præſtant quadam concepta forma verborum: & licet* Epiſcopi *hoc iuramentum præſtent Domino Papæ, tamen Landulphus*

*hic*

*hic non quia Epiſcopus, ſed quia Comes, & ſecularis Dominus erat, fidelis Eccleſiæ dicitur: quod magis patet ex eo quod legitur infra.*

Terræ veſtræ. *Non dicit* Eccleſiæ veſtræ, *ſed* Terræ veſtræ: *loquitur ergo de Comitatu Capuano, de quo inter Papam, & Carolum Imperatorem ſtatutum eſt, vt Papæ Ioanni placuit. Hinc manifeſtè colligitur poſt diuiſum Beneuentanum Principatum ex Capuanorum factione, Comitatum ipſum Capuanum in Romanæ Eccleſiæ ditione permanſiſſe: eaq; propter non ſolum hic Landulphus, ſed Pandenulphus ſucceſſor, Comes ab eodem Ioanne VIII. dicitur ſuus fidelis in epiſtola ad Epiſcopum Suricorum, quæ referetur inferius. Conſentit Herempertus, cuius verba referentur inferius.* C

Landulphus poſt mortem Landulphi Epiſcopi, & Comitis electus, & expulſus Capua, habitauit in Eccleſia S. Stephani Capuæ veteris: extat de hoc epiſtola Ioannis Papæ VIII. 208. & ita ſe habet.

Landulpho venerabili presbytero, & electo. Quia diſcordantium (A) parentum tuorum inſidias declinando, & ex vrbe Capuana egrediendo, in antiqua Sanctæ Eccleſiæ Capuanæ ſede, nomine videlicet (B) ſancti Stephani Prothomartyris refulgente, nunc habitare te aſſeris, atque cum vicinis Epiſcopis aſſiduè decertas, vt malè diuiſos adunare, atque diſcordantes pacificare, Deo fauente, poſſis, gratum recipimus: quia & ante ſuſceptum officium ea, quæ ſunt boni Paſtoris, peragis: in quo ſcilicet vt perſeueres, hortamur vſque ad noſtrum ſpecialem aduentum: quoniam Deo propitio pro veſtrum omnium ſalute, concordia, & pace Kalendis Octobris volumus Traiectum venire, ibique (C) Guaiferio glorioſo Principe, & cum alijs eximijs parentibus ſuis loqui, & ordinare primùm ea, quæ Nobis, & vobis ſunt neceſſaria, veſtræ paci,

A

B

C

pati, & vtilitati proficua, & tunc prouectionem tuã omnibus pacificatis peragere.

## NOTATIONES.

QVia hæc epiſtola ſcripta eſt menſe Auguſto, vel ineunte Semptembri, nondum completa Indictione duodecima, erat annus 879.

A Parentum. *Ideſt cognatorum, ſeù conſanguineorum, inter quos erant Landenulphus, & Pandenulphus fratres.*

B S. Stephani. *Conſentit Herempertus fol. 61. verba ſunt.* Non eſt autem prætermittendum, quod in principio rixæ cum idem Pandolphus (*Comes*) fratrueles ſuos perſequebatur beſtiali efferitate, Landolphum electum filium Landonis ſupradicti, cui ſedem S. Stephani Epiſcopalem ſub iureiurando tradiderat, à Caſtro Epiſcopij expellens, in Cellula Sac. Myniſteriorum (*intelligo in ſacriſtia*) degere fecit: & ſibi in Zetula (*intelligo in camera*) Epiſcopali manſionem exhiberi iuſſit: quod & factum eſt. Hoc cernens dictus electus, metuens dicti viri verſutiam, egreſſus ex vrbe ad Epiſcopalem ſedem propriam B. Prothomartyris properauit, quo poſſet quietam ducere vitam.

C Guaiferio. *Fuit Guaiferius Princeps Salernitanus, qui Landulpho electo fauebat; ſicut & Leo Theanenſis Epiſcopus. Nè putes illo tempore Guaiferio fuiſſe ius aliquod in Capuana ciuitate: nam cum ille, occaſione oborti ſchiſmatis inter electos, Capuanos impugnaret; à* Ioanne *Papa* VIII. *reprehenſus eſt per epiſtolam* 214. *in qua ſunt illa præſertim verba:* Vultis contrarietatis diſcrimina inferre propinquis, quos in auxilium vobis opportunum poteratis habere fautores. *Igitur Capuani non ſubditi, ſed propinqui, & fœderati Guariferio erant.*

Landulphus Epiſcopus Capuæ nouæ, à Ioanne Papa Octauo confirmatus legitur, in Chron. Caſſ. lib. 1. cap. 43.

quo

quo tempore Landulphus à Capuanis expulſus, eodem Papa iubente, in Eccleſia ſancti Petri Capuæ veteris ſedit. *Ita Bellarm. Adde* in Chron. nouiter impreſſo eſt cap. 40. Hic Landenulphus frater expulſo Landulpho, Epiſcopatum occupauit: ſed à Ioanne Papa VIII. volente ſchiſma componere, fuit in Epiſcopatu confirmatus, & cõſecratus. Agit de hoc ſchiſmate, & Epiſcopatu, æqua ſorte diuiſo, Herempertus fol. 62. & 63. Chr. Caſſ. lib. 1. c. 4. nec non & M.S. Caſſinenſe à nobis infra in 4. par. relatum. Lubet Heremperti narrationem huc afferre: Verba ſunt Interea (ſcilicet Comes Pandenolphus poſtquam Landolphus electus ſucceſſerat in Eccleſiam ſancti Stephani Capuæ veteris) occaſione reperta, Lãdenolphum germanum ſuum coniugatum clericum fecit, mittenſq; Romam Ioanni Papæ, Epiſcopum fieri poſtulauit, in quo & exauditus eſt, & pro hac inſania, & fraterna, ciuiliq; expugnatione nixius rogati Bertharius ſagaciſsimus Abbas Monaſterij ſupradicti ſanctiſsimi Benedicti, & Leo venerabilis Præſul Theanenſis ad vrbem Profecti ſunt, adieruntq; dictum Pontificem, obſecrantes eum ſuppliciter, vt tam graue periculum nõ ageret, vnde ruina terræ, & ſanguinis effuſio procul dubio fecerit cui etiam dictus Abbas expreſsè inquit: certè ſi hoc fece it tua poteſtas, grãdem ignem accendes, ad te vſque pertingentem. Præualens tamen voluntas Pontificis, Landenolſum Epiſcopum ordinauit. Hoc factum eſt, quia Pandenolſus priùs ſe ſubdiderat dicto Papæ, in cuius nomine & chartæ exaratæ, & nummi figurati ſunt iuxta præſcientiã dicti Abbatis: talis itaq; ignis exortus inde eſt, vt omnis Beneuentana tellus, & ipſa Romana ditio à Saracenis propemodum funditus deleta ſit; pro qua cauſa dictus Papa bis venit Capuam, & primò dum reſediſſet iuxta vrbem in loco, qui Antonianus dicitur (*eſt is locus meo iudicio in Prato vulgo Mazzone, dictus*

*alias*

*olim Antignani: ob cuius loci dominium dicta eſt Familia Antiniana familia quidem nobiliſsima, ſed hac ætate extincta)* omnes Longobardi hoſtiliter illum adeunt. Nam ex vna parte vtriuſque fratuelis cum Gaideriſio, & Guaimario Principibus habentes Græcos aduenerant, & quotidie præſente Papa, vtræq; acies in præcintu exiliebant. Quo circa Ioannes Papa Landolfum pridem electum cõſecrauit Epiſcopum in Eccleſia Beati Petri Capuani, totũq; Epiſcopatum inter ambos æqua portione diuidi præcepit, Eccleſia verò, in qua conſecratio celebrata eſt, paulòpoſt à Saracenis per Pandolfum vocatis, & ab Athanaſio miſsis, igne media exuſta eſt.

Hæc Herempertus, ſed quamuis Papa ſtuduerit ſchiſma componere; tamen odia in pectoribus fouebantur, & Landulphus ex fructibus attributis Landenulfo vſurpare ſibi nitebatur; qua de cauſa ſcripſit ad ipſum Ioannes Papa, & epiſtola nu. 248. ita ſe habet.

Reuerendiſsimo, & Sanctiſsimo Landulpho, Epiſcopo
A (A) Suticorum. Vera relatione comperimus, quòd quidquid tempore conſecrationis tuæ in noſtro conſpectu de frugibus illius Eccleſiæ congrua deliberatione fuerat inter te, & Landenulphum Capuanum Epiſcopum diffinitum, tu, ingenti vſus temeritate, violaueris: & quod nos iuxta temporis qualitatem moderari decreueramus, tu adimplere neglexeris. Quo audito, valdè noſter animus eſt commotus, quòd tam audacter noſtra præcepta paruipenderis, & terminos paternos exceſſeris. Quapropter huius noſtri Pontificij auctoritate, ab huiuſmodi te factione compeſcere volentes, præcipimus, & modis omnibus tibi iniungimus, vt omni oſtinatione depoſita, quidquid nos illic poſiti inter te, & eundem Epiſcopum, vel illius
B fratrem (B) Pandenolphum, fidelẽ noſtrum, de diuiſione, vel frugibus illius Eccleſiæ deliberauimus, ſine mora

adim-

Digitized by Google

adimplere procures. Hoc ſciens, quia ſi aliter agere præſumpſeris, ſicut inuaſorem rerum ſacrarum, te canonicis iaculis feriemus. Quòd ſi aliquam querimoniam, aut iuſtam excuſationem te habere confidis; tunc cum eodem Epiſcopo cauſam dicturus, iubemus, vt noſtram petas præſentiam. Nam nos præſenti Legato noſtro Vualperto Reuerendiſſimo Epiſcopo dilecto, Conſiliario noſtro præcipimus, vt ſi noſtra ſalubria monita adimplere cõtempſeris, ex noſtra auctoritate te excommunicare procuret, quatenus ſicut prædiximus Romam in noſtra præſentia, &c. Data 15. Kal. Auguſti (C) Ind. 13. C

## NOTATIONES.

SVricorum. *Landulfus, qui dicitur Epiſcopus Suricorum, etſi egreſſus à Capua noua in Eccleſia ſancti Stephani Capuæ veteris habitabat; tamen quando à Papa Ioanne conſecratus eſt Epiſcopus, non fuit conſecratus in illa Eccleſia ſancti Stephani, ſed in Eccleſia ſancti Petri, vt habet Herempertus, cui conſentit Chronicum Caſſinenſe. Cur ergo dictus eſt Epiſcopus Suricorum? Profectò hoc nomen Suricorum hac etiam ætate perſeuerat in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris Capuanæ Diœceſis: illa enim Eccleſia vulgari noſtro ſermone dicitur ſancta Maria delli Surici, ſeù delli Sulici: imò cum Anonimus Auctor manuſcripti Caſſinenſis dicat, ſanctam Mariam cognomento Suricorum, dictio illa* cognomento *videtur ſignificare vocabulum Suricorum fuiſſe proprium illius Eccleſiæ, & proindè qui hic dicitur Epiſcopus Suricorum, erat Epiſcopus reſidens in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris. Credendum igitur eſt (nec erit inter Auctores citatos vlla diuerſitas) Landulfum qui conſecratus eſt Epiſcopus in ſancto Petro, paulò poſt ſuam conſecrationem, quando vidit Eccleſiam ſancti Petri à Saracenis* A



Digitized by Google

*exuſtam, ad ſanctam Mariam cognomento Suricorum Epiſcopium tranſtuliſſe. Sed qua de cauſa Eccleſia ſancta Maria huiuſmodi cognomentum ſortita fuit? Ego omiſſo, quod dicitur de leproſo filio Imperatoris ſanato ſoricum linguis, opinor, extante Capua veteri tempore Barbarorum vicum appellatū ſuricum ab alioquo viro, cui nomen erat Surus; ſicut in hac noua Capua fuit vicus Oialdiſcus ab Oialdiſcis, & poſteris Oialdi. Paſſim vbique in vrbibus eſt inuenire huiuſmodi vicorum nuncupationes: hæc opinio ſeù coniectura; quia nititur iis, quæ communiter euenire ſolent, mihi ſemper Arriſit quod enim dicitur de leproſo mundato ſoricum linguis, vt diximus in ſancto Symmacho, nullam prorſus habet probabilitatem, neque fidem antiqua tabella ſibi conciliare poteſt ex eo, quòd muſiuum illius Eccleſiæ habet ſorices: vix namque eſt vnus, & alter ſorex: qui cum non niſi magna oculorum adhibita diligentia cerni queant, neque ſint propè, aut verſus Imaginem B. Virginis, ſed longè, aliouo ſpectantes; manifeſtum eſt ad ornatum poſitos eſſe, ſicut ad ornatum columba caua, palma, flores & id genus alia ibidem poſita ſunt: & ornatus cauſa duos quoq; ſorices propè vas florum in muſiuo Cathedralis intueri licet. Ipſe verò Landenulphus non diù Epiſcopatum tenuit: nam Landulphus reddens ipſi vicem, ipſum expulit. Et quamquam manuſcriptum Caſſinenſe citatum, habet Landenulphum poſt quatuor annos à Landulpho expulſum; tamen quia extat epiſtola Ioannis Octaui num. 289. quæ vt ſummum ſcripta fuit expirante Indictione decimaquinta, id eſt anno 882. menſe Auguſto, ſeù Semptembri, oportet illum vix attigiſſe quartum annum; Quomodo autem facta ſit expulſio Landulfi, ſcribit Herempertus fol. 64. verba ſūt.*

Hoc facto, non multo poſt prædictus Præſul (*Athanaſius Neapolitanus*) vna cum filijs Landonis, & filijs Landenolphi (*conſanguineis Landulphi Epiſcopi, quibus ſpreta*

*Pan-*

*Pandenolfo ſociatus erat)* ſuper Capuam aduenit, dictamq; vrbem obſidens affligebat. Qua neceſſitate compulſus Pandenolfus, Radelgiſium Principem, cognatumq; ſuum in auxilium incitauit: is autem ſegnitie depoſita, mox Ayonem germanum ſuũ aduocans in Comitatu ſuo, Capuam, expugnās *(hoſtes nempè obſidentes eam)* audacter ingreſſus eſt. Poſt hæc Ayo cum Beneuentanis, & Capuanis egrediens cum filijs Landenolfi, Amalphitanos habentibus certamen inijt, & aliquandiù certatum eſt iuxta portam vrbis. Cumq; neutra pars alteri cederet, vtræq; acies ad ſua reuerſæ ſunt. Redeunt itaq; Radelgiſio ad propria, Athanaſius ad ſolita conuerſus arma, ſimulauit vniuerſos fratrueles paciſci, cohortatuſq; eſt eos, vt dato ſacramento ad alterutrum, omnes ingrederentur vrbem, quaſi communiter habitaturi. Et Pandenolfus ab eodem Præſule iuramentum accepit, nè vllas contra eum moliretur inſidias. Tunc omnes fratres in vnum adunati, Capuam adierunt, dato priùs Amphitheatro *(dictum eo tempore Berelaſis, hodie Borilaſcium)* eidem Athanaſio, & ille Guaiferio ad cohabitandum tradidit, ad perpetuum Capuanorum iurgium. Cum verò adeſſent vniuerſi, vt diximus, omnes iurauerunt, vt pacifici, & ſine vlla moleſtia dicti viri intrarent ad commorandum. Pandenolfus autem recepit eos ouans, cum clericis veſte amictus candida. Illi autem mox ingreſſi initio apprehenderunt Pandenolfum, & Landenolfum fratrem eius, quem ſupra Epiſcopum deſcripſimus cum omnibus conſentaneis, ſequacibus, & fautoribus eorum, & hi omnes miſſi ſunt Neapolim, & vxores, filij, & filiæ miſſi ſunt illuc. *Hactenus* Herempertus.

Pandenulphum. *Hic eſt Pandenulphus ille, qui in M.S. Caſſinenſi dicitur Comes Capuæ poſt obitum Landulphi Comitis, & Epiſcopi: Ad hunc Pandenulphum eſt epiſtola Ioannis Papæ Octaui, qua ſignificatur Pontificem ipſum ſcripſiſ-* B

*ſe Guaiferio Principi Salernitano, vt ab impugnandis Capuanis deſiſteret. Volo hic obiter adnotatum, Pandenulphum in epiſtola Ioannis Papæ dici glorioſum Caſtaldũ, quo etiam titulo in epiſtola 289. appellatur Lando, qui Capuæ præerat. Ex Chron. Caſſ. manifeſtè colligitur titulum Caſtaldi fuiſſe minorem titulo Comitis: At ſi minor titulus, non minor poteſtas vbi Caſtaldus dominabatur ipſe: minor quidem ſi regebat ipſe ciuitatem, cui Princeps, vel Comes dominabatur. Obſeruaui Comitatũ, & Caſtaldatum fuiſſe Longobardis à principio munera temporanea, ſed poſtmodum tranſiſſe titulos in hæreditatem.*

C Ind. 13. *Is erat annus Domini* 880. Hic *tandem admoneo, eundem ipſum, qui dicitur Epiſcopus ſuricorum, appellatum quoq; Epiſcopum Berolaſis: extat enim Ioannis Papæ Octaui epiſtola* 170. *ſcripta quidem anno* 881. *cum huiuſmodi prefixo titulo.* Omnibus Epiſcopis Caietam Neapolim, Capuam, Berolaſim, & Amalphim Beneuentum, & Salernum incolentibus. *Eſt Berolaſis locus in Capua veteri ad ſanctum Stephanum, vulgari nuncupatione dictus etiam dictus etiam hodie* LI VORLASCI. *Anonimo Caſſinenſi* Berelais. *Heremperto* Berelaſis; *Latinè loquentibus* Amphitheatrum. *Neque mirum ſi Epiſcopus in Capua veteri conſtitutus, Suricorum, vel* Berelaſis *appellebatur, cum illis in vicis Capuæ veteris eſſent inſigniores Eccleſiæ.*

882 Landulphus Epiſcopus Suricorum, expulſo Landenulpho, à quo ipſe fuerat expulſus, integrum Epiſcopatum obtinuit. Ita ſupra citatum manuſcriptum Caſſinenſe: cui fauet Titulus epiſtolæ 289. in epiſtolis Papæ Ioannis VIII. eſt ille; Leoni Epiſcopo Thianenſi, Item Landulpho Epiſcopo, & Landoni Caſtaldio patri eius. Agitur in illa epiſtola de negotio hominis Capuani. MM.

891 Landenulfus, ſiue fuerit ille fratrer Pandenulfi Caſtaldi Capuani, ſiue aliquis alius, hoc anno 891. reperitur à Papa

Formo-

Formoſum legatum fuiſſe Conſtantinopolim. *Baronius tom.* 10.

Oto Epiſcopus Capuæ, & Eccleſiam, quam ille condiderat, conſecrauit, vt ex eodem pariete cognoſci poteſt. *Ita Bellaminus.* 000

Vgo Epiſcopus, prædicti Otonis ſucceſſor, muſiuum ornatum addidit, vt eodem in loco notatur. *Ita Bellarm. Adde*, Epigramma, quod in Muſiuo eſt exaratum, ita ſe habet. 000

Condidit hanc aulam Landulfus, & Oto beauit.
Mœnia res morem vitreum dedit Vgo decorem.

Hinc Cæſari Coſtæ, & Cardinali Bellarmino viſum eſt templum à Landulfo Epiſcopo conditum, ab Otone Epiſcopo beatum, ideſt conſecratum, & ab Vgone Epiſcopo muſiuo decoratum. Hinc eiſdem etiam viſi ſunt Landulfus, Oto, & Vgo fuiſſe tres primi, qui Capuæ nouæ Epiſcopatum continua ſucceſsione tenuerunt. Profectò quamquam ex modo dictis apparet Otonem non proximè ſucceſſiſſe Landulfo; tamen longa temporum ſpatia inter illos non interceſsiſſe innuit hoc Epigtamma. At cum & primus, & ſecundus Epiſcopus vocatus ſit Landulfus, vter Eccleſiam ædificauit? primus abſque dubio: nam ille in Epiſcopatu vixit annos viginti duos, & fuit etiam Comes: alter verò & paucos annos in Epiſcopatu vixit, & continuò ſchiſmate à Landenulfo exagitatus. Cæterum verbum illud, *Beauit*, ego vt mœnijs, rebus, & mori æquè bene quadret, expono, Beauit, ideſt, ditauit, & Landulfo conditori conſecrationem attribuo, conſecrationes enim illo ſæculo differri non conſueuerant.

Et verbum, *condidit*, prolatum de Epiſcopo, conſecrationis actum ab eo non excludit. Exemplum in vita ſancti Gebhardi Epiſcopi Conſtantienſis: Ille Eccleſiam quandam fundauit, ædificauit, dotauit, dedicauit, & tamen Epigramma

gramma tumulo eius appoſitum, de fundatione tantùm meminit illo verſu.

Hancq; Deo ſedem Templi fundauit, & ædem

Certè ſignificans illum, qui fundauit Eccleſiam, cætera peregiſſe ex nouo Surio 27. Auguſti. Ditata verò meo iudicio ſunt mœnia, quando in illis, vt mos erat antiquitus, Beatorum Imagines depictæ fuerunt. De Otone extat aliud Epigramma in parua porta Aquilonari.

Hoc pius Antiſtes cleri lux OTTO parauit
Eccleſiæq; pater res, mores amplificauit.

Vt vides, huius Epigrammatis ſententia cum ſentẽtia illius, quod eſt in muſiuo maximè congruit, in eo quod pertinet ad Otonem: At inquies, quid OTTO parauit? profectò hoc Epigramma à principio alibi fuiſſe oportet: nam ſi à principio illi portæ fuiſſet appoſitum, fuiſſet inſcriptio multum inepta: fuit meo iudicio in porta ſacrarij, ideſt Theſauri, vel ſacriſtiæ, quæ olim erant intra Eccleſiam, vbi nunc ſunt ſchalæ Palatij, & Archiepiſcopi Iordani Gaetani Cappella. Tandem, etſi vtrumq; epigramma compoſitum eſt Rhythmo, ſeù, vt vocant carmine Leonino, & exaratum caractere Romano, non propterea Oto, & Vgo cenſendi ſunt illi, quos infra leges Archiepiſcopos tempore Normannorum: nam & tempore Longobardorum vſitatum fuiſſe carecterem Romanum, demonſtrat ſepulchrum Athenolfi Primi Principis Capuæ, quod cernitur in atrio Cathedralis, & lapis quidam ſupulchralis, ſepulchri ſcilicet Charæ filiæ Athenulfi II. qui intra Cathedralem in alia aquilonari non longè à porta in pauimento conſpicitur: vſum quoq; Leonini carminis antiquiſsimum eſſe conſtat ex Baronio, qui anno 538. refert epigramma poſitum à Villiſario, & anno 752. refert poema quoddam Metelli monachi Tegerenſis, in quibus Rhythmi apparet forma muſiuum autem ab aliquo Magiſtro Græco elaboratum,

ex

ex eo credo, quòd ad pedes Beatiſsimæ Virginis habentis Ieſum in gremio, cernitur inſcriptio Græcè poſita MP ΘY idest Miter Theu, Latinè Mater Dei. Illo planè ſæculo muſiatijs carebat Italia, vt patet ex Caſſ. Chron. lib. 3. cap. 9. ideoq; adſciſcere Græcos oportebat.

Sico Epiſcopus Capuæ tempore Marini Papæ II. Chr. Caſſ. lib. 1. cap. 60. *Ita Bellarm. Adde*, In noua impreſsione eſt cap. 56. & agitur ibi de contentione Siconis Epiſcopi cum Caſsinenſibus de Eccleſia ſancti Angeli, quæ tunc ad Arcum Dianæ appellabatur; quia templum eiuſdem Dianæ inibi fuit, nunc verò ad formam dicitur: contentionem diremit Papa Marinus, & mandauit Eccleſiam ſub cuſtodia, & poteſtate monaſterij ſancti Benedicti, quod tunc in Capua erat perpetuò permanere.

Aldebertus Epiſcopus Capuæ temporibus Agapiti II. Romani Pontificis fuit. Chron. Caſſ. lib. 1. cap. 63. *Ita Bellarm.* In noua editione Chronici eſt cap. 59. habetur ibi. Aldebertum Egregium Præſulem Eccleſiæ Capuanæ cum quibuſdam alijs annuiſſe electioni Abbatis Aligerni à Capitulo Caſsinenſi in monaſterio Capuano peractæ. 946

Symmachus Epiſcopus, de quo muſiuum ſanctæ Mariæ Maioris, vt ſupra in ſecunda parte fuſiùs. circa 958.

## ARCHIEPISCOPI CAPVAE.

IOannes frater Pandulfi Principis Capuani, Archiepiſcopus Capuæ, cõſecratus à Ioanne XIII. Papa Capuæ agente. Chron. Caſſ. cap. 40. *Ita Bellarm. Adde*, in Chron. nouiter impreſſo eſt lib. 2. cap. 9. Infra in appendice habebis fusè de inſtitutione Capuani Archiepiſcopatus. 967.

Domnus Leo monachus Caſsinen. Archiepiſcopus Capuæ fuit proximè poſt Ioannem, Chr. Caſſ. ibid. *Ita Bellar.* 974.

Domnus

978 Domnus Gerbertus monachus Caſsinenſis Archiepiſcopus Capuæ, poſt dictum Domnum Leonem, Chr. Caſſ. ibidem. *Ita Bellarm. Adde.* Hic primo anno conſecrauit Epiſcopum Caiacienſem, qui fuit ſanctus Stephanus. obijt anno 980. die 21. Ianuarij. Ex Bulla ſancti Stephani, & ex Kalendarijs ſanctæ Mariæ, & ſancti Ioannis. Eſt qui ſcribat oſſa Gerberti Epiſcopi tranſlata fuiſſe in Galliam à Ludouico Imperatore: ſed fallitur, nam Frezza, qui allegatur, loquitur (etſi confusè) de ſancti Germani corpore tranſlato.

981 Adenulphus tempore Landenulphi Principis. Hoc tempore Eccleſia Capuana habebat canonicum bibliotecharium. Erat autem bibliotecharius idem ac Cãcellarius, cuſtodiebat bibliothecam, ìdeſt libros Eccleſię manuſcriptos, cum vſus edendi typis nondum apparuiſſet. Ex inſtrumento ſancti Ioannis, & ex Capacio, qui citat inſtrumentum ſancti Laurentij Auerſanæ ciuitatis.

990 Aio Archiepiſcopus tempore, quo Landenulphus Princeps fuit occiſus in Parrochia ſancti Marcelli, à ſancto Marcello ad monaſterium S. Benedicti confugit, ibi tamen ab inimicis veneno perijt. Ex manuſcriptu Caſſ. nuper edito.

1007 Paldulphus Archiepiſcopus tempore, quo ſanctus Stephanus Epiſcopus Caiacẽſis ſenio confectus venit ad Synodum Prouincialem. obijt die 10. Martij, ex monumentis Eccleſiæ Caiacenſis, & ex Kalendario ſancti Ioannis.

1008 Adenulphus Archiepiſcopus Capuæ tempore Conradi
1038 Imperatoris, & Ioannis Papæ XV. Chron. Caſſ. lib. 2. cap. 66. *Ita Bellar. Adde*, nunc in Chron. cap. 64. habetur ibi ſunt Adenulphum à Pandulpho malo Principe detruſum fuiſſe in carcerem, & inde à Conrado Imperatore liberatum. Hic eſt Adenulphus, qui legitur infra in Bulla Epiſcopi Sueſſani, & ille Anonymus, qui ann. 1013. dicitur à Ceſare Coſta Vicarius Papæ. De hoc Adenulpho eſt mentio in

in monumentis Eccleſiæ Atinenſis: anno ſiquidem 1044. conſecrauit Leonem Epiſcopum illius Eccleſiæ. Vitam quoque ſancti Marci eiuſdem Eccleſiæ primi Epiſcopi, & Martyris ſcripſit. Titulus epiſtolæ præfixæ libello de vita ſancti Marci ſcriptæ ad clerum Atinenſem, ita ſe habet. Aeterni Regis diſciplinam ſequentibus vniuerſis in Chriſto ſanctiſſimis fratribus in ſanctæ Dei Genitricis Eccleſiæ vitam Angelicam exercentibus, Adenulfus Capuanæ ſedis Archiepiſcopus, calculum candidum à Ieſu Chriſto Domino feliciter promoueri in vnitate fidei mirabiliter congregari. In Catalogo autem Epiſcoporum legitur ita: Anno Dominicæ Incarnationis 1044. Adenulfus Capuanus Archiepiſcopus, cum iam ſceptrum Archiepiſcopale ſumpſiſſet, in ſede Atinenſi ordinauit Leonem Præſulem. Hæc ibi. Mihi verba illa, *Cum iam ſceptrum Archiepiſcopale ſumpſiſſet*, vidētur innuere Adenulfum non diù poſt adeptum Archiepiſcopatum conſecraſſe Leonem, & proindè dicendum foret Adenulfum hunc, alteri Adenulfo mortuo ſucceſſiſſe, niſi fortaſſe qui Catalogo nomen inſcripſit, parum cautè loquutus eſt. Leone autem Epiſcopo Atinenſi, inuentum eſt corpus ſancti Marci primi Epiſcopi illius Eccleſiæ: quare Adenulfus Archiepiſcopus totum officium ſancti Marci verſibus Leoninis compoſuit, Eccleſiæq; Atinenſi recitandum tradidit: inuentionem quoque exametris, & pentametris ſcripſit; lubet hic apponere ſaltem verſus Inuentionis.

Concio læta canat, exultet corpore Marci
  Qualiter iſta dies glorificata fuit.
Sedis Atinenſis Leo Præſul iura tenebat
  Cum ſic gleba ſacri corporis aucta fuit,
Quidam Romanus vrbem deuenit Atinam
  Pontificem quærens, inuenit, alloquitur.
Martyr honorandus me miſit nomine Marcus



Digitized by Google

Quæ mihi monſtrauit notificare tibi.
Ante ſepulturam, quæ Martyris eſſe Nicandri
Dicitur, inuenies oſſa beata viri.
Præſul ad hæc lætus, venit huc, tumulumq; requirit,
Vir monſtrat: lapidum magnus aceruus erat.
Tolluntur lapides, titulum lapis obtulit vnus,
Incipiunt nomen cernere: Marcus erat
Presbyteris terram iuſſit Pater indè cauare
Cœpit, laſſatur, Presbyteri fodiunt
Dum ſic certatur, dum quiſq; labore grauatur,
Ad tumulum veniunt, panditur, & tumulus
Exit ſuauis odor, voluit Pater iſta latere
Fama replet populum, turbaq; tota ruit
Tunc verò clamor ad ſydera tollitur ingens
Plebs pariter, & clerus glorificant Dominum
Veſper erat, leuat oſſa Pater, capſaq; reponit,
Nox ruit in terris, ad ſua quiſq; redit
Mane ruit clerus, Proceres animæq; potentes,
Vir, puer, atq; ſenex, nupta, triennis, anus
Pontificem dignè tegit infula Pontificalis,
Et clerus ſacris veſtibus induitur
Accipiunt corpus tota plaudente chorea,
Imponunt humeris ſuſcipiuntq; viam.
Terra ſonat pedibus, ferit aurea ſydera clamor,
Lætitiam, plauſum, voxq; manuſq; ferunt
Sic tendunt omues Chriſti Genitricis ad aulam,
Hic cupiunt corpus ponere, Marce, tuum
Sed tibi nec placuit, nec quæ cupiere patrarunt,
Atq: domum propriam Martyris oſſa volunt
Ante pedem ſilicis corpus ſtetit, inde moueri
Non potuit, cunctos cœpit habere timor.
Tunc omnes ſpondent propriam ſibi condere ſedem
Et ſic oſſa ferunt ad loca, quæ cupiunt.

Vnde

Vnde Patri ſummo, Nato, cum Flamine ſacro
Gloria ſit perpes, laus, decus, Imperium. Amen.

Niciforus Archiepiſcopus. Notatur obitus in Kalendario monialium ſanctæ Mariæ die 14. Septembris. 0000

Hidelbrandus Archiepiſcopus Capuæ tempore Alexandri Papæ II. & Henrici IV. Imperatoris; Chronic. Caſſ. lib. 3. cap. 24. *Ita Bellar. Adde*, nũc in Chron. eſt cap. 26. habetur ibi Hidelbrandum ſubmurmurare conatum publicè in Romana Synodo contra priuilegium libertatis, & exemptionis, Eccleſiæ Caſſinenſi conceſſum à Papa Nicolao II. Hic interfuit conſecrationi Caſſinenſis Eccleſiæ, & Diplomati Alexandri II. Papæ ſubſcripſit: eius nomen legitur etiã in inſtrumento ſancti Angeli ad Formam, quod habebis infra in Inuentione ſancti Michaelis obitus notatur in Kalendario ſanctæ Mariæ quarto nonas Maij, hic perperam nominatur Ydelninus. 1065

Herueus Archiepiſcopus tempore Gregorij VII. Chr. Caſſ. lib. 3. cap. 41. *Ita Bellarm. Adde*. Nunc in Chron. cap. 42. Habetur ibi hunc in concilio Romano de Eccleſia ſancti Angeli ad Formam diſceptaſſe cum Caſſinenſibus, & cauſa cecidiſſe. De hoc eſt epitaphium in trabe marmorea portæ Atrij. 1076 1081

Auxit opus, mores, clerum quoq; res, & honores
Præſulis Heruei lux fulgida luce diei

Hinc aſſero Herueum auxiſſe, ideſt ampliaſſe opus, ideſt fabricam Eccleſiæ, & proindè mihi perſuadeo primam, & antiquam formam Eccleſiæ alteram fuiſſe, quàm nunc eſt; propterea etiam credo confeſsionem maioris Altaris ſub tribuna, & pulpitum lapidibus variatum, quod erat in media naui ad cantandum Euangelium, & pauimentum lapidibus verſicoloribus ſtratum, porticum etiam quadrilateram ante fores Eccleſiæ, adſcribenda eſſe Herueo: nam hæc omnia tempus Normannorum Principum excedere non



Digitized by Google

videntur. Cæterum nolo quis irrideat illa verba, lux fulgida luce diei, quaſi inepta: doctus etenim auctor in re Eccleſiaſtica vti potuit phraſi diuinæ ſcripturæ, in qua ablatiuus ſimilitudinis inuenitur, vt Niue dealbabuntur in Selmon, ideſt ita dealbabuntur, ſicut eſt alba nix in Selmon. Erit ergo ſenſus, lux Heruei ita fulgida, ſicut fulgida eſt lux diei. Tandem ſcito hunc eſſe illum Archiepiſcopum Capuæ, ad quem extat Gregorij VII. Papæ epiſtola 25. lib. 9. & referetur infra.

1088 Robertus Archiepiſcopus, huius Archiepiſcopi tempore erant in vſu ſtatuta canonũ, nè extra Sabbatum Paſchæ, & Pentecoſtes Baptiſmus adminiſtraretur: quare hic anno 1088. pro Cathedralis Eccleſiæ dignitate conſeruanda prohibuit in Parochijs, & in monaſterijs dari Baptiſmum Sabbato ſancto Paſchæ: imò & olea ſancta interim denegauit. Ex fragmentis monaſterij ſanctæ Mariæ. In monaſterijs autem tàm ſanctæ Mariæ, quàm ſancti Ioannis, ſiue ex priuilegio, ſiue ex conſuetudine Baptiſmus ſolemnis adminiſtrabatur, & fontes (olim Baptiſmales) in ipſis monaſterijs etiam hodie conſeruantur.

1098 Sennes Archiepiſcopus Capuæ, tempore Paſchalis Pa-
1118 pæ II. & Henrici V. Imperatoris. Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 30. & 50. *Ita Bellarm. Adde:* Nunc in Chron. eſt lib. 4. c. 28. & c. 48. Dicitur in vno, Sénetẽ coadunata multitudine Capuanorum, armata manu miſiſſe illos ad violandam Eccleſiam ſancti Nicolai, quæ erat cappella ſancti Angeli ad Formam, & conqueſtum contra Abbatẽ Caſsinenſem, quod in Dedicatione illius Eccleſiæ ſibi Metropolitano non ceſsiſſet in ijs, quæ Archiepiſcopum agere decuiſſet: proclamantibus autem Caſsinenſibus in Romana Synodo, Sennetem ſpopondiſſe emendationem. In altero dicitur Sennetem pro Abbate Caſsinenſi in Synodo Beneuentana proclamaſſe de Eccleſia ſanctæ Sophiæ violen-

violenter iam à ditione Caſsinenſi ſubtracta. Hic Sennes erat in Principatu Capuano Vicarius Papæ, ſeù Legatus Apoſtolicus: de eius obitu erit mentio infra hac 3. parte.

Otho Archiepiſcopus Capuæ tempore Caliſti II. Papæ 1120
Chron.Caſſ. lib.4.cap.71. *Ita Bellar. Adde.* Nunc in Chr. 1126
lib.4.cap. 69. legitur ibi Othonem conqueſtum eſſe apud Caliſtum Beneuenti commorantem, quaſi Capuana Eccleſia ſpoliata fuiſſet tribus Eccleſijs, quas Caſsinenſis Eccleſia poſsidebat, ſcilicet ſancti Benedicti Pizzuli, ſancti Angeli ad Odaldiſcos, & ſancti Rufi, ſed cauſa ventilata compertum eſſe Capuanam Eccleſiam à Caſsinenſi non fuiſſe ſpoliatam. Hic eſt ille Archiepiſcopus, qui vnxit Robertum vltimum Capuæ Principem. De Othone meminit etiam inſtrumentum Theſauri ann. 1126. in quo dicitur Venerabilis, & Deo dignus, quo titulo Prælati Eccleſiaſtici illo tempore decorabantur; quo titulo Romanus etiam Pontifex honorari ſolebat, vt videre eſt apud Baron. an. 906. mihi in Appendice, verba ſunt Hic ſancti primi Martyris corpus venerandum in Chriſto humatum quieſcit, quod Deo dignus Sergius Papa Iunior Eremberto Illuſtri viro conceſsit ab vrbe Roma, hæc ibi. Hic fortaſſe eſt Otho Decanus, qui Diplomatibus Sennetis Archiepiſcopi ſubſcripſiſſe reperitur.

Philippus Archiepiſcopus, qui cum Rogerio Archiepiſcopo Beneuentano, & Ioanne Archiepiſcopo Salernitano 1129
interfuit coronationi Rogerij Regis celebratæ Panormi. Capacius ex Fazello Dec. 2. lib. *6.*

Vgo Archiepiſcopus. Ex inſtrumento Theſauri. Hic in 1130
Schiſmate cum alijs Prælatis noſtri Regni ſequutus eſt Anacletum Antipapam contra Innocentium, vt apparet ex inſtrumento ſancti Ioannis, quod eſt Anacleti Antipapæ reſcriptum. Impetrauerat Vgo Reſcriptum ab Anacleto, quo monaſterium ſancti Ioãnis Caſsinati monaſterio ſubditum

ditum

dictum Archiepiſcopo ſummittebatur: at reclamante Abbatiſſa, Anacletus videns ſe ab Vgone deceptum, altero dato reſcripto, primum reuocauit. Cæterum Vgo, vt de monaſterio ſancti Ioannis benemeritus, habet nomen in kalendario mortuorum die 18. Februarij, qua ſcilicet die migrauit è vita.

1136 N. electus Capuanus, de quo Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 98. Hic Capacio eſt Gulielmus Rauennas, qui precibus Rogerij Regis factus eſt Archiepiſcopus Salernitanus. Planè electio Gulielmi à ſchiſmaticis celebrata, cum alijs ſchiſmaticorum ordinationibus canone Innocentij Papæ euacuata, irritaq; facta eſt: quia verò Gulielmus nobili loco natus, diuinarum, atq; humanarum rerum cognitione prædi tus, & Rogerio charus erat, voluit Pontifex de eo benemereri: nè tamen inualidam electionem, ratam facere videretur, ad alteram Eccleſiam illum aſſumpſit.

1143 Gaufredus Rufus, Epiſcopus Dolenſis in Gallia, poſtquam interfuit Concilio Piſano, factus eſt Archiepiſcopus Capuæ ab Innocentio II. ex MM. SS. collectaneis Domini Bartholomei Chioccarelli I.C. Neapolitani.

1163 Alphanus Archiepiſcopus Capuæ, temporibus Alexan-
1179 dri III. Pontificis, & Gulielmi Regis: ſcribit enim Romualdus Archiepiſcopus Salernitanus in Chron. quòd habetur M.S. in bibliotheca Vaticana, hunc Alphanum cum viginti quatuor triremibus adduxiſſe Neapolim filiã Regis Hẽrici, vt nuberet Regi Gulielmo. *Ita Bellarm. Adde.* De hoc Alphano plura inſtrumenta Theſauri, ipſe enim monaſterium monialium Sanctæ Mariæ, cauſa per Alexandrum III. Papam accuratè cognita, ſibi ſubegit: ipſe priuilegium obtinuit, de quo infra in quarta parte: de eodem (vt habet Capacius) Archiuiũ ſancti Sebaſtiani, Baronius ann. 1176. & inſtrumenta monaſterij monialium ſancti Ioannis.

1183 Matthæus Archiepiſcopus temporibus Innocentij III.
1202

cius

eius ſit mentio in Regeſto eiuſdem Innocentij fol. 433.
*Ita Bellarm. Adde* De Matthæo plura inſtrumenta Theſauri. Hic Panormi apud Siciliam obijt: fuit occaſio, quoniam Innocentius Papæ III. ex teſtamento Reginæ Conſtantiæ ſuſcepta tutela Federici Regis Siciliæ tum pueri, mandauerat ipſi Matthæo Regis familiari, vt cum alijs quibuſdam Prælatis Regni negotia procuraret. Hic iampridem Archiepiſcopus Capuæ, tertium Innocentij III. annum vix exceſſit: eo mortuo, ſcripſit Innocentius ad Capitulum Capuanum inſignem epiſtolam, cuius pars habetur in corpore Iuris Canonici: integra verò ita ſe habet.

Cum inter vniuerſas Metropoles, Capuana ſit Apoſtolicæ Sedi vicinior, ad prouiſionem ipſius ſpecialiùs aſpiramus, talem ipſi perſonam præfigi cupientes, quæ ſicut alios metropolitanos loci vicinitate, ſic & deuotionis affectu præcellat: per quam, & ipſa Metropolis tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus optatum ſuſcipiat incrementum. Intelleximus autẽ per dilectos filios L. & P. canonicos veſtros, & literas, quas ad Sedem Apoſtolicam detulerunt, quòd ad (A) Decanum, & alios canonicos veſtros Panormi manentes, cum ex eorum parte vobis fuiſſet per literas intimatum, vt Eccleſiæ Capuanæ damna penſantes, ſic tractaretis ſuper electione ſubſtituendi paſtoris, quòd nullum deberetis in eorum abſentia nominare; quendam ſocium veſtrum cum literis deſtinaſtis, duodecim dierum terminum aſſignantes, infra quem, poſt receptionem literarum veſtrarum, iter arriperent redeundi: quamuis Eccleſiaſtica conſuetudo non exigat, vt ad electionem paſtoris Canonici tam remoti vocentur: & illi præcipuè, qui longè antequam vos metropolitani veſtri obitum præſentialiter cognouerunt, quorum aliqui poſt eius deceſſum, ad Capuanam Eccleſiam ſunt reuerſi. Quia verò mora longior in electionibus eſt valdè ſuſpecta, imò ſæpè damnoſa, diſcretioni. A

tioni.

Digitized by Google

tioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, atq; præcipimus, quatenus inuocata Spiritus ſancti gratia, perſonam idoneam per electionem canonicam concorditer aſſumatis, ad regimen Eccleſiæ Capuanæ: conſequenter ad noſtram præſentiam nuncios idoneos tranſmiſſuri, per
C quos à (C) nobis vice (B) regia poſtuletis aſſenſum, &
B Apoſtolicæ confirmationis gratiam requiratis, attentiùs prouiſuri, vt eo diſcretionis, & charitatis ſtudio procedatis, quòd nec in electione vitium, nec in electo defectus valeat inueniri. Alioquin, & factum electionis reuocaremus in irritum, & perſonas eligentium puniremus.

## NOTATIONES.

A DEcanus. *In inſtrumento Theſauri anno* 1219. *inuenitur Vgo Decanus, & Regiæ Cappellæ Canonicus: hic ergo cenſeri poteſt fuiſſe Decanus, qui cum Matthæo Archiepiſcopo Panormi degebat.*

B Vice regia. *Canoniſtæ, in cap. cum inter vniuerſas de electione, quærunt cur in electione Archiepiſcopi Capuani peteretur Regius aſſenſus: profectò Regius aſſenſus in electionibus omnium Prælatorum Regni Siciliæ petebatur, idq; non ratione iuriſpatronatus, nec feudi, nec conſuetudinis, ſed ex ſpeciali priuilegio ipſiuſmet Innocentij III. conceſſo Conſtantiæ Imperatrici Reginæ Siciliæ, eiuſq; filio Friderico. Accipe verba ex epiſtola Innocentij ad illos:* Nec nouum (*inquit*) nec iniuſtum exiſtit, ſi Regno Siciliæ gratiam facimus ſpecialem. *Et infra* Sede vacante, Capitulum ſignificabit vobis, & veſtris hæredibus obitum deceſſoris, deindè conuenientes in vnum, inuocata Spiritus ſancti gratia, ſecundùm Deum elegerint canonicè perſonam idoneam, cui requiſitum à vobis præbere debeatis aſſenſum; & electionem factam non different publicare, electionem verò

factam

factam, & publicatam, denunciabunt vobis, & veſtrum requirent aſſenſum: antequam aſſenſus regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis ſolemnitas, quæ intronizationi videtur annexa: nec antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, adminiſtrationi ſe vllatenus immiſcebit, ſic enim honori veſtro volumus condeſcendere, vt libertatem canonicam obſeruemus, nullo prorſus obſtante reſcripto, quod à Sede Apoſtolica fuerit impetratum. Rogamus ergo &c.

A nobis. *Cur aſſenſus petendus erat ab Innocentio Papa vice Regia? Profectò cum Imperatrix Conſtantia defuncta iam eſſet, ex illius teſtamento Innocentius III. factus eſt Friderici tutor, ſeù Balius, & ideo vice Regia fungebatur. Hinc ergo habemus Matthæum Archiepiſcopum poſt Conſtantiam deceſſiſſe, nempè poſt annum* 1199. *perueniſſe ad annum* 1202. *comperimus ex inſtrumentis.* C

Raynaldus, de quo nõnulla inſtrumenta Theſauri. Hic 1204
eſt ille Raynaldus filius Comitis Celani, & proximus Mat- 1210
thæi ſucceſſor: de eius electione extat epiſtola Innocentij III. ad Capitulum, cuius pars eſt in corpore Iuris Canonici; ſed integra ita ſe habet.

Archidiacono, & Capitulo Capuanis.

CVm olim nobis de obitu bonæ memoriæ Archiepiſcopi Capuani tam per veſtras literas, quàm nuncios conſtitiſſet, volentes, prout officij noſtri ſolicitudo depoſcit, in paſtorem prouideri celeriùs Eccleſ. viduatæ, vobis dedimus in mandatis, vt electionem canonicam de perſona idonea faceretis, per quam in ſpiritualibus, & temporalibus Capuana Eccleſia poſſet congruè gubernari. Vos autem mandatum noſtrum ſuſcipientes humiliter, & deuotè, ſtatuto die in Metropol. Eccleſia conueniſtis, & cum ad tractandum de facienda electione in Cap. ſederitis, tu fili

Archidiacone hymnum ad inuocandam Spiritus ſancti A gratiam incepiſſes, dilectus filius M (A) Archidiaconus Theat. Canonicus Capuanus ſilentium indicens, ſic ait: Dominus Papa, vt faceremus canonicam electionem præcepit, & ego nè fiat, niſi canonica, interdico, & ad ipſum vocem appellationis emitto. Cumq; à quibuſdam veſtrum quæſitum fuiſſet ab Archidiacono memorato, quid intelligeret per canonicam electionem, reſpondit, vt ſecundùm decreta canonica nullus in Epiſcopum de aliena eligeretur Eccleſia, dum in propria poſſet idoneus inueniri: & ſic aliquantulo facto tumultu, cum tu fili Archidiacone hymnum iterum incepiſſes, ipſe Archidiac. Theatinus cum quibuſdam complicibus ſuis chorum exiuit, & cæpit in quodam angulo Eccleſiæ commorari, & vos hymnum in choro ſolemniter compleuiſtis. Sed cum poſt inuocatam Spiritus ſancti gratiam foret de electione tractādum, vnum B presbyterum, & vnum Diaconum, & alium (B) Acolytum C vicem gerentem ſubdiaconi, qui etiam eſt (C) Cancellarius Eccleſ. Capuan. vt vota ſingulorū ſeriatim perquirerēt, elegiſtis: qui vniuerſorū perquirentes diligentius voluntates, vos omnes, qui ad eligendum in Cap. remanſiſtis, D inuenerunt in electione concordes: dilectum filium R (D) ſubdiac. & Capell. noſtrum, filium dilecti filij nobilis P. Comitis Celanen. vnanimiter nominantes. Demùm verò prædictum Archid. & qui cum eo exierant, per quoſdam de veſtris admonere curaſtis, vt ad electionem accederent faciendam: ſed cum ipſi venire penitus recuſantes, & diceret idem Archid. quod non ei feceratis tantum honoris, & gratiæ, quod vobiſcum vellet in electione facienda perſiſtere, vos publicata electione veſtra, cantaſtis Te Deum laudamus, & pulſari feciſtis cum ſolemnitate campanas, vt quod per vos factum fuerat, innoreſceret ciuitati: ad quarum ſonitum cum vniuerſus populus ad Eccleſiam aduc-

niſſent

niſſent, & audiſſent, qualiter à vobis electio fuerat celebrata, factum veſtrum communiter approbarunt: & quidam eorum, vt Archidiac. & alios, qui ab electione diſcordabant, ad concordiam reuocarent, multipliciter inſtituerunt. Verum ipſe Archidiaconus, vt proponitur, ſe tunc ipſi electioni minimè conſentire, ſed in noſtra præſentia ſuum aſſenſum ipſi velle præſtare reſpondit; quod etiam, ſicut dicitur, ſæpè, ac ſæpius in multorum præſentia replicauit. Tu verò fili Archidiacone cum multis de Canonicis Capuanis decretum electionis afferens, eligentium ſubſcriptionis roboratum, ad noſtram præſentiam acceſſiſtis, & cum apud nos fuiſſetis aliquando commorati, tres Canonici Capuani pro parte aduerſa, poſt aliquot dies noſtro ſe conſpectui præſentarunt. Vobis igitur, & ipſis in noſtra, & fratrum noſtrorum præſentia conſtitutis, vtriq; partium præcepimus dicere veritatem: & quantum quidem erat in narratione facti, vſque ad exitum Archidiaconi prædicti de choro neutra partium diſcordabat. Dicebant tamen clerici antedicti, quod multi, qui exierant cum Archid. minis, & terroribus fuerāt inducti electioni à vobis poſtmodum factæ conſentire. Cumq; tam à vobis, quàm clericis illis quæſiuerimus diligēter, quot erāt clerici Capuani, qui electioni debuerant intereſſe, inuenti non fuiſtis in reſponſione diſcordes, ſed tam vos, quàm ipſi certum ſuper hoc numerum deſignaſtis: & cum quæreremus ſolicitè quot exierant cum Archidiac. Theatino, cum appellationem appoſuit, interpoſitæ appellationi fauentes, licèt in hoc à vobis præfati tres clerici diſcordarent, quod ſcilicet 12. (E) E vel 13. ad plus de Canonicis ab electione facta proponerent diſſentire, & vos eos eſſe 5. & aut 6. ſolummodo diceretis: ſecundum tamen expreſſum à vobis, & ipſis Canonicorum numerum tres partes, & amplius erant in electione concordes: ſi etiam prædictorum clericorum aſſer-



Digitized by Google

tio vera eſſet, quod ſcilicet 13. canonici diſſentirent. Quã-quam autem, vt prædiximus, diligenter inquiſiuimus publicè veritatem, nè tamen aliqua videremur omittere, de quibus fides nobis erat plenior exhibenda, per quoſdam de fratribus noſtris ſigillatim vos, & ipſos clericos examinari præcepimus, vt quiſque veſtrum coram ipſis pleniùs, & ſecuriùs exponeret voluntatem: qui non aliud, quam ante propoſitum fuerat, inuenerunt. Interrogati verò clerici antedicti, qui quoſdam Canonicorum dixerant minis, & terroribus ad conſentiendum inductos, ſi viderunt aliquibus quamlibet coactionem inferri, taliter reſponderunt, quòd poſt factam electionem audiuerunt quoſdam de Canonicis alijs comminantes, & dicentes: de ciuitate tre-
F centi vocentur (F) armati, & tunc apparebit, quis electioni noſtræ noluerit conſentire: ſed licet hoc dictum fuerit, nõ viderunt tamen propter hoc cum armis aliquem venientem, vel ipſis coactionem aliquam intuliſſe. Cum autem ex vtriuſq; partis aſſertione conſtaret interpoſitam fuiſſe appellationem canonicam, quãdo ne fieret electio niſi canonica, ſecundùm mandati noſtri tenorem, ad noſtrã fuit audientiam appellatum, videri poterat, quod poſt eam medio tempore nihil debuerit innouari, vnde talis electio iudicanda erat irrita, & inanis, vtpotè poſt appellationem canoninè interpoſitam attentata: ſed ècontra cum appellatum fuiſſet, non vt nulla fieret, ſed vt canonica, ſi factum electionis fuit canonicè ſubſecutum, non vtiq; contra formam appellationis huiuſmodi, ſed magis ſecundùm eam videbatur eſſe proceſſum, & ideo licet poſt appellationẽ, non tamen contra fuit eadem electio celebrata: propter quod non erat aliquatenus irritanda. Nam cum duæ partes, & amplius electioni conſenſerint, & conſentiant, licet
G cautum reperiatur in canone, vt tunc ex (G) ex altera eligatur Eccleſia, cũ nullus in propria fuerit repertus idoneus,

quia

quia tamen hoc in fauorem introductum eſt clericorum, & cuiq; licet renunciare iuri, quod pro ſe noſcitur introductum; vos qui duæ partes eratis, & amplius, cum quod duæ partes Capituli faciunt, totum facere doceatur, in hac parte iuri, quod pro vobis facere videbatur, renunciare potuiſtis, & electionem de perſona alterius Eccleſiæ celebrare, præſertim cum illud decretum locum videatur habere quando clericis renitentibus, & inuitis alicuius violentia poteſtatis, extraneus ingeritur ex aduerſo: propter quod ſequitur in decreto, vt ſit facultas clericis renitendi, ſi ſe viderint prægrauari: & quos ingeri ſibi viderint ex aduerſo, non timeant refutare. Præterea cum Sedes Apoſtolica caput omnium Eccl. exiſtat, & Rom. Pont. Iudex ſit ordinarius ſingulorum, quando de ipſa quis aſſumitur in Prælatum alterius, ei poſſe obijci non videtur propter capitis priuilegium, quod obtinet plenitudinem, quod de de alia Eccleſia eligatur, cum à capite membra reputari non debeant aliena. Item cum poſt appellationẽ emiſſam, non vt non fieret electio, quia talis appellatio nulla foret, ſed vt fieret canonica, dictus Archid. Theat. cum ſuis fautoribus chorum exijſſet, & vos illos, vt interesſent electioni faciendæ vobiſcum curaſſetis ſolicitè reuocare, quoniam ad electionem faciendam accedere noluerunt, alienos ſe feciſſe videntur: propter quod electioni à vobis concorditer celebratæ de iure non poſſe contradicere videbantur: præſertim cum idem Archid. poſtea requiſitus reſponderit, quod in præſentia noſtra vellet ſuum ei præbere conſenſum: & ideo cum ſecundùm ſtatuta. Lat. concilij, app. remota ſemper id debeat præualere, quod à pluribus, & ſanioribus fuerit ordinatum niſi fortè à paucioribus, & inferioribus aliquid rationabile obiectum fuerit, & oſtenſum, à vobis celebrata electio, tanquam à maiori, & ſaniori parte, non obſtante contradictione, vel appellatio-



Digitized by Google

ne paucorum, debebat, & poterat rationabiliter confirmari, cum id, quod obiectum extitit, & oſtenſum rationibus præmiſſis appareat rationabile non fuiſſe: His taliter allegatis, quamquam contra perſonam illius, quem elegiſtis, nihil vnquam dictum fuerit, vel obiectum; quia tamen verbum Apoſtoli dicentis Nemini citò manum imponas, debemus attendere, diligenter ad ea, quæ circa perſonam inquirenda fuerant, duximus ex officio noſtro (ſicut decuit) procedendum. Et quidem cum tria ſint in perſona electi præcipuè requirenda, videlicet ætas legitima, morum honeſtas, & literatura ſufficiens: licet de honeſtate morum tanquam ei, qui nobiſcum eſt aliquandiù laudabiliter conuerſatus, poſſimus ipſi laudabile teſtimonium perhibere, Illius quoque literaturæ, licet non eminentis, tamen conuenientis exiſtat, vt pro defectu ſcientiæ (ſicut pleniùs intelleximus ab his, qui eam melius cognouerunt) ab electione non deberet excludi; de legitima tamen ætate plenè ſcire non potuimus veritatem, de qua nec vos (vt accepimus) aliquid cogitaſtis; cum à multis cuius ætatis exiſteret, curauerimus indagare, à nemine vnquam audiuimus, quod annum ætatis trigeſimum attigiſſet. Cum autem ſecundum prædicti ſtatuta concilij nullus debeat in Epiſcopum eligi, qui trigeſimum ætatis non egerit annum; licet ſenectus venerabilis ſit, non diuturna, nec annorum numero computata, ſed cani hominis ſint ſenſus eius, & ætas ſenectutis vita immaculata, quia tamen poſt illa tria, quæ Salomon aſſerit difficilia, quartum quaſi reputet impoſſibile, viã videlicet viri in adoleſcentia ſua, tanquam inueſtigari nõ poſſit, nos Eccleſiæ pariter, & perſonæ prouideri volentes, & tam rationes, quàm canones obſeruare, habito ſuper hoc cum fratribus noſtris diligenti tractatu, quia propoſitum veſtrum prouidum intelleximus, & ideo propter vrgentem neceſſitatem, & euidentem vtilitatem

Eccle-

Eccleſiæ Capuanæ, quam in hac parte potius approbamus, volumus ipſum firmiter perdurare. præfatum ſubdiaconum noſtrum, de cõmuni fratrũ noſtrorum conſilio, vobis in (H) procuratorem concedimus, liberam adminiſtrationem etiam in ſpiritualibus, quam in temporalibus committentes. Quapropter diſcretioni veſtræ per Apoſt. ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus eum ſuſcipientes humiliter, & deuotè, ipſi curetis plenariè de ſpiritualibus, & temporalibus reſpondere, vt & ipſe profectum, & honorem Eccleſiæ Capuanæ valeat ſtudoſiùs procurare, & dilectionem, quam vos ad eum habere proponitis, in exhibitione operis experiri. Speramus enim in domino, quòd ſicut ei dedimus in mandatis, taliter in commiſſa ſibi procuratione proficiet, quòd ſibi ſalutem, vobis vtilitatem, & Nobis comparabit honorem. Datum Lateran. H

## NOTATIONES.

A Rchidiaconus Theatinus. *Paſſim inueniuntur, qui cum canonicatu Capuano aliarum Eccleſiarum dignitates, immò & Epiſcopatus obtinuerunt.* A

Chorum exiuit. *Antiquitus Capitulum congregabatur in Choro, & ibi negotia capitularia expediebantur, vt videre eſt in inſtrumentis Theſauri. Non mirum, quia non erat tunc oportunior locus in Eccleſia. Chorus erat in media naui.*

Acolythum. *Igitur olim inter Canonicos erat ordo Acolythorum, qui ſuum habebant Archiacolythum, cuius nũc extat officium abſque canonia; quare Acolyti ſunt illi pueri, ad quos, vt habet Rituale antiquum, pertinebat officium in ſolemnitate Sanctorum Innocentium.* B

Cancellarius. *Officium Cancellarij antiquiſſimum fuiſſe in Eccleſia Capuana ex multis conſtat, immò & fuiſſe Perſonatum, ſeu Dignitatem conſtabit infra.* C

R. Sub-

Digitized by Google

D R. Subdiac. & Cappel. noſtrum. *Ideſt Rainaldum ſubdiaconum, & Cappellanum noſtrum, filium Comitis Celanenſis. Eſt Celanum oppidum in Apruzio citeriori: ſunt qui Rainaldum Celani Comitis filium referant ad annũ* 1221. *ſed illi falluntur.*

E XII. vel 13. tres partes, & amplius erant in electione concordes. *Si detractis tredecim Canonicis concordant Canonici plures tribus partibus, conſequens eſt Canonicos fuiſſe numero ſupra quinquaginta. Non mirum: nam illo tempore Eccleſia Cathedralis erat receptiua, in quam clerici abſque certo numero recipiebantur, neque omnes æqualiter.*

F In procuratorem. *Rainaldus propter defectum ætatis datus eſt Eccleſiæ procurator: fuit ergo electus, & confirmatus, non conſecratus: ideo in inſtrumẽto anni* 1204 *&* 1207 *dicitur electus, ſed in inſtrumento anni* 1210. *dicitur Archiepiſcopus.*

F Trecentos armatos. *Ergo trecenti viri armati prompti erant in Ciuitate? non mirum, propter turbas quæ tunc in Regno, quando mortua Imperatrice Conſtantia, & Federico Rege iam puero, Macouualdus Imperij Seneſcalcus Regnum inuaſit: Innocentius autem, vt Regnum in Federici fide contineret, Capuanos in primis & animatos, & armatos eſſe voluit, vt patet ex epiſtolis eiuſdem Innocentij.*

G Quod de alia Eccleſia eligatur. *Ego credo hunc Rainaldum fuiſſe Capuanum, nam Comites Celani ſcimus Capuæ degiſſe, & ab ipſis Capuæ denominatam familiam de Celano. Habemus in Kalendarijs mortuorum ſanctæ Mariæ monialium Dominum Berardum de Celano die* 2. *Octobris. Domnam Margaritam Comitiſſam Celani* 4. *Kalendas Iulij. Mariam de Celano* 3. *Kalendas Iunij: tamen hic dicitur Rainaldus non fuiſſe ex Eccleſia Capuana quia nimirum ille nullum habebat titulum vel canoniæ, vel alterius Beneficij intra Cathedralem Eccleſiam. Hunc Rainaldum*

oportuit

Digitized by Google

*oportuit eſſe Archiepiſcopum illum, qui tranſlationi ſancti Andreæ à Petro Capuano Cardinali Archiepiſcopo Amalphitano facta anno 1206. interfuit, & Apoſtoli digitum impetrauit, quem in Theſauro Capuano repoſuit.*

*In inſtrumento anni 1205. ſunt Rainaldi ſubſcriptio, & ſignum ita rubris literis exarata.*






Rainaldus ſecundus Archiepiſcopus Capuæ reperitur in inſtrumento Theſauri, & cum dicatur ſecundus, oportet ipſum Rainaldo filio Comitis Celani proximè ſucceſſiſſe.

Eccleſia Capuana vacat, & in eam Federicus Imperator manus extendit; de qua re Honorius Papa conqueritur, & poſt aliquod tempus quendam Parmenſem Archiepiſcopum Capuæ nominat: nominatum verò Federicus recipi vetuit. Ex Riccardo de S. Germano: tandem Iacobus Federici familiaris Archiepiſcopatum obtinuit.

Iacobus Archiepiſcopus Capuæ ex inſtrumento quodam veteri in Theſauro Cathedralis Capuæ. *Ita Bellarm. Adde* De Iacobo Archiepiſcopo inſtrumentum ſancti Ioannis, & plura Theſauri. Fuit filius Danielis Amalfitani, & fratrem habuit nomine Ioannem, vt patet ex inſtrumento 1241. fuit Federici familiariſſimus, & alijs magiſtratibus imperabat, vt Capacius notat. Cum inueniatur Archiepiſcopus ab anno 1228. ipſe dicendus eſt eſſe ille Archiepiſcopus Capuæ, qui anno 1229. vt habet Bzouius, fuit in Paleſtina cum Federico Imperatore. Sub hoc Archiepiſcopo anno 1241. Eccleſia Capuana ſoluit collectam Impe-

rialem. Habemus inſtrumentum cum appenſa bulla plumbea in qua ex vna parte ſunt imagines SS. Stephani à ſiniſtris, & Agathæ à dextris; & ex altera Imago, & nomen ipſius Archiepiſcopi.

Cæterum Pater Iacobi Daniel non patria, ſed cognomento Amalphitanus mihi videtur, vt illa ætate vicus quidam Amalphitanus Capuæ nominabatur: at eſto fuerit Daniel Amalphitanus patria; mihi certum eſt Iacobum ipſum fuiſſe ciuem Capuanum: certum eſt inquam ex epiſtola Petri de Vinea in qua Iacobus appellatur Compatriota, & conciuis Petri, Petri inquam de Vinea, quem eſſe ciuem Capuanum Scriptores communiter habent, & monumenta Capuana demonſtrant: Mutuas inter Petrum, & Iacobum datas epiſtolas, vt manuſcriptas habemus in Theſauro huc afferre lubet.

## EPISTOLA IACOBI ARCHIEPISCOPI *ad M. Petrum de Vinea.*

ABſit mihi domeſtica Vinea, quæ ita ſit ſterilis animo, ſicut verbo; quia ſi non eſſet, tolerabilius ſuus non diceret, & ipſa, vel ipſe meus competentius taceretur, hoc; inquam, abſit remotius, vt ſuus non dicatur alteruter ex duobus, quos vna prouincia genuit, & vna terra lactauit, & incrementis ſequentibus non multum diſpar prouectus arriſit adhuc etiam abſit: & tertium, vt lingua non redoleat inter iſtos affectus, hauſtus vocis non auriga ſit ſic operis, vt mutuo ſui dicantur, nec ſint hæc vnquam inter mores, & homines abdicant, & natura proſcribit: in his itaque ſi Petrum, aut Iacobum negligentia feriat, vel maculet culpa, perſpicacitas veſtra Mundo iam experta diſcutiat, nec qui patris verenda rideat, cenſuram reſtringat; non pudet argui ſub pectore filij, ſi peccaui, teor tamen, quod me tue-

tur

tur exceptio, quę tam peremptorijs, quam minoribus ſubducit ægrotos, & diem prærogat etiam, dum pœnalis inſtantia moram accuſat, cum enim multis morer occupatus maioribus, qualem me dimiſeritis, obliuio non obduxit. Collectis igitur per calculos menſibus vſque nunc docebit vos veritas, qualiter non ſolum mihi, ſed & multis in me mors remedium fieret, ſed vita tormento: quid itaque mirum ſi tunc non ſalutaui, quem diligo, dum in me crebris acceſſibus pullulans, ſola deſperatio viuendi viueret, & ſalutis. Sic igitur in vos inuehor dum accuſor, & primo ſecundum Euangelium infirmus fui, nec viſitaſtis me; quod vtinam in vobis Senatus ſuperior, quaſi culpam nõ arguat, vel neglectum ſolum id iudicans obſtupeſcat. Ah fili fili quantum multis eſt amarum ſilentium, quorum loquela dulceſcit; & probatur regula, quod augmentatur per ſimilia ſimile, & aſſumitur ſecundum materiam, quæ tractatur; amaricauit me morbus dum fremuit, nec minus Petrus ſcribentis officium aduerſus me, dum ſuſpendit ſermo tamen prolixior, quem poſſet materia texere breuiatur, & de culpa, vel offenſa, quæ extitit pace data, rogo quatenus de triumphalibus auſpicijs Domini, & proſpero ſtatu veſtro, Petrus frequenter lætificet, nihil annectens excuſatorium, ſic dicendo ah Pater, quem gaudia diſtrahunt, hunc alludere calamo non permittunt. Fateor; ſed mihi tempus huiuſmodi, non per momenta ſic tollitur, vt quies, vel otium non alternet, alioquin defectum concluderet ille verſiculus, Quod caret alterna requie durabile non eſt: totum ergo remittitur, & nihil ex præteritis imputatur, dummodo per Petri literas Iacobus confortetur.



Digitized by Google

## Altera eiuſdem ad eundem.

SEmper creſcit culpa, dum differtur emenda; ex mora, quæ arguitur, donec purgetur, moroſior iudicatur. Olim crede ſcripſi, ne diutiùs ſub hac mora langueſcerem, & in vobis clauſura ſilentij precatus ſum reſerari, quæ mihi longo iam tempore dum Oſtiarius clauſit, Patri filius amarum vulnus inflixit, cui rectè mederi nunc patitur, vt præſecto ſilentio mutus hactenus, iam loquatur.

## M. Petri de Vinea reſponſoria.

FAteor Pater, quod iuſtè redarguor, ſed iniuſtè condemnor, eatenus veruntamen iuſtitiæ nota porrigitur, quatenus efficacia petitionis extenditur, quam ſuſtinentis obiectio defenſionis eludit: ſed & tolerandus eſt filius: ſi peccauit, paternæ decet condemnationis mole non obrui, quem licet appellationis ſententia promptè non lateret, ſupportationis tamen remedio reuerẽter euitat, etenim in taciturnitate filialis obſequij expergefacta memoria paternæ dilectionis obſtupuit, quam in obliuionem vnius pauperis filij, ſed deuoti, oblectamenta nobilium, & ſublimium amicorum delinita, ſeducunt ſtupentem Patrem; natura cogente non arguo, ſi ſomnolentus à filio voluit perſequentis vocis inſtantia euitari, crudelis tamen, & impia conditio ſequeretur ſi ſeueri Patris iudicium filius sẽtiat, quem iuſti timoris allegatio protegit, & ignorantia paternæ voluntatis excuſat: quieti tamen natura, non homine terminum imponente, euigilatus eſt Pater filium pauidum, & tacitum inuenit, ac lacte paternæ dulcedinis præ ſomni longitudine ſitientem, confortat pauidum famelicum educat, ſed tacentem accuſat: Paterna

pietas

pietas reuerentiam arguit filialem, confortatus eſt filius, loquitur, timoris exceptione ſe protegit redargutus; ſed tamen à Patre non reſpuit nutrimentum. Sufficit ne vobis iſtud ò pater, quod cauſam veſtram ego ipſe, qui vocor, pietate iuſtifico, quod me timoris,& reuerentiæ ſolum exceptione defendo? quod condemnationis paternæ ſententiam filiali ſupportatione deuito? dicet fortè pater, non ſufficit, ſed mentem exiget à filio meliorem, vt ibi fortè culpam fore confiteatur, vbi culpa non ſubeſt. Quid faciam? cædam patri, culpam confitebor,& dicam, peccaui pater in cœlis,& coram te,ſed vt ſcelus omne proſcribam: negligenter me habui luxurioſè tamen non vixi,ſcitum paternæ reuerentiæ nullo meretricio pollui quanquam obſequium filiale præſtare deuotiùs prout pater æſtimat, debuiſſem. Veſtra Pater eſt vinea,etſi dignemini non velle contrarium, veſtra dicetur: ad vineæ veſtræ palmites, ſeù radices,nulla corruptionis mixtura peruenit,nullum saporem alterauit inſitio, nullum colorem alternitas variauit, talem vindemiam habetis ex vinea, qualem plantationis materiam contuliſtis. Cauſamini Pater, quod vinea veſtra botros in debita quantitate non afferat, quod arefacta ſit vinea. Reſpondetur, & vos cur manum ſubducitis cultui, & fontis irrigui copiam denegatis? cauſamini Priuignum in filio,demeritum in alumno; Reſpondeo: & vos cur paternam dulcedinem alumno ſubtrahitis, & cur in filium ita crudeliter nouercamini? Excuſationibus veſtris,& incuſationibus meis manum veſtram ſomnolentam,& debilem ad ſcripturam adducitis propter morbum. O vtinam care Pater, nec mihi fuiſſet hactenus ſomnolenta, nec alijs, ſed vt vidi frequenter, & prouidus, dormitauit hæc filio, ſed alijs vigilauit: ſuper his omnibus pace data petijſtis, quod excuſatore nullo propoſito proſperum ſtatum meum (tamen caſtra ſequentem ſequeretur proſperitas) & princi-



Digitized by Google

pia Principis nunciarē:durum, & impoſſibile petitur,quod me veſtra redargutio ſic proſtratum, ſic iacentem inuenerit,ſic reliquit, vt ad increpanda patris eloquia non reſurgam. Pacem propterea nobis dare poſſumus inuicem, ſed nullatenus ego mihi, & cordi meo, quin doleat ſcilicet, & oculis quin non fleant; cum ſubreptum mihi patris animum video,& cauſam ignoro; vinea mea quid fecit vobis, vel veſtra potius,quod irrigationem eius ad alias, quæ demum vobis labruſcas aperient, tranſtuliſtis? deniq; quantumcumq; dolentis ingenio dolor, & doloris materia, ſeù iuſtitia ſubtrahat voluntatem. Imperio tamen patris obediam & epiſtolæ,quæ poſtquam totam Germaniam circuiuit,tandem ad me nouiſſimo menſis Auguſti fatigata peruenit,Reſpondeo,quod corpore valeo,labore tamen continuo laborante,dum inter Caribdim,& Scillam,inter Lōbardorum aſtutias nauicula filij timidis fluctibus fatigatur, Cæſarea geſta Magnifica vos epiſtola Principis frequenter edocuit, cuius cartam ſcribentis filij manus nudam, & vacuam tetigit,& ingenium Virginem deflorauit.

## Tertia Iacobi Archiepiſcopi ad Petrum de Vinea.

NOndum me ſalutauerat epiſtola, quam miſiſti, cum ex duabus miſſis ex me non leuis querela perſtreperet tanquam eas in incertum direxerim, vt per arida climata gelidum aera ſalutarent, ideoque ſe relegatas potius cauſabantur, quam miſſas, dum ad illum receperant legationis officium,cuius ſenſus,&probitas quietem inuident, magiſque ſibi domeſticant diſcurſus,quam ſtatus, quia ſic per faſtigia ſublimium detrahunt, quod modicum ex eo minoribus familiaritatis relinquunt. Igitur dum querelas huiuſmodi in mente diuellerem, ac ſi mihi veris obiectionibus concluſiſſent, tua ſubitò reſponſalis ſe obtulit,& in-

dicto

Digitized by Google

dicto ſilentio murmuri, ſpiritum in me pacificauit quieti, nec mora, nexus rumpitur, facies epiſtolæ reuelatur, ridet ſpecies, quia inde fit colorum varietas, figurabāt picturam, ſed quamprimum per clauſulas diffunditur oculus, miratur legentis ſtudium, ſi potuit in homine tale ingenium concipi, quod tantam verborum pareret Maieſtatem. Volebam fateor, turbam, quæ aderat poſtico fallere, vt familiarius mecum eſſem, ne tam dulciloquij vel ſtilla deflueret, quæ legentis ſenſibus raperetur. Credis ne potuerim quin citius odor Vineæ domum repleuerit, quādoquidem in facie Iacobi, quam alibi inuidum viderant, Petri paginam iam legebant: fit concurſus, ad lectionem vrgeor, oblectat ſeries, mulcetur auditor, ſed ſudāt ingenia, dum prouehi ſatagunt ad alta tribunalia ſtili, occurrit tandem ille verſiculus, Non cuilibet cōtingit adire Coryntum, ſed verſus qui intelligit, neq; curam negligit, ſud dum vacat ſurculis inſeri, & ſurculos ſibi ex electa vinea Petri, erit tādem vt talis inſitio propagetur in vitem, quandoquidem ex magiſtri iudici quiſquis familiariter legit Achiuos citò certo certius germinabit racemos. Hæc credo pauca ſufficiunt, ne ſcribentis gloria penes me videatur neglecta, ſiue quod humiliatus adueniat, vbi conſcientiam non arguit culpa, ſiue quod in verbi cythara Patrem filius, ſanus languidum, fortis debilem confortauit: In finibus tamen iſtis, quia moras ſibi non ſignauit, epiſtola fortè geſtiens calcibus laceſſiuit. Cogor longius progredi, ne mihi quid inhæreat ex illius ſcoria dicti verbi, ſcilicet durum, & impoſſibile actitas, vt ad increpanda patris eloquia non aſſurgas. Pudet verbi, quo ſibi contrarius pingitur, quiſquis petit veniam, contumelioſus efficitur, præſertim ſi Patrem increpet filius, quæ contumelia non . . vel pecunia, ſed tanquam crimen maximum corripitur morte, & certè ſic terrent pleroſq; filios tonitrua ſcripturarum, etiam ſi

facies

facies eorum patres coſpuerent oculos inreuerentiæ, non leuarent: redeat igitur ad te filius, & ſit ſecum cognoſcēs quod extra ſe lapſus eum linguæ portauit, hoc enim rectius eſſe poterit cordi flebile, & oculo lachrymoſum, vt ſubreptum ſibi patrem vaga cauſaretur opinio, tanquam in te didicerim euentus ſecernere, vt plauderem proſperis, & terga darem aduerſis dic tamen ſi recolis huiuſmodi ſcholæ limina, ſicubi videris plantis Iacobi trita (audeo dicere in amicis, & ſpecialiter in te fili) mihi de conſcientia crimen ingeri, ſed nunquid mutabilitas exprobari? non credo talem imaginem, quod de me ſculpat veritas, etiam ſi penes te mens ingenioſa coloret, ideoque potuit ſequens clauſula de cordis atrio non erumpere, vt irrigationem domeſticæ vineæ tranſlatam in alias diceret, ex quibus ſic labruſcas colligo, quod de vuis fameſco. Amen dico tibi, tales neſcio, quamquam ex labruſcis non ſemper ſit vſus ſterilis dum vinum liquor colorat pallidum, & in flore ſubſtantia grato ſaporat odorem. Cæterùm non intelligo vnde locus ſit, tam graui querelæ, vbi nil ſum conſcius, quod inter amicos, & proximos in me debilitaret affectus, quin Iacobum Petri, & Petrum Iacobi profitear, quæ ſanè profeſſio firmis prouecta radicibus, ita ſenuit olim in iuuene, vt quotidie pubeſcat in ſene. Valeat ergo Petrus meus, & Vinea mea, & quieſcat in loco calamus, vt inter amicos, & proximos, vel intimos Petrus apud me nulli ſcribatur ſecundus.

Altera M. Petri ad Iacobum Archiepiſcopum reſponſoria.

PAter mi, quam terribilia mihi verborum veſtrorum ſublimia mittitis, quorum ne tactus ardorem, nec oculi poſſent tolerare fulgorem, non ſunt oculi lincei, nec humeri gingantei, qui ſermonum veſtrorum profundita-

tem

rem inſpicere,& ſententiarum pondera valeant ſubſtinere. Vix aliquando, poſtquam à vobis abfui lingua veſtra ſe mihi leuem exhibuit, vix ſe manus veſtra pacifica, quin contentionem verborum proferret epiſtola, vel correctionem virgæ dextra minaretur:ò quam blandus,& efficax fuit ille primus meæ culpæ delator, ò quã veridici teſtimonij teſtis exceptione qualibet maior, qui ſic atrocẽ iniuriã filij detulit, ſic atrociter comprobauit,vt radicatã in fundo puri cordis offenſam euellere filius, proh dolor, iam fruſtra laboret. Certè pater ſi vidiſſent oculi veſtri coram ſe de filio, quod aure alijs dicentibus audiuiſtis, non ſic inremediabiliter viſa viſu colligere, quam audita concipere debuiſſetis auditu, ſed vt manifeſtiſſimè patet nimis declinis via eſt auris, ad omnia nimis tenax,dum facile verbum ingreditur, & ingreſſum digeritur citius quam vomatur, indulgeat ei Deus, qui patrem ſic credulum commouit in filium innocentem: nec miremini quod ignoſco tam leuiter circa me tam grauiter delinquenti, induxit hoc etenim non veniæ leuitas, ſed exempli cupido,quo potiri vos pater libentiſſime cuperem,vt ſicut ego deferentis miſereor, vos delata ſimiliter ignoſcatis, ac ſi forſitan quod abſit in tantum offenſa circa cordis veſtri neruos radicata coaluit, vt aliquatenus erui, vel euelli non poſſit, vtique quod eſt ſeuerius defenſionis copiam, quam nulla delatio calamitatis abſtulit, denegetis; in hoc ſaltem mihi veſtra paternitas licet irata conſentiat, vt ſuppreſſo quantum licet nomine delatoris, cuius, aut quorum non ſum ego ſprorſus ignarus,delati criminis qualitas detegatur. Et ſi de me licet taciti quęritis,quid ex inde poſtquam ſciuero niſi cauſam amaritudinis conſequar, reſpondebo,quia,vel in vero motus veſtri laudabo iuſtitiam, quanquam forſan veniam laudare non poſſim, vel in falſo meam innocentiam commendabo.Conſequar etiam adhuc aliud, quod dum audi-



Digitized by Google

ra commiſſa facinoris qualitate, vel deſperabo de venia, vel ſatisſationem quamlibet imparem reputabo, non vobiſcum poſtea, ſed mecum ipſe confligam, & pugnem veſtra etiam me iacente deſideratum victoribus exitum ſortietur, deſineris poſtmodum aures meas, verborum veſtrorum populſare tonitruis, nec voluptatem meam accuſabitis vnquam, nec prouocabitis voluntatem dicentes, quod ſiue velim, ſiue nolim patrem compatriotam, conciuem vos habeam Dominum, & amicum dicitis quod præſenti ſub virga non diceretis hoc filio, quod abſenti per literas intonatis: dicite mihi quæſo Pater, & Domine, quando, & qualiter vnquam hoc volui, quod beneficium Patris, conuerſationem ciuis, & puritatem amici ſi placet vobis ſcribere recuſarem, imò ſi in aliquo patri dicenti liceat contradicere filio, prorſus contrarium procuraui, adeo quod de hoc ſolum vereor, ne me apud vos amici mei, vel inimici potius detulerint, quod circa me patris affectum conciuis gratiam, & puritatem amici à diebus aliquibus citra, aut eneruatam inuenerim, aut vt mihimet blādiar retardatam, finiam ergo, & iucundiorum fine perficiam, quam incepi veniam, & expeto ſi loquendo profuſius, ſi ſcribendo forſan amarius dolentis filij, & innocentis conſcientiæ vena defluxit, & aperta voce clamabo, quod vos me habere patrem oporteat conciuem expediat, & delectat amicum.

## Quarta Archiepiſcopi Iacobi ad Petrum.

INter nos iam ſufficit verbis agi. Petrus ſit Iacobi, & Iacobus Petri: imò ſit ſic vtriuſque alterutrer, vt proſpera dum contigerint, cum plena promptuaria eructent ex hoc in illud; inter vnum, ac reliquum verus Amor diuidat per ſemiſſem. Super his hactenus luſit inuicem calamus, ſed lyra dulciſona iuuenis pſallere fecit ſenem, per quod Patris

diſcuſſit

Digitized by Google

diſcuſſit rudia. Filij docta manus. Sit igitur hoc inter Nos, cum terram cordis præſciderit verbi vomer ad cultum, ſemenq; ſparſerit affectus ad fructum; vt herba deiceps coaleſcat in ſegetem, & in culmo ſpica proficiat, vt graneſcat: fiet autem hoc ſi partus conceptum excreat, ſuſcipiat formam materia, vt circa nos ſi quis exurit, ſpicam, quam produximus colligat, quò fruatur. An non ſic habet ſcriptura: Qui frumentum abſcondit, maledicetur. Abſit ergo, Petrus, vel Iacobus vt frumentum fauoris, & operis cum alter expedit alteri, obtegat ſub ariſtis, quæ ſint detrectationum aculei, & mendacij punctiones. Stillent ergo montes dulcedinem, cum tales nos fecerit Deus in noſtris, quia lac, & mel colles fluent, ſi & vobis, quos caro proximat carni, debitus vigor alat: ſalua tamen fide per omnia, nequid de iuſſis præteritis damnaretis: contraque ſi quis impetit, Mundi, & ſanguinis neceſsitudo pellatur, quia Deo ſeruies, nullus apud te, qui meus es, ſcribatur exſtraneus, nec Patrem dedigneris Iudicem. Si quis meum Iudicem offendit, ſuper hos vnquam R. organum ad filium debuit eſſe Patris.

## Capituli Capuani ad Petrum de Vinea.

VTinam in magnis à nobis gratiam ſentiretis, quam in minimis ex innata vobis beneuolentia memoratis bonarum quippè mentium eſt, non quid fiat, ſed quo animo fiat, attendere, & obſequentium debitum gratiarum reportare. O quantum vobis debet Eccleſia, O quantum ciuitas Capuana tenetur, quia non à ciuitate, vel à Prouincia laudem, ſed ciuitati, & Prouinciæ titulum acquiſiuiſtis, vt iam non Petrus à Capua, ſed à Petro Capua longius cognoſcatur. Fœlix radix, quæ fructiferum protulit palmitem, fœlix Vinea, quæ vinum præcipuum germinauit



Digitized by Google

Grates ergo referimus vobis quod à nobis requiritis gratiam. Quod mandaſtis adimpleuimus gratioſè: Rogamus vt Eccleſiæ Matris veſtræ non ſitis immemores, cuius vos in Sacramentis Eccleſiaſticis vbera lactauerunt.

Ex præconio Nicolai de M. Petro de Vinea.

O Felix Vinea, quæ fælicem Capuam, tam ſuaui fructus vbertate reficiens, terram Laboris irradias, & remotos Orbis terminos inſtantia tuæ fœcunditatis irradiare non ceſſas, à cuius ſtipite palmes non diſcrepans, tanquam à bono fuſus nimio Iudex prodijt Guilelmus, quem commendabiliter eius effectus laudabilem exhibet, eo quod habuit tam nobiliſsimum creatorem: & quem ornauit qualitas habitus, ipſum amictu decoris adornat.

1244 Marinus Archiepiſcopus Capuæ ex alio ſimili inſtru-
1285 mento. *Ita Bellarm.* *Adde* Habemus de Marino plura inſtrumenta Theſauri. Hic eſt Marinus Filimarinus Neapolitanus, electus tempore Inn. IV. Hic anno 1273. auctoritate Papæ Alexandri III. fecit diſtributionem in Cathedrali, & numerũ 40. Canonicorũ determinauit, ita tamen, vt eſſent 10 Presbyteri, 10. Diaconi, & 20. Subdiaconi: ſed 20. Subdiaconi dimidiã diſtributionẽ participarent. Ann. 1276. cœpit ædificare põtẽ in caſtello de Vulturno. Sigillũ Marini erat Epiſcopus indutus Epiſcopalibus, ad cuius pedes caput Leonis exiſtebat, fortaſſe Leo repræsẽtabat ſchiſmaticum conculcatum: nam in inſtrumento Theſauri legitur nomen Corradi electi tempore Regis Conradi: habetur in inſtrumento Baiulum Capuanum debuiſſe perſoluere menſæ Archiepiſcopali certam quandam per ſingulos annos pecuniæ ſummam, perſoluiſſeq; Salimbeno, Marino, Iacobo, Archiepiſcopis, necnon Conrado electo tempore Regis Conradi: & in altero inſtrumẽto an. 1249.

legi

legitur Gualterius electus, Cappellanus, & Fidelis Fiderici, in cuius gratiam Federicus Imperator mandat reſtitui Eccleſiæ Capuanæ bona emphitheotica, quæ tenebantur à Petro de Vineis, eiuſq; cognatis, affinibuſq; ſed in manum Curiæ deuenerant; ergo poſt obitum Iacobi Archiepiſcopi contra Marinum canonicæ electum, à Federico, & deinde à Contrado ſchiſmatico ſunt electi, qui tandem præualere non potuerunt: inuenimus tempore Marini ſigillum Capituli fuiſſe imaginem ſancti Stephani ſtantis induti dalmatica tenentis vtraq; manu librum ante pectus, habentis propè caput à dextra ſolem, & ſtellam, à ſiniſtra Lunam, & ſtellam: in giro ſigilli erat inſcriptio, In Stephani meritis clerici ſpes eſt Capuani. Marinus ob. 6. Id. Martij.

Cynthius Archiepiſcopus, de quo plura inſtrumenta 1286
Theſauri, ſed in inſtrumento an. 1286. nominatur electus. 1289
Salimbenus Archiepiſcopus Capuæ, ex bulla Nicolai 1291
Papæ V. *Ita Bellarm. Adde* habemus de Salimbeno plu- 1296
ra inſtrumenta Theſauri. Hic ne Caſtrum maris de Vulturno ab hoſtibus occuparetur, egit cum Rege, vt illius caſtri cuſtodia Franciſco de Tocco Militi de Capua committeretur, viuebat 18. Maij.

Petrus Gerra de Petro plura inſtrumenta Theſauri. Hic 1297
è Ferentino Soranus Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus 1298
Montiſregalis, & Nolani Archiepiſcopatus adminiſtrator. Tum Archiepiſcopus Capuanus, & tandem Patriarcha Aquilienſis. Ex Capacio.

L. Archiepiſcopus Capuæ, & adminiſtrator Epiſcopa- 1299
tus Auerſani. Ex Regeſto Caroli II. Chioccarellus. Hic L. fuit Landulphus, ſeù Leonardus: nam hi duo teſte Capacio fuerunt Epiſcopi Auerſani tempore Bonifacij VIII. intra cuius Pontificatum continetur annus 1299.

Doriccominus Ingeraimus à Calatia. De hoc Kalēdariū 0000
mortuorum Eccleſiæ Calatinæ, in quo notatur mortuus

ann.

Digitized by Google

ann. 1303. verùm quia Ioannes ſucceſſor fuiſſe Archiepiſcopus inuenitur an. 1300. & 1304. oportet Doriccominum vel fuiſſe tantùm electum, vel viuentem ceſſiſſe Archiepiſcopatui.

1300 Ioannes Archiepiſcopus Capuæ ex inſtrumento The-
1304 ſauri. *Ita Bellarm. Adde* Plura ſunt inſtrumenta Theſauri, & vni ſubſcribit Ioannes Capuanus Archiepiſcopus Capuanus. Hic anno 1301. menſe Martio Archiepiſcopo Beneuentano ſacram ſuppellectilem ſatis inſignem remiſit. Cuius receptæ extat in Archiuio Eccleſiæ Beneuentanæ inſtrumentum, quod & literas Ioannis Archiepiſcopi noſtri continet. Illæ autem literæ, ita ſe habent.

In Chriſto Patri amico cariſſimo, Domino Adenulfo Archiepiſcopo, & diſcretis viris Capitulo Beneuent. Ioannes Miſeratione Diuina, Capuan. Archiepiſcopus, ſalutē, & plenum ſinceritatis affectum. Ecce remittimus vobis bona infraſcripta per diſcretum virum Abbatem Franciſcum Theſaurarium Eccleſiæ veſtræ Beneuentan. inter quæ ſunt quædam noſtra ſpecialia, quæ vobis concedimus, videlicet Mitram vnam cum ſmaltis, auro, & argento, lapidibus, & pernis ornatam, cum Mitrali, in quo ponitur ipſa Mitra, cum vna corrigia de ſeta rubea adebata de argento, & vnam aliam Mitram albā ſimplicem. Item vas vnum, quod dicitur Tabernaculum, de argento cum caſcia ſua. Item Boſsidam vnam de ebure: Item planetam vnam viridi coloris cum friſis de auro: Item pluuiale vnum cellatum cum magno friſo: Item tunicellam vnam viridi coloris Item dalmaticam vnam rubeam: Item tobaleam vnam ad ſetam, & aurum pro Altare maiori ad opera penſole. Item tobaleam vnam de ſeta liſtatam de auro, datam in recompenſatricem cuiuſdam alterius tobaleæ: Item pettenem vnum de ebure. Item Calicem vnum cum patena de argento deauratum: item crochiam vnam cum baculo de ebure:

Item

Item tria pallia de ſeta: Item quinq; tobaleæ cum ſeta pro Altare: Item planetam vnam de ſeta, camiſum vnum, ſtolam vnam, manipulum vnum, & amictum vnum: Item tobaleam vnam viridi coloris, ad tenendum ſuper patenam: Item corporale vnum cum caſa ad aurum, & Imagines: Item campanellam vnam: Item anulum vnum pontificalem de auro, magnum: Item quendam alium anulum de auro: Item Antiphonarium vnum de die: Item ſcrinia duo coloris viridis pro cappella: Item tres acus de argento cum lapidibus pro palleo: Item par vnum arethecarum de ſeta alba, cum ſmaltis impernatis, quod donauimus ipſi Eccleſiæ Beneuantanæ: Item friſium vnum de auro, quod etiam Nos donauimus prædictæ veſtræ Eccleſiæ Beneuentanæ; Parati dictæ veſtræ Beneuentanæ Eccleſiæ, & Vobis ſemper in omnibus amicabiliter complacere. Valete. Datum Capuæ die quartodecimo menſis Martij. *Hactenus literæ.* Porrò ex verbo illo *Remittimus*; & ex illo Inter quæ ſunt quædam ſpecialia noſtra, *& ex illo* In remcompenſatricem alterius, *clarè colligitur illa omnia bona non fuiſſe ab Archiepiſcopo Capuano donata Beneuentano, ſed illa Beneuento Capuam adducta, & deinde Capua remiſſa Beneuentum. Erant ergo illa bona Eccleſiæ Beneuentanæ: quibus Archiepiſcopus Capuanus* par vnum arethecarum, & friſium vnum *dono addidit: ſed quanam occaſione illa bona Capuam adduci potuerunt? profectò quia Ioannes ann.* 1300, *nominatur Electus, & ann.* 1301 *nominatur Archiepiſcopus, ideo coniecto, quod & veriſſimũ arbitror, Ioannẽ Capuanum electum inuitaſſe Beneuentanum Archiepiſcopum, vt ab eo ipſe vel conſecraretur, vel pallium acciperet: Ideoq; Beneuentanum (quod etiam hodie Epiſcopi ad exercenda Pontificalia extra ditionem ſuam inuitati facere ſolent) propriam ſuppellectilem duobus incluſam ſcriniis adducere voluiſſe: & hinc apparet quando, & à quo Ioannes conſecratus ſit Archiepiſcopus*



Digitized by Google

*ſcopus. Hic eſt Ioannes de quo Bzou. ann.* 1301. & 1304. *Cui Bonifacius VIII. poteſtatem fecit introducendi Mariam Siciliæ Reginam in monaſterium ſancti Petri Monialium, Ord. Dominicani apud Neapolim: Quique deſignatus exactor decimarum, vocatus eſt à Benedicto XI. ad reddendam rationem, & ad ſatisfaciendum intra duos menſes.*

1305 Andreas Archiepiſcopus Capuæ, ex inſtrumento The-
1311 ſauri. *Ita Bellarm. Adde* Hic Archiepiſcopus fuit ciuis Capuanus è nobiliſſima, & eo tempore florentiſsima Gente Pandona, vt habet Kalēdarium vnum, in quo notatur obitus 4. Idus Septembris anno 1311. de eo quoq; plura inſtrumenta Theſauri.

1311 Ingerannus Archiepiſcopus Capuæ, ex inſtrumento
1333 Theſau. *Ita Bellarm. Adde* Hic eſt Ingerannus Stella Conſiliarius, & Quæſtor Roberti Regis, Regni Cancellarius, Neapolitani gymnaſij Præſes, qui ex ſtudijs redeuntes ſcholares nouo examine probabat. Hic anno 1323. interfuit canonizationi ſancti Thomæ apud Auinionium, & quarto loco orauit. Idem anno 1325. interfuit claſsi maritimæ, qua Dux Calabriæ Roberti filius Siciliam inuaſit. *Hæc Capacius.* At qualis Ingeranno Archiepiſcopo Cathedralis Eccleſiæ ſtatus eſſet, indicant ſtatuta ab illo, & à Capitulo edita anno 1332. vnum aut alterum accipe.

In primis ſtatuerunt communi voto, & conſenſu, de bonis communibus ipſius congregationis ipſius Capituli, in quibuſcunque conſiſtant, triginta præbendas ſingulas per ſe diuiſas, viginti integras, Presbyteris decem, & Diaconibus decem: viginti dimidias in Subdiaconatus officio conſtitutis, qui numerus etiam in portionibus de bonis quotidianarum deſtributionum in ipſa Eccleſia obſeruatur. Itē ordinauerunt, & conſtituerunt, quòd ſi aliqua de prædictis præbendis pro tempore vacare contigerit, ſi eſt præ-

benda,

benda, aſſequatur ipſam antiquior canonicus, qui in ſacerdotali, vel Diaconali ordine fuit primitus inſtitutus in canonicum, & cui locus, & ſtallum in Capitulo fuerit aſsignatus, qui dari Sacerdotibus, vel Diaconibus, hactenus conſueuit: ſi verò dimidia fuerit præbenda vacans, aſſequatur ipſam antiquior canonicus, qui in ordine Subdiaconali fuerit primitus in canonicum inſtitutus, & cui locus, & ſtallum in Capitulo fuerit aſsignatus, qui Subdiaconibus dari, & aſsignari conſueuit. Si verò nullus canonicus in ordinibus ipſis eſſet expectans præbenda ipſa integra, vel dimidia vacans teneatur in communi, donec aliquis ex ipſis canonicis mandato Archiepiſcopi ordinetur, &c. Item quòd ſi aliqua præbenda integra, uel dimidia ibidem uacauerit, poſsit antiquior canonicus in receptionis tempore, non ætatis, præbendam in ordine ſuo uacantem infra decem dies optare, qui ſi optauerit, præbendam eiuſdem optantis aſſequatur primò expectãs; & ſi nõ eſſet expectãs, aſſequatur ille, quẽ D. Archiepiſcopus duxerit in canonicũ. & ad talẽ ordinem promouendũ. Itẽ, quòd Dignitates habentes in ipſa Eccleſia præter illa annexa, quæ habent, habeant præbendam ſecundùm ordinem, quem requirunt ipſæ Dignitates; includantur tamen infra numerum triginta præbendarum dictatum. Item quòd de ipſis præbendis triginta præbenda vna prædicto Domino Archiepiſcopo ratione Theſaurariæ penitus reſeruetur. Item, quòd remaneãt in communi tot poſſeſſiones, vel redditus, quot valeant per annum vntias triginta pro communi menſa, & de ipſis poſſit prouideri canonicis non ordinatis, Acolytis, & ſeruientibus Eccleſiæ ſecundùm conſuetum, &c. *Hæc ex vno inſtrumento Theſauri, plura enim ſunt, in quorum altero ſunt huiuſmodi literæ:* Nouerint Vniuerſi, præſentes literas inſpecturi, quòd Nos Ingerannus, miſeratione diuina, Capuanus Archiepiſcopus, attẽdentes grata obſequio-

rum merita à Dopno Guillelmo de Carpinono noſtræ Capuanæ Eccleſiæ canonico nobis ab hactenus collatorum, teſtamentum per eum conditum, ſeù vltimam voluntatem auctoritate literarum bonæ memoriæ quond. Domini Andreæ Archiepiſcopi Capuani Præceſſoris noſtri ſibi proindè conceſſarum tenore præſentium acceptamus, ratificamus, ac noſtrum ad id præſtantes aſſenſum, ratum, & firmum habentes, quidquid prædictus Dominus Guillelmus in ſua dudum legauit, ſeù diſpoſuit voluntate. Concedentes etiam eidem dopno Guillelmo plenam, & liberam poteſtatem, quod in prædicto ſuo teſtamēto, ſeù vltima voluntate poſſit addere, & minuere, ſeù mutare pro ſuæ arbitrio voluntatis; Iuribus tamen dictæ noſtræ Eccleſiæ, ac cuiuſlibet alterius ſemper ſaluis. In cuius rei teſtimonium præſentes literas meo ſigillo pendenti munitas ſibi ex indę duximus concedendas. Data Neapoli ann. Domini milleſimo trecenteſimo quintodecimo die, tertio decimo Iunij tertiædecimæ Indictionis.

Richardus Archiepiſcopus Capuæ, ex Bulla eiuſdem in Theſauro. *Ita Bellar. Adde* Hic eſt, quem habet Summontius anno 1344. interfuiſſe coronationi Reginæ Ioannæ. Idem ille, quem Capacius patria Salernitanum, cognominatum de Rogerio, ſcribit: nam qui Richardus verè nominabatur, vt ex ſubſcriptionibus ſuis ipſius apparet, ab alijs Rizardus, vel Aliardus nominatus aliquando reperitur.

1350 Fratrer Veſianus, ex inſtrumentis Theſauri. Hic in Rege-
1352 ſto Regum Ludouici, & Ioannæ (vt Chioccarellus exſcripſit) ſcribitur V. familiaris Regum, Campaniæ Maritimæque Rector, & Conſiliarius.

1354 Fratrer Ioannes Archiepiſcopus Capuæ, ex inſtrumen-
1356 to Theſauri. *Ita Bellarm. Adde* Hunc Innocentius Papa VI. legauit in Aquitaniam pro ineunda pace inter Reges Anglorum, & Gallorum. Hunc Ludouicus, & Ioanna Re-

ges

ges legauerunt ad Innocentium Papam. *Bzouius an* 1355. *num.* 33. *&* 36. De hoc plura inſtrumenta Theſauri.

A. Albertinus Nolanus, Epiſcopus Auellinenſis, & Frequentinenſis, Capuani Archiepiſcopatus Adminiſtrator, de ſuæ adminiſtrationis capienda per procuratorem poſſeſſione ſcripſit ad Capitulum menſe Auguſto anno 1357. 1357

Reginaldus Archiepiſcopus Capuæ. De hoc inſtrumenta Theſauri. Hic cũ in antiquis Capuanæ Eccleſiæ Regeſtis comperiſſet Cancellariæ officium inter alias Cathedralis Eccleſiæ conſiſtere Dignitates, Cancellario certam quamdam terram attribuit, decreuitq; vt Cancellarius eſſet ex numero Diaconorum. 1360 1361

Stephanus Archiepiſcopus, ex inſtrumento in Theſauro. *Ita Bellarm. Adde* Hic eſt Stephanus patria Sulmonenſis, cognomine de Sanitate: de eo plura. Inſtrumenta Theſauri, & in Kalendario notatur obitus 5. Idus Iulij 3. Ind. anno 1380. Fecit in Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris in Diœceſi crucem argenteam grandem, in qua ſunt gentilitia ſigna, & verſus ſigna ſunt duo (vt vocat Caſſaneus in Catalogo gloriæ Mundi) intra ſcutum formæ trigonalis tiquettæ, ſeù triangularis tigna argentea in campo Cæruleo, poſita vnum ſuper alterum cum Cruce Archiepiſcopali in ipſo ſummo ſcuto: cernuntur huiuſmodi ſigna in cœmento ſculpta & in domibus propè Eccleſiam ſancti Marci, & in angulo viæ Iudicum in ciuitate. At verò hic Stephanus in literis Eccleſiaſticis vtebatur altero ſigno, quàm gentilitio: habebat illud in ſummo loco imaginem Beatiſsimæ Virginis, cum filio inter brachia: in medio imaginem ſancti Stephani cum libro aperto in manu: in infimo imaginẽ ipſius Archiepiſcopi genuflexi cum mitra in capite, & cruce in manu, ex inſtrumento Theſauri anno 1374. Verſus autem ſculptj in illa cruce ſanctæ Mariæ ſunt. 1366 1380



Digitized by Google



Stephanus Eccleſia Capuæ Prælatus honora
Vt fierem fecit, Lector; Crux cerne decora.
Hunc genuit Sulmo, genitus quo prouidus Actor
Extitit, & noſtri Maſius per ſingula factor:
Tunc anni Dñi currebant mille trecenti,
Et decies ſeptem fuimus quo morte redempti.

De hoc infra Taſſa decimarum.

1381 Loyſius de la Rath. Archiepiſcopus, ex inſtrumento Theſauri ſcripto Caſertæ 1381. die primo Auguſti, cui & ipſe Loyſius manu ſua, & rubro caractere ſubſcripſit. Profecto ex nobiliſſima gẽte de la Rath Catalana primus omnium Neapolim venit celeberrimus Miles Didacus, qui conſtitutus Caſertæ Comes anno 1310. vixit ad annum 1328. genuitq; Franciſcum, qui genuit Antonium. Antonij tertij Comitis, qui ſcribitur obijſſe anno 1381. aut frater, aut filius fuit Loyſius Archiepiſcopus Capuæ. Huius nobiliſſimæ gentis germen traduxit Capuam Iacobus de la Rath, cuius Iacobi Loyſius noſter Archiepiſcopus aut patruus, aut patruus magnus fuit.

1382 Anaſtaſius Archiepiſcopus Capuæ, ſiue Athanaſius, ex
1406 inſtrumento in Theſauro. *Ita Bellarm.* **Adde** Athanaſius verum nomen, de quo plura inſtrumenta Theſauri, & monaſterij ſancti Ioannis. Fuit Athanaſius Vindacius Neapolitanus. Tempore huius Archiepiſcopi caſale Sorbelli erat

in

Digitized by Google

in dominio Eccleſiæ Capuanæ. Huius quoq; tempore, imago illa Sanctiſsimæ Virginis, quæ hodie dicitur *la Madonna della Roſa*, intra maiorem Eccleſiam, cœpit eſſe in magna veneratione, occaſione cuiuſdam miraculi, quod ex actis coram Vicario ſic reddo.

Quidam maledictus filius, miniſter Satan, diuinam non metuens vltionem, dum amiſſa pecunia ludo taſſillorum, furore ductus proiecit taſſillos ad pectus imaginis Virginis glorioſæ Mariæ, depictæ in arcu portæ introitus, quò itur per dictam Eccleſiam ad cortilium eiuſdem Eccleſiæ: & confeſtim ipſis taſſillis non viſis, tunc temporis cecidit ab inde ſcintilla ignis ad formam vnius denarij, & dum vnus cum alijs multis aſtantibus in ſtupore dati ſurgerent, vt viderent quidnam eſſet, dextram ſuam retraxit, eo quod arderet ad modum ſulpharelli, & accepto per ipſum vimine graminis, & cum ipſo vimen dictam ſcintillam reuoluit, & ipſum vimen aliquantulum cœpit ardere, & confeſtim euanuit ab eorum oculis dicta ſcintilla.

*De ſtatu Eccleſiæ noſtræ accipe ex inſtrumẽto ſcripto an.* 1398. Subiuncto per eos in expoſitione prædicta ꝙ præfatus Dominus noſter Rex Ladiſlaus omnes calices, cruces, & vaſa alia argentea tam dictæ Eccleſiæ Capuanæ, quàm aliarum Eccleſiarum ciuitatis Capuæ intendebat, & volebat excipere, & ad ſuas manus reducere, illaq; vendere neceſſariò in ſubſidium ſatisfactionis gagiorum, & ſtipendiorum gentis armigeræ ad ſua ſeruitia militantis pro defenſione ſtatus ſui, Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ſuorum fidelium, & præcipuè dictæ ciuitatis Capuæ, & in exterminium inimicorum rebellium ſuorum, prout de prædictis erat, & eſt in dicta ciuitate publica vox, & fama. Vnde Dominus Archiepiſcopus Capuanus, Capitulum dictæ Eccleſiæ Capuanæ, & clerus Capuanus vnanimiter congregati, & inito conſilio inter eos, deliberauerunt ſe reducere ad

com-

Digitized by Google

compoſitionẽ cum præfato Domino noſtro Rege, & pro huiuſmodi vaſis argenteis, & ſacris dare, & ſoluere duc. de auro centum ad hoc vt huiuſmodi vaſa taliter non perderentur & diuinus cultus in ipſis Eccleſijs non minueretur, nec daretur cauſa, vt à celebratione diuinorum deſiſterent in Eccleſijs ſupradictis: de quibus quidem florenis centum contingunt dictum Capitulum Capuanum vnciæ tres, & plus, vt dixit, & ipſas vncias tres ita in promptu non habere præ manibus ſe dixerunt procuratores nomine quo ſupra, quas ita feſtinanter, & ſubito, ſicut ipſe Rex mandauit, & voluit, potuiſſent ſoluere Regi prædicto, propter quod exhauſti pecunia propter paucitatem fructuum dictæ Eccleſiæ Capuanæ, quos receperunt, & habent, vix ſufficiunt ad vitam eorum commodè ſuſtentandam, & propter varias ſolutiones tam decimæ legatorum in Regno Papalium, quam etiam aliarum ſubuẽtionum ſpiritualium, & temporalium, quas paſsi fuerunt, & quotidie patiuntur, ſicut nota experientia comprobatur, habuerunt certum tractatum cum præfato Abbate Nardo minuendi, & remittendi ſibi, de præfatis tarenis ſex, qui debebantur, & debentur dictæ Cõgregationi pro redditu domorum prædictarum tarenos quinque, dummodo ipſe Abbas Nardus præſentialiter, & manualiter ſolueret eis vncias tres pro cauſa prædicta, & volentes dictum tractatum ducere ad effectum, cogente eos cauſa neceſsitatis prædictæ, &c. Hactenus ex inſtrumento ſcripto an. 1398. die ſecundo menſ. Maij.

1408 Philippus Archiepiſcopus Capuæ; ex tabula Anniuerſa-
1434 riorum. *Ita Bellarm.* *Adde* plura de eo ſunt inſtrumenta Theſauri. Fuit Philippus Barilis Neapolitanus. Hic per tres annos interfuit Concilio Conſtantienſi. Hic auxilio Reginæ Ioannæ recuperauit caſtellum de Vulturno, è manibus quorundam de Sconnito. Hic reparauit palatium Archiepiſcopale,

piſcopale, quod penè dirutum fuerat à rebellibus Reginæ Ioannæ: ab eiſdem rebellibus non ſolum res Eccleſiæ, ſed etiam perſonæ Eccleſiaſticæ, & ipſemet Archiepiſcopus male habiti ſunt: Archiepiſcopus enim ipſe Philippus intruſus fuit in carcerem, & duo Eccleſiaſtici in furcam acti, laqueoq; necati. Huius tempore Eccleſia Capuana multos habebat vaſſallos, quibus in ciuilibus cauſis ius reddebat. Tumultu verò compoſito Philippus à Papa facultatem abſoluendi excommunicatos obtinuit.

Poſt mortem Archiepiſcopi Philippi Barilis, electo tamen Nicolao Acciapacio anno 1435. quiſnam fuerit ſtatus Eccleſiæ Capuanæ, noſce lector ex inſtrumento Theſauri, ſcripto illo anno die 21. Decembris. Verba ſunt. Propter varias, multipliceſq; & diuerſas nouitates, & guerras exortas, & factas huc uſq; & de præſenti etiam vigentes in prouincia Terræ laboris, & præfata ciuitate Capuæ, & eius pertinentijs, & diſtrictu, alijſq; ciuitatibus, terris, caſtris, & locis conuicinis, poſt mortem recolendæ mem. Sereniſſimæ Dominæ Dominæ Ioannæ II. Dei gratia Hungariæ, Ieruſalem, & Siciliæ Reginæ, &c. Status ipſorũ Canonicorũ, & Capituli, & aliorum hominum, & perſonarum, ac ciuiũ, & habitantium dictæ Ciuitatis Capuæ, & locorum prædictorum, in tantum fuit, & eſt collapſus etiam, & depreſſus ex Iuribus, fructibus, terraticis, ex taleis, penſionibus, redditibus, & prouentibus ipſius Maioris Eccleſiæ, per eos ex huiuſmodi nouitatibus, & guerris, ac prauis temporibus minimè habitis, nec perceptis, & qui, & quæ haberi, & percipi non poſſunt, quod ipſi Canonici eorum facultatibus, rebus, & bonis diminuti, & exhauſti ad tãtam ſunt penuriam, & egeſtatem deducti, quod non valentes amplius exindè, ſicut decet, eorum vitam ducere, & alimenta ſuſcipere, cogantur quodãmodo mẽdicare, & ipſam Eccleſiam derelinquere, & à diuinis laudibus, & officijs ceſſare, nec in

Digitized by Google

in eadem Eccleſia diuina amplius celebrare: & quod deterius, his non oſtantibus, non multis iam decurſis diebus dum præfata ciuitas Capuana per hoſtes inimicos, & æmulos, ac rebelles Maieſtatis prædicti noſtri Regis Alphonſi, & præfatæ ciuitatis Capuæ, contra ipſam ciuitatem Capuæ cum eorum gentibus armigeris, equitibus, & peditibus in copioſo numero hoſtiliter caſtrametantes circum circa detineretur obſeſſa, vt ipſa ciuitas in ſuo honorifico ſtatu ſub debita fidelitate præfati Domini Regis illibate, & inconcuſſe conſeruaretur pro defenſione, tuitione, & manutentione ſtatus dicti Domini Regis, & ipſius ciuitatis, & pro ſolutione, & ſatisfactione ſtipendiorum armigerarum gentium, equitum, & peditum, pro defenſione, & conſeruatione dictæ ciuitatis in eadem ciuitate perſiſtentium ex vrgenti neceſsitate per Excellentem, & Magnificum Dominum Donnum Ioannem de Vigintimilijs Militem Comitem Geracij, Regni Siciliæ vltra farum Ammiratum, & citra Regnum Gubernatorem, ac præfatæ ciuitatis Capuę, ſuiq; diſtrictus Vicegerentem, necnon & ciues electos, & deputatos ad regimen, & gubernationem dictæ ciuitatis deliberatum fuit capere, & apprehendere omnia, & ſingula vaſa argentea, aurea, iocalia, & pretioſa ornamenta tam ipſius maioris Eccleſiæ, quàm aliarum Eccleſiarum, monaſteriorum, & piorum locorum eiuſdem ciuitatis Capuæ, & illas, & illa conuertere pro huiuſmodi conſeruatione, & defenſione ciuitatis, & perquiſitis ſcriptis & adnotatis vaſis aureis, argenteis, iocalibus, & pretioſis eiuſdem Eccleſiæ ex cauſa prædicta: præfati Canonici videntes dictam Eccleſiam Paſtore, & defenſore deſtitutam, & ablatio, & abſtractio dictorum vaſorum, iocalium, & ornamentorum de dicta Eccleſia, & eius Theſauro redundare non tam in non modicum detrimentum, & damnum Eccleſiæ memoratæ, ſed ipſorum Canonicorũ vilipenſionẽ, & animarum iactu-

iacturam, & intendentes indemnitati dictæ Eccleſiæ prouidere, à præfato Domino Vicegerente, & Gubernatore, ac Electis obtinuerunt pro ipſis vaſis, iocalibus, & pretioſis dictæ maioris Eccleſ. ſoluere vncias quadraginta vnā, & tarenos viginti de carlenis manualiter, & ipſa vaſa iocalia, & pretioſa in ipſa Eccleſia, & Theſauro ipſius remanerent, pro quibus quidem vncijs quadraginta vna, & tarenis viginti habendis, & ſoluendis, prædicti Canonici, & Capitulum non habentes pecuniam præ manibus, & videntes ſe deſtitutos iuribus, & fructibus eorum prædictis, & ad egeſtatem deductos, vt ſupra diuerſis hominibus, & perſonis illas eis gratioſè mutuantibus, de ipſis vncijs quadraginta vna, & tarenis viginti ſe debitores conſtituerunt, & pro eorum cautela, de diuerſis bonis, & rebus eiuſdem Eccleſiæ de reſtituendis in certis terminis inter eos præfixis pignorationem, ac etiam venditionem fecerunt cum diuerſis pactis, & promiſſionibus inter eos habitis, & ipſam pecuniam ſic mutuo conſequutam, & habitam pro prædictis vaſis iocalibus, & pretioſis præfato Domino Gubernatori Vicegerenti, & Electis pro re, & ex cauſa prædicta ſoluerunt, & tradiderunt: Et quia de huiuſmodi pecunia ab eis mutuata à diuerſis eorum creditoribus multipliciter moleſtantur, & impetuntur, & niſi per eos pecunia mutuo recepta abſq; tarditate, & vlterioris temporis prorogatione reſtituatur, præfata Eccleſia, ipſiq; Canonici, & Capitulum, damnum, & non modicum detrimentum reportarēt; ſuper quibus pro eorum, & ipſius Eccleſiæ indemnitate, nec minus, vt experientia, & egeſtate prædictis non cogantur ipſam Eccleſiam derelinquere, & à diuinis in illa ceſſare, & ne ipſa Eccleſia de deuotione ad ignominiam deducatur cum matura conſilij inter eos habiti deliberatione, præfati Canonici, & Capitulum propoſuerunt de bonis, & rebus dictæ Congregationis ipſius Eccleſiæ, quæ ad præ-

ſeus habet, tenet, & poſſidet, pro ſubuentione, & alimentis ipſorum, & eorum vita ducenda, ac pro ſatisfactione, & extenuatione aliqualis partis dictæ pecuniæ per eos mutuo receptæ vt ſupra, locare concedere &c.

1436 *Eccleſia Capuana vacat, & regitur per Vicarios Capitulares Antonium Mazziotta Decanum, & Antonium de Iuliano Archidiaconum.*

Nicolaus de Acciapacio Surrentinus, Archiepiſcopus
1439 Capuæ, qui creatus fuit Cardinalis ab Eugenio IV. ann.
1447 1439. obijt ſub Nicolao V. ann. 1447. ex libro Pontificum, & Cardinalium ab Alphonſo Ciacconio edito. *Ita Bellarm. Adde* Plura de eo ſunt inſtrumenta Theſauri, è quibus habemus electum fuiſſe ann. 1435. & inter ipſum, & Regem Alfonſum diſſenſionem interceſſiſſe: Rex enim Alfonſus Eccleſiæ Capuanæ manus appoſuit, & an. 1441. & 1442. Regij procuratores Iura Cameræ (vt vocant) Archiepiſcopalis adminiſtrabant: anno autem 1443. Archiepiſcopo ſunt omnia in integrum reſtituta. Hunc ex Archiepiſcopis inuenimus fuiſſe primum S. R. E. Cardinalem, & huius (vt cenſeo) eſt antiqua, & parua quædam effigies in Theſauro hactenus conſeruata, cuius exemplum grandioris formæ poſitum eſt in Academia Raptorum, de qua ego ſic luſi.

Primus hic Antiſtes rubro præſignis amictu
Intrepido vultu: picta tabella docet.
Noſcere fortè cupis? Surrento natus in Vrbe
Gentis Aciapaciæ vir Nicolaus erat.
Qui legit, hunc ergo iuſſis obſiſtere Regum,
Credat, nam vultus pectora firma notat.

Huius Archiepiſcopi tempore inuenimus in Cathedrali fuiſſe Canonicos ſupranumerarios, erant abſq; dubio, qui dicebantur etiam expectantes. Nicolai Cardinalis obitus in Kalendario notatur 4. Non. Aprilis.

Ior-

Digitized by Google

Iordanus Caetanus Archiepiſcopus Capuæ, & Patriarcha Antiochenus ſedit annos quinquaginta:id colligitur in fine Breuiarij veteris Capuani,quod fuit editum anno 44. Præſulatus Iordani, vt ibidem annotatur,fuit enim editum Breuiarium anno Domini 1489. & prædictus Iordanus obijt ann.1496. ex tabula Anniuerſariorum. *Ita Bellarm.* 1447 1497

*Adde* Ex Bullis Iordani,quæ ſunt in Theſauro, apparet ipſum anno 1447. menſe Aprili electum à Nicolao Papa V. & menſe Iunio conſecratum: quare computatis annis Iordani à menſe Aprili anni 1447. quo & Nicolaus deceſſor obijt,& ipſe Iordanus fuit electus, apparet Anno Domini 1489. quando Breuiarium Capuanum editum eſt, menſe Martio, fuiſſe annum Præſulatus Iordani 43. mox complendum:ergo errauit Alemãnus Impreſſor. Iordanus erat frater Honorati Caietani Comitis Fundorum, & cum,illo tempore Cardinales tantùm poſſent creari Patriarchæ,Dominus Papa ſcripſit Honorato Comiti, ſe ex ſpeciali gratia Iordanum creaſſe Patriarcham Antiochenum: literæ ſunt in Theſauro. Fuiſſe virum doctum, & poeticis delectatum oſtendit Epigramma ad ipſum Ioanni Antonij Campani coeui. Plurima, & digna monumenta reliquit,vt inſcriptiones, & gentilitia ſigna proteſtantur: Eccleſiæ alas texit opere teſtudinato, eiuſdemq; longitudinẽ duobus vtrinq; additis arcubus ad orientem extendit: eaq; de cauſa porticum antiquam euertit, & nouam extruxit:nam longè ante Iordani tempora fuiſſe in Atrio lammias, idest porticum quatrilateram teſtudinatam, dictam more Romano paradiſum,apparet ex antiquo Rituali in quo legitur(quolibet die Sabbati mundent,aut mundari faciant ſolum Eccleſiæ omni ſorditie, necnon circum circa ſolum lãmiarum Paradiſi, quæ cum proceſſione quolibet die Dominico ambulantur) Præterea Chorum in media naui renouauit: Theſaurum in Cappella ſancti Paulini à fundamentis erexit,



Digitized by Google

ſacram ſupellectilem plurimum auxit. In antiquo loco Theſauri cappellam ſanctæ Luciæ condidit, & in ipſa cappella ipſe ſibi viuens ſepulchrum præparauit anno 1496. quò etiam anno die 13. Octob. migrauit ad Dominum.

1496 Ioannes Borgia Tit. Sanctæ Mariæ in Via Lata Diac. Cardinalis, Alexandri VI. ex ſorore pronepos, ob. anno 1500. die 17. Ianuarij. De hoc plura inſtrumēta Theſauri, in quibus aliquando dicitur Ioannes de Aragonia, vt in instrumento ann. 1491. ſæpius Borgia, vt in inſtrumento 1496. 24. Decembr. & 1498. 29. Ianuarij, et 22. Decemb.

1500 Ioannes Lopes ab Alexandro VI Archiepiſcopus Capuæ, et Præsbyter Card. factus eſt. ob. anno 1501. Ciacc. lib. Pontif. et Card. *Ita Bellar. Adde* Fuit Valentinus Hiſpanus, Alexandri VI. in minoribus Secretarius, et in Pontificatu Datarius, et primum Epiſcopus Peruſinus, deindè Archiepiſcopus Capuæ, et Presbyter Card. Tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim: de hoc mētio in inſtrumento Theſauri.

1501 Ioannes Baptiſta Ferrarius Card. et Archiepiſcopus Capuæ factus eſt. ob. ann. 1502. *Ita Bellarm. Adde* Fuit Tit. ſancti Cryſogoni Presbyter Cardinalis: eius gentilitia ſigna ſunt ſupra limen maioris portæ Cathedralis Eccleſiæ, ipſe igitur illam parietis faciem nouatam à Iordano, et adhuc rudem pingenda curauit, & ideò ibi eſt imago ſancti Ioannis Baptiſtæ cum imagine ſancti Stephani de hoc eſt mentio in inſtrumento ſancti Ioannis.

1502 Hippolitus Eſtenſis filius Ducis Ferrariæ Diacon. Card. creatus fuit ab Alexandro VI. ann. Domini 1493. deindè Archiepiſcopus Capuæ factus an. 1496. ob. ann. 1520. *Ita Bellarm. Adde* Bellarminus primùm ſcripſerat Hippolitum Iordano proximè ſucceſſiſſe, deindè inuenit Ioannis Lopes, & Io. Baptiſtæ Ferrarij nomina deceſſorum Hippoliti, quibus nos addidimus Borgiam. De hoc plura inſtrumenta Theſauri, in quibus ſemper appellatur Perpetuus

tuus

tinus Adminiſtrator Capuanæ Eccleſiæ.

Frater Nicolaus à Scombergh Germanus Ordinis Prædicatorum Archiepiſcopus Capuæ fuit tempore Clementis VII. apud quem in ſumma ſemper auctoritate fuit, à Paulo III. Cardinalis creatus anno Domini 1535. eodem anno viuendi finem fecit, ſedit ann. 15. ex L. Pontificum, & Card. *Ita Bellarm. Adde* Huius opus eſt Taberculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, vas nempè magnum eburneum: eiuſdem abſentis mandato laqueare in Eccleſia naui factum, quod cum præſens conſpexiſſet, amouere, & aliud longè pulchrius ponere deliberauit, mors tamen præoccupans, impediuit. Hic Parochialem Eccleſiam ſancti Michaelis in Marzaniſo in collegiatam erexit ann. 1520

Thomas Caracciolus Neapolitanus ſucceſſit in Archiepiſcopatu F. Nicolao Cardinali Capuano, & cum ſediſſet annis decem, obijt ann. 1546. *Ita Bellarm. Adde* Hic erat Epiſcopus Triuentinus, & ex reſignatione Cardinalis, factus eſt Archiepiſcopus, & die 3. Iunij ingreſſus eſt Capuã anno 1546. legimus in Theſauro. 1535

Nicolaus Caetanus Romanus Diaconus Card. creatus à Paulo III. ann. 1538. Archiepiſcopus Capuæ factus eſt anno 1546. & cum ſediſſet annis tribus, renunciauit ad fauorem Fabij Arcellæ. *Ita Bellarm.* 1546

Fabius Arcella Neapolitanus Archiepiſcopus Capuæ per renunciationem Nicolai Cardinalis de Sermoneta, ſedit ann. 12. *Ita Bellarm.* 1549

Nicolaus Caetanus Card. de Sermoneta post obitum Fabij Arcellæ iterum ſedit annis 12. & rurſus renunciauit ad fauorem Cæſaris Coſtæ: ob. autem anno 1585. *Ita Bellar. Adde* Nicolaus iterum ſedit quia reſeruato ſibi regreſſu, renunciauerat ad fauorem Arcellæ. Hic ann. 1568. ex præſcripto Concilij Tridentini ſeminarium clericorum inſtituit. In capite quadrageſimæ die 18. Februarij Alumni

colle-

collecti, habitu clericali aſſumpto in Cathedrali conuenientes ad ſeminarij domum admiſſi ſunt. cum N. Cardinalis Capua tranſiens, ſeminarium viſiſſet, illud Pio V. P. M. laudibus commendauit.

1573 Cæſar Coſta Maceratenſis, Archiepiſcopus Capuæ per renunciationem Nicolai Cardinalis de Sermoneta, ſedit annos 29. ab anno 1573. vſque ad ann. 1602. *Ita Bellar. Addo* Hic anno 1573. Dominica Palmarum ſolemniter ingreſſus eſt Capuam per portam Neapolitanam, deducta ſolemni pompa ab Eccleſia ſancti Lazari. Hic obijt Neapoli die 12. Februarij anno 1602. Corpus tranſlatum eſt Capuam ipſa nocte, & in Eccleſia ſancti Lazari extra portam Neapolitanam poſitum, inde ipſo die 13. in ciuitatem illatum eſt funebri pompa. Iuſsit ipſe, vt mortuus eadem via inferretur, qua viuens ingreſſus fuerat. Mirum eſt dictu quantus fuerit totius vrbis concurſus, imò, & Diœceſis. Canonici pro eorum munere exequias curauerunt: ſed altero die rogante Domino Ioanne Felice ab Vua, & funeris impenſas miniſtrante, exequias iterarunt. Inter has iteratas exequias, inuitatus ego ab ipſo Domino Ioanne Felice, funebrem orationem, qualem potui in tanta cordis, & temporis anguſtia componere, hanc breuiſsimam habui.

## Oratio in funere Cæſaris Coſtæ die 14. Februarij *Anno* 1602.

SI Campanorum Eccleſia fuiſti vnquam in luctu, in luctu nunc, & in ſqualore verſeris. Cæſar Coſta deceſſit è vita: an maior cauſa doloris? Paſtorem amiſimus, an grauior poteſt eſſe iactura? Extincto Patri iuſta en ſoluimus; & quod ſpectaculum erit acerbius? Spectaculum miſerrimum, in quo ſpectatur Pater, Paſtor, Præſul amiſſus. Heu quàm grauis, heu quàm iuſta cauſa doloris: Amiſ-

ſus

ſus Præſul: quid ſacerdotes abſque Præſule noſtro valebimus? Paſtor amiſſus; quid fiet ouibus abſque Paſtore? Pater amiſſus: quid erit orphanis? dolendum, & flendum, non quia defunctus Antiſtes; ſed quia mortuus Cæſar, mortuus talis Antiſtes. Id eſt, quod exulcerat animum, hic eſt haud facilè conſolabilis dolor. Erunt qui dignitatem ambiant: erit qui ſuccedat in Cathedram: ſed vbi illa animi
(A) clementia, ſuauitas morum, integritas vitæ, in Cæſaris A
(heu) extincti Cæſaris animo collocata? Vbi (B) grauitas B
illa corporis pulchritudo, & aliæ dotes, quas Natura mater abundè donauerat? Vbi fama, celebre nomen; & alia quæ non Fortuna, ſed Deo Duce, ſuo adhibito labore, & induſtria comparauerat? Sed quid ago? me miſerum! itane breuiter tanti viri laudes perſtringam? itanè leuiter tangam? imò cohibete fletum oculi mei, vt lingua Cæſaris
ope (C) erudita parumper ſuo fungatur officio. Quid verò C
enarrem? factane ſingula recenſenda? Vitanè texenda hiſtoria eſt? Quin, plurimum fiet, ſi fletu non interrupta oratio, integritatem, doctrinam, & charitatem commemorabit.

Maxima fuit integritas, qua fulſit: doctrina, qua polluit; charitas, qua ouibus profuit. Integritatem nomen eius proprium exprimebat: Cæſar à Cæſarie dictus, cum in caput ipſius nouacula non aſcenderit, ſed Nazaræus fuerit, id eſt Domino conſecratus. Olim qui erant Domino conſecrati, creſcente Cæſarie, capillis viuebant intonſis. Non ob aliud (credo) niſi vt ſignificaretur, diuino cultui mancipandos, ſupra quorum caput, id eſt animum, nouacula, id eſt iniquitas non aſcendit. Quia talis futurus erat Archiepiſcopus noſter, voluit Deus, vt puer à tam pulchra virtutum ſpiritali Cæſarie, Cæſar appellaretur. O præclarum Cæſaris nomen, ò vitam Cæſaris integram! At neque ſolùm in nomine expreſſa fuit integritas, ſed in cognomine, in inſignibus

quaſi

Digitized by Google

quaſi ſculpata charitas ante oculos ponitur. Quid amabo Coſta ſignificat? quid niſi ſponſam? quid niſi Capuanam Eccleſiam? Eua prima Parens ex Adæ Coſta: Adæ Coſta Adæ ſponſa: Cæſaris ſponſa Cæſaris Coſta: Manus Coſtam arctiſsimè ſtringit, quia Cæſaris ſponſi animus, Eccleſiæ noſtræ erat charitatis glutino colligatus. De eius vero
D doctrina quid dicam? Inſpiciantur editi (D) Commentarij, apparebit in iure Pontificio, & Cæſareo ſuperiorem habuiſſe nullum. Reuocentur in mentem, quas aliquando
E habuit orationes, & (E) homilias, apparebit quam fuerit Orator eximius. Conſiderentur noſtræ veteris Capuæ piſta mœnia, turres, arcus, Amphiteatrum, apparebit quantum fuerit in hiſtoriarum cognitione verſatus. Veniant in mentem vel priuati ſermones, apparebit quantum fuerit in Hieronymi, Baſilij, aliorumq; Patrum lectione continuus. O virum integritate, doctrina, charitate perpetuò memorandum. Doctrina profectò laudabitur ſemper, cuius erit teſtimonium bibliotheca, licèt imperfecta, perpetuum. Illa doctrina laudabitur, quam in Romano gymnaſio publicè cum laude, & admiratione omnium demonſtrauit: Illa doctrina, quam poſt ipſum docti Scriptores admirantur, neque ſemel admirans approbauit doctor ille Vrbi, &
F Orbi notiſsimus Martinus Azplicueta (F) Nauarrus. Illa doctrina, propter quam fuit olim deſtinatus vnà cum alijs
G (doctiſsimis item) ad reſtituendum (G) Gratiani volumen
H & modo ad formandum ſeptimum (H) qui expectatur, Iuris Pontificij librum. Perpetuò quoq; memorabitur eius
I integritas: Integritas illa, qua Cardinali (I) Borromeo, & Gregorio tertiodecimo probatus, ad tantum honoris venerat culmen. Integritas illa, qua probatus, Sixto Quinto Venetijs per triennium Apoſtolici Nuncij geſsit munus: Integritas illa, quam vel inuidi prædicabant. Perpetuò me-
K morabitur charitas: & memorabunt (K) pauperes Eccleſia-

ſtico

Digitized by Google

ſtico patrimonio,& palam,& clam ſuſtentati, quiq; ſunt in ſuo Gerontocomio (L) ſuſtentandi: Memorabit hæc Cathedralis Eccleſia, pro cuius(M)patrimonio conſeruando, vel perdito recuperando, ſumptui (N)non pepercit. Memorabit ciuitas, & Diœceſis, quibus, etſi nunquam (O) defuit in ijs,quæ ad ſalutem pertinent animarum; moriens tamen ita diſpoſuit, ita conſuluit, vt nunquam ſint ſacerdotes idonei defuturi,qui fidei præſertim rudimenta pueros doceant. O charitate animum plenum, imò pleniſſimum. O Cæſaris memoriam nulla vnquam obliuione delendam. Viuet perpetuò Cæſaris nomen,viuet in omnium ore:viuet, & viuat vtinam abſq; dolore. Abſq; dolore fiet cõmemoratio Cæſarei nominis,ſi Cæſar nobis reſtituetur. Reſtitue Cæſarẽ reſtitue Cæſarẽ.Hinc te appello Clemens Maxime Pontifex: tuũ eſt viduatæ Eccleſiæ prouidere. Tu reſtitue Cæſarem: Tu reſtitue Cæſarẽ.Sed quid(Auditores)verbum hoc ſonat? quid eſt reſtitue Cæſarem? an opto,vt à mortuis excitetur? non ita ſum inuidus,vt è loco ſalutis, in quo poſitum confidimus, reuocari velim. Opto quidem reſtituatur Antiſtes Cæſari ſimilis. Antiſtes non Draco,non Vulpes: non erat draco Cæſar, quia non (P) vorabat; non erat Vulpes, quia non fallebat. Loquat ingenuè; non Tyrannus, non erat hypochrita. Vtinam aliquis talis ſuccedat in Cathedram:hoc optandum, hoc precibus à Deo petendum. Interim verò lugeat quiſq; quia Cæſar in illa Cathedra ſolitus aſſidere, ita eſt diſtentus in feretro: qui ſupra illud altare preces,& ſacrificium offerebat,ore clauſo, clauſis oculis iacet immobilis. Qui ſua præſentia hanc domum Domini, & ciuitatem illuſtrabat, obſcuro tumulo clauſus,frigidò ſaxo tegetur, Lugeant filij Patrem, oues Paſtorem, Sacerdotes Antiſtitem,lugeat populus, lugeat clerus. Luge ſponſum tuum, Campanorum Eccleſia,& donec alter, qui conſoletur (Q) adueniat, vi-

L M N O P Q



Digitized by Google

duitatis induta veſtibus, dolens, lachrymans, plorans omne gaudium aſperneris. *Hactenus oratiuncula.*

## NOTATIONES.

*Quoniam dixi coram auditoribus, qui ætate me ferè omnes antecedebant, & Cæſarem Coſtam optimè nouerant; ideo tunc quæ ſatis ad commouendum animos arbitrabar, leuiter attigi. Nunc verò quoniam prodiit liber de Vita Illuſtriſſimi Cardinalis Bellarmini, Italicè ſcriptus, in quo Cæſaris Coſtæ nomen, etſi non expreſsè, carpitur tamen, ideo pro veritate cogor iunioribus, & poſteris quæ ſiam exponere.*

A Animi clementia. *Innumera poſſem de eius clementia afferre exempla: narrabo quæ mihi ſcribenti nunc occurrunt. Aliquando clericus à Vicario iuſtè damnatus ad remigandum, eductus è fouea (ſecretiori carcere) ante Cæſarem ambulantem in Aula tranſiturus erat: Cæſar timens nè aſpectu vincti miſerabilis commoueretur, & iuſtitiæ vim inferret, intrauit in cubiculum, & clauſit oſtium. Ita vir clemens non confidebat poſſe intueri vinctum poſcentem miſericordiam, & non miſereri. Altera vice, cùm reus, qui, exigente iuſtitia, torquendus erat, trocleæ ſuſpendi non poſſet, accitus eſt Carnifex ab vrbe Neapoli, qui funiculis manus, & pedes ſcitè abſque perpetuæ læſionis periculo, torqueret. Ambulabat Cæſar in Aula parua, vidit ab ingreſſu aulæ maioris venientem hominem ignotum, interrogauit de illo, reſponſum eſt eſſe Carnificem: Tunc vno, eodemq; momento, & veſtem ſibi in faciem adduxit, & terga vertit, & altiori quadam voce dixit, Carnifex abeat, abeat: ſoluatur illi merces, & abeat. Ille ergo abſque vlla mora è palatio abductus, parem mercedem accepit, & reo neque viſo, diſceſſit. Die quodam feſto peracta miſſa, domum reuerſus, inuenit*

propè

*propè ſchalas ſuæ manſionis virum, qui porrecto ſupplici libello exponebat; Vicarium præbere ſe difficilem in exequendo mandato gratiæ, quam dominatio ſua conceſſerat, tunc aliquantulum ſuccenſus, reuertere (inquit) ad Vicarium, dic dixiſſe me illas eſſe ſchalas iuſtitiæ, has verò gratiæ. Illos tantùm Cæſaris clementia ferre non poterat, qui ipſi ſeſe opponere, & veluti cum æquali pugnare voluiſſent.*

Grauitas. *Grauitatem Cæſar domi foriſq; maximam ſemper oſtendit, neque ſolùm quando cum ſubditis agebat, ſed & quando cũ æqualibus, & maioribus quoque. Referam quod vnus ex antiquioribus famulis eius Pompeius Angelonus mihi narrauit. Cum Cardinalis Granuela Prorex Neapolitanus conuiuium multis Titulatis præparaſſet, inuitauit & Cæſarem qui tum Neapolim ad ſalutandum Proregem ipſum venerat. Animaduertit Cæſar Neapolitanos velle debitum Archiepiſcopo Capuano locum in ſedendo præripere: modeſtè diſcedendi licentiam petit; cauſam conijciat Prorex, licentiam negat, & ſibi proximo loco ſedere iubet: mutuis dicterijs iocantur Proceres, Cæſar verò tantam in illo accubitu grauitatem oſtendit, vt Proceres dicteriorum obliti, & ipſe Cardinalis Prorex ab vno Cæſaris vultu penderent; & à menſa ſurgentem multis quiſque reuerentiæ ſignis proſequeretur.* B

Ope erudita. *Cum in ſeminario Capuano vixiſſem à die quarta Nouembris anni 1587. ad diem 23. Iunij 1592. voluit Cæſar, vt ipſe decem & ſeptem annorum adoleſcentulus ſuo ſumptu Romæ in Romano Collegio humanitatis ſtudia reformarem: ideoque à Nouembri 1592. ad Iunium vſq; Romæ in claſſe humanitatis eruditiſſimo, & diligentiſſimo Patri Bernardo de Angelis Neapolitano operam dedi.* C

Commentaria. *Scripſit Cæſar Variarum Ambiguitatum Iuris libros tres, doctiſſimorum iudicio doctiſſimos.*

Homilias. *Cæſar primis annis accepti Præſulatus, ad po-* D



Digitized by Google

*pulum in Eccleſia publicè concionabatur tàm eruditè, tàm piè, tàm ardenter, vt lachrymas ab auditorum oculis nonnunquam educeret. Baldaſſar Gyptius Presbyter ſancti Rufi, illius ſpeciatim multarum lachrymarum recordabatur homiliæ, in qua Cæſar ſanctæ Felicitatis, & filiorum martyria commemorauerat. Ioannes Baptiſta Attendolus noſtro ſæculo vir omni genere linguarum, & diſciplinarnm inſignis, in nuncupatoria quadã epiſtola de Cæſaris homilijs, & orationibus, & facundia teſtimoniũ perhibet. Ego illum ſenio confectum audiui ad quaſdam nouellas moniales cum iuuenili feruore concionantem ab altari.*

F Nauarrus. *Doctor hic illuſtriſſimus & in Manuali confeſſariorum, & in propugnaculo Apologiæ, de noſtro Cæſare mentionem facit: vno in loco verba ſunt. cap. 17. num. 195.* Cuius rei me iſthæc recognoſcentem admonuit præcellens Doctor Cæſar Coſta, non ſolùm vtriuſq; iuris peritia, ſed hiſtoriæ, atq, politioris literaturæ cognitione præclarus, nuper à Sanctiſſ. Domino noſtro Gregorio XIII. in Referendariorum numerum cooptatus, cum antea fuiſſet ſapientiæ Romanæ Gymnaſta percelebris, & poſt hæc ſcripta, fereq; dimidium huius operis typis excuſſum, antequam hic locus excuderetur, ad ampliſſimum ampliſſimæ Capuæ, Vrbis olim æmulæ, ab eodem Gregorio, vt eruditiſſimo, ita in eruditiſſimos quoſq; propenſiſſimo, Archiepiſcopatum euectus, &c. *Altero in loco num. 4. verba ſunt:* Addam tamen hic, quæ audio rei tam ſanctæ, tamq; neceſſariæ perſuadendæ profutura: Alterum quod Reuerendiſsimus Campanorum Archiepiſcopus Cæſtar Coſta, vir omnigena eruditione, & virtute clariſsimus lib. 1. Ambiguitatum Iuris cap. 40. in hæc verba ſcribit. Eccleſiaſticos Prælatos vehementer errare, &c.

G Gratiani. *In Bibliotecha, quam, morte intercedente, perficere non valuit, eſt parum Decreti volumen, cum ſcriptis*

ab

*ab ipſo breuibus Apoſtillis, quæ cum notationibus, & correctionibus impreſſis cum ipſo Decreto maximè conueniunt: ad emendationem Decreti Cæſar fuit electus à Pio IV. vt ipſe teſtatur in epiſtola ad Gregor. XIII.*

Septimum. *Clemente Octauo Pontifice Maximo, de ſeptimo Decretalium edendo tractabatur: compilatus eſt liber, &, vt facilè doctiſſimis quibuſq; tradi poſſet ad examinandum, nonnulli Codices impreſſi fuerunt: miſſus eſt Codex ad Cæſarem, ille mox notationes, & gloſſulas addidit.* H

Borromeo. *Qui nunc ſanctus Carolus, diuino actus ſpiritu, cum ſe cunctis Abbatijs abdicaret, Abbatiam ſancti Vincentij de Vulturno in Cæſarem tranſtulit; Cæſar verò illa in Abbatia reſidens aliquando, inter alia pij regiminis opera. Seminario inſtituto, clericos erudiri curabat. Borromeus autem Cæſaris virtutem expertus erat tum Romæ pluribus in negotijs, tum Mediolani vſus illius opera in ſynodo celebranda. ex Franc. de Hor can.* I

Pauperes. *Cæſar fuit à principio Archiepiſcopus pauper, percipiens ex fructibus Eccleſiæ ducatos mille tantùm: ab anno autem 1585. quo Dominus Cardinalis de Sermoneta obijt, integros redditus acquiſiuit, quos in ornatum Eccleſiæ, in pauperum eelemoſynas, in Eccleſiaſtici patrimonij tuitionem ſemper effudit. Quotidie ſingulis quibuſq; pauperibus, qui ad palatium hora prandij veniebant, manu œconomi ſingulos ſemiſſes erogabat: E prandio non ſurgebat, niſi panem cum obſonio alicui pauperi, præſertim infirmo, ſua manu deſtinaſſet: ego illa ipſa æſtate, qua me abduxit à Seminario, aſſiſtens illi Neapoli, duabus mulierculis pauperibus, & infirmis eleemoſynā: nam ſua manu deſtinati panis, & obſonij quotidie deferebam. In Cœna Domini peracto Mandato plurimis & pecuniam, & veſtimenta diſtribuebat, & quodam anno ex facta elargitione ſic accenſus ibat, vt in egreſſu templi obuio pauperi anulum digiti ſui donauerit.* K

Sole-

Digitized by Google

*Solebat inter annum domum totam euertere, & obſeruare quæ ſupellex eſſet inutilis, quæue renouanda, & quantamcumq; talem inueniſſet, erogare: Solebat interdum, at non ſine iucunda grauitate, tritas veſtes à famulis emere, & carò, & ita famulum ſimul, & pauperem exhilarabat. Erant aliquot Domus honeſtæ, nobiles, in egeſtate poſitæ, quarum ſpecialem gerebat curam, ſecretiſq; eelemoſynis adiuuabat, adeo vt puellæ dotem pro monachatu ſoluerit, ſoluturus & alteri, ſi illa in monaſterium ingredi voluiſſet: erat verò dos ducentorum ducatorum. Illa æſtate Neapoli cuſtodiente me pecuniam, Virgini mantellatæ pauperi, & optimæ famæ decem ducatos, & alteri pauperi, quem Regularis commendauerat, duos, ſecretò largitus eſt. Noſce nunc quid Paſtor cum ouibus ageret.*

L Gerontocomio. *In pago Sanctæ Mariæ Maioris Gerontocomium, ideſt hoſpitale ſenum fecit: & qui ſenum ſuſtentationi ſuperſunt fructus, à ſucceſſoribus monaſterio Ieſu applicantur.*

M Patrimonio. *Zelum Cæſaris in conſeruandis rebus Eccleſiæ noſce hinc. Virum nobilem ſibi ſemper familiariſſimum, qui (fortaſſe familiaritate confiſus) e pauimento templi verſicolores quoſdam lapides amouerat; omni familiaritatis ratione poſtpoſita, excommunicatione percuſſit, & donec ſatisfecit, nec Eccleſiæ, nec ſibi reconciliauit.*

N Sumptus. *Si feudum Annonis, & Rocca ſancti Nicolai loqui poſſent, ingentes enumerarent. Vnum nolo præterire: Cum de Rocca ſancti Nicolai cum Principe Caſertano diſceptaret, quidam homines è Caſa noua in Rocca, vt in re Capuanæ Eccleſiæ, peragebant opus: à Caſertano Principe comprehenſi, miſſi Neapolim, & detruſi ſunt in carcerem. Perſeuerantes illi in teſtimonio pro Eccleſiæ iuribus, & in carcere per menſes aliquot perſeuerarunt. Cæſar illos in carcere ſuſtentauit, familias eorum pecunia adiuuit, & tandem*

cum

Digitized by Google

*cum gloria eductos è carcere, veſtimentis, & pecunia donatos, remiſit ad propria. Si Acta Concilij Neapolitani eſſent in promptu, appareret quot lites pro iuribus Eccleſiæ ſuæ ſuſceperit.*

Nunquam defuit. *Diximus Cæſarem nunquam defuiſſe in iis, quæ pertinent ad ſalutem ouium ſuarum; videamus quam verè: Ipſe Monialium, & Seminarij zelo maximo tenebatur. Sunt Capuæ moniales, quæ regularem obſeruantiam nulli ex Monaſterijs Italiæ inuidere poſſunt: ſed (abſit verbo inuidia) ſupra fundamenta, quæ Cæſar poſuit, ædificij ſtructura tota ſeſe tollit. Monaſterium N. ob eſtremam pauperiem in obſeruantia vitæ communis deficit: ſed profectò non deficeret ſi à Cæſaris decreto non receſſiſſent. Statuerat ille certum numerum, decreuerat, vt donec congregatio ad certum illum numerum redacta fuiſſet, nulla ampliùs in monaſterium admitteretur: viſum eſt alijs bonum conſilium auctâ dote nouellas admittere: ſed acta contra prudentiſſimi viri decretum exitus probauit.*

Seminario. *Splendorum illum, in quo ab Illuſtriſſimo Cardinali de Sermoneta erectum inuenit, omni cuſtodia illibatum conſeruauit. Regulam præſcripſit adeo dignam, vt Ludouicus Torres Archiepiſcopus Montiſregalis in Sicilia, deinde S.R.E. Cardinalis, per literas Cæſari ſignificarit, ſe in condendis pro ſeminario ſuo ſtatutis, præcipuè vſum editis ab ipſo Cæſare. Illius Archiepiſcopi literæ, ſtatutaq; ſeruantur in Bibliotheca. Cæſar hac in re vſus eſt opera Patris Iulij Mancinelli è Societate Ieſu, ſui ex ſorore Nepotis: ſæpè illum patrem accibat, & per aliquot menſes ſeminario regendo præficiebat. Mihi quoq; contigit viuere in ſeminario, illo Rectore, quando iubente Cæſare, & Regulam ſcripſit, & librum de Modeſtia clericorum, qui non eſt editus: quo etiam tempore profuit Seminario, conſuetudo (etſi breuis) Sertorij Caputi Conſentini, & Octauij de Angelis Neapolitani.*

Digitized by Google

tant. Erant illi nouitij à Prouinciali, Patri Iulio miſſi ad commanendum. Poſſem infinita recenſere: ſed hoc ſatis.

Ipſe ſingulis annis mittebat, qui feſtinanter abſq; Parochorum ſumptu Eccleſias perluſtraret, notaretq; an Viſitationis ſuæ decreta quiſq; adimpleſſet. Per ſe ipſum verò ſaltem vnoquoq; triennio viſitabat; & tunc doctos, prudenteſq; ſecum aſſumebat: aſſumpſit primis annis Agapitum Bellominum Caſertanum Epiſcopum, qui Concilio Tridentino interfuerat: poſtea verò Fabium Marantam Epiſcopum Caluenſem ſæpèſæpius.

Inſtabat vt diebus Dominicis, & ſolemnioribus Rectores Eccleſiarum inter Miſſam Euangelium explicarent: ideo quidam ex antiquis presbyteris vnus, quò Cæſari ſatisfaceret, homilias Ludouici Pictorij inter Miſſam, e libro ipſo recitabat.

Vrgebat, vt Doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ſingulis quibuſq; Dominicis, & in Cathedrali, & in Parochijs explicata, pueri, atq; puellæ memoriæ commendarent. Ideo quando primum Venetijs Capuam redijt, ſupra quingentos libellos Doctrinæ Chriſtianæ à Patre Ledeſma ſcriptæ, imprimi voluit, quibus Ciuitatem, & Diœceſim impleuit vniuerſam: Ad hoc opus ſæpiſſimè Patres Ieſuitas aduocabat: aduocauit vna vice Theophilum, & Conſtantinum Barnabitas, & non ſemel Sacerdotem ſecularem Neapolitanum Alphonſum Galeotum: Magiſtros ſcholæ, quos in hoc opere ſolicitos nouerat, amabat in primis: & propterea Sacerdotem exterum ad curatam Eccleſiam, & ad Canoniam vſq; promouit. Inter prima Cæſaris oblectamenta erat audire pueros recitantes Dialogum Doctrinæ Chriſtianæ: ideò ſæpèſæpius clericos Seminarij accibat ad palatium, & dialogum ipſum Doctrinæ in circulo recitari iubebat: ideo cum in vna Dominica ad pagum ſancti Priſci diuertiſſet, & circa meridiem audiuiſſet campanæ ſonum, interrogauit de ſigno; cumq; reſponſum

fuiſſet

Digitized by Google

fuiſſet conuocari pueros, puellaſue ad doctrinam, mox inquit, vade ad Domnum Alexandrum (erat is Rector) dic iubere me, vt huc pueros, & puellas adducat: ita factum, & poſtquam aliquot puellas parumper audiuit, iuſſit duas grandiores totum Dialogum à capite recitare: dataq; benedictione remiſit. Pari diligentia poſt Domnum Alexandrum Vettam, Decius Maiorellus, & Lucas Piſanus Rectores incubuerunt, & cæteri ſinguli in Eccleſijs proprijs, & ſpeciatim ego teſtari poſſum de Octauio Cypriano Caſapulli, de Luca Oldoaſio Staffili, de Ioanne Baptiſta Piccolella Curtium. Tandem legatū pro magiſtris Doctrinæ Chriſtianæ in ſuo teſtamento ſcripſit. Legauit ducatos mille & quingētos in emptionem rei ſtabilis, & frugiferæ conuertendos: mille emptus eſt optimus fundus ad Maceratam: reliquis perpetuus cenſus annuorum viginti quatuor. Integro legato fruuntur optimi Patres ſanctiſſimæ Societatis Ieſu. Quibus etiam in ſubſidium noui Collegij in plures vices donati fuerunt quadrigenti quinquaginta, qui ex annuis fructibus legati in vnum coacti extabant, quò nunc Patres Ieſuitæ volente Capitulo fruuntur.

Cæſar in Cathedrali pœnitentiarium præbendatum inſtituit, cui in foro conſcientiæ plenam concedebat facultatem. Primus Pœnitentiarius fuit Domnus Benedictus de Dominico Canonicus ſubdiaconus: cuius deinde canonicatus, & præbenda cum annexa pœnitentiaria in canonicatum presbyteralem euenctus eſt à Cardinali Bellarmino: poſt Benedictum obtinuit Ioann. Dom. Riccius Sacræ Theologiæ Magiſt. & I. V. D. Verbi diuini concionator inſignis, qui viuens canonicatui ceſſit: ſed ante præbendam Theologalem inſtitutā curabat, vt Marcus Antonius Laurus Rector Eccleſiæ omniū Sanctorū optimus Rhetor, Philoſophus laureatus, & Theologiæ moralis benè doctus, Magiſter Semi-

*narij, lectionem caſuum conſcientiæ haberet in ipſa Cathedrali, vnaquaq; Dominica.*

*Vnum quæri poteſt, Cur Cæſar in Cathedrali non inſtituerit ex præcepto Tridentini Canonicos maiori ex parte eſſe presbyteros? Accipe, quod Primicerius Perrottus coram Domino Cardinali Bellarmino, me præſente, faſſus eſt. Non defuerunt Vicarij, qui Cæſari hoc vt faceret perſuadere voluerunt: at reſpondebat ille, eſſe huiuſmodi rem, quæ in Capuana Eccleſia ſine inextricabilibus difficultatibus perfici non poſſet: Niſi ſcirē verba hæc fuiſſe viri prudentis, & rerum vſu peritiſſimi, dicerem fuiſſe verba prophetæ: lapſi ſunt viginti, & amplius anni, nec difficultates omninò ſunt extricatæ. Illuſtriſſimus Domnus Aloyſius Caetanus Patriarcha, nunc S. R. E. Cardinalis, coactus eſt à Cathedrali ſubdiconorum nomen tollere, & Canonicos omnes non presbyteros* Diaconos *appellare: & vtinam difficultatum ſemina videremus extincta.*

P Non vorabat. *Cæſar cuiq; ſuum ius conſeruabat integrum: ideò in cauſis appellationum monebat Vicarium, vt maxima cum circunſpectione, & cautela ſeſe gereret: alioquin, dicebat, Epiſcopi in ſuis Eccleſijs nihili eſſent: ideo* De*cano, Archidiacono,* P*rimicerijs, Archiepresbyteris pro eorum officijs debitam ab alijs reuerentiam non imminuit.*

*Cæſar ſuarum rerum elargitor, alienarum non erat appetitor pro conſtruenda Cappella Sanctiſsimo Sacramento in Cathedrali, quærebat columnas verſicolores: audiuit eſſe in cappella, quadam Sanctæ Mariæ Maioris Patronum acciri iuſsit, & materiam Cappellæ inutilem, ſibi profuturam placido vultu petijt: ille libentiſsimè ceſsit: Cæſar inſpecta illius animi promptitudine, ego (inquit) poteram meo iure, capere; quia verò tam promptum te te mihi præbuiſti, volo ſupra dignam æſtimationem pretium habeas.*

*Munera à ſubditis accipiebat, ſed in muneribus ſuorum*

*erga*

Digitized by Google

*erga ſe beneuolentia tantùm oblectabatur. En Octauius Cyprianus, nullo tunc beneficio Eccleſiaſtico dotatus, in capite anni pro more volens offerre munus, obtulit duos Gallinaceos indianos: Tunc Cæſar; cur ſic egeſti? pauper es, exceſsiſti modum, nè ſic facias altera vice: nè verò contriſtaret offerentem, accipit oblatum.*

Alter qui conſoletur. *Venit optimus Conſolator Dominus Cardinalis Bellarminus, Cæſare tum dignitate, tum regulari inſtituto, & erga S. R. E. meritis, opinioneq; ſanctitatis certè maior. De hac ſucceſsione loquitur Card. Baron. tom.* 10. *anno* 968. *verba ſunt.*

His verò diebus, quibus hæc ſcribimus (quod non tacendum) maximum acceſsit eidem Eccleſiæ ornamentum, dum vacante eadem ſede, obitu Cæſaris Coſtæ Archiepiſcopi, mei in iure ciuili publicè interpretando olim in Vrbe præceptoris; delectus eſt à Sanctiſsimo Domino noſtro Clemente Papa VIII. ad nobiliſsimæ Eccleſiæ regimen vir doctiſsimus, ac religioſiſsimus, Robertus Bellarminus S. R. E. Cardinalis, virtutum meritis toto Chriſtiano Orbi conſpicuus, exoptatus votis, collaudatus ſuffragijs, atque exceptus plauſu, illud ſacro Collegio conclamante, DIGNVS DIGNAE. *Aduentu igitur tanti viri exhilarata Eccleſia Capuana, mærorem depoſuit, ſed Cæſarem collaudare non deſijt: Illuſtriſsimus autem Cardinalis malè perſuaſus venerat Capuam, credebat inuenturum ſe in clero peſsimos mores, maximam ignorantiam, & Eccleſiarum deſtitutionem, quaſi Capua triginta annos paſtore caruiſſet: at rem omninò aliter ſe habentem inuenit, & Cæſaris memoriam propterea veneratus eſt maximè. Inuenit Eccleſias omnes benè cultas, clerum benè compoſitum & parochos omnes mediocriter, plurimos verò pluſquam mediocriter doctos. Voluit experiri quanta literatura eſſet in Parochis, & collationis caſuum conſcientiæ in palatio coram Dominatione*



Digitized by Google

ſua iuſsit: audiuit in prima collatione de propoſitis argumentis magiſtrorum modo differentes: gauiſus eſt valdè, & in familiari colloquio & mihi, & alijs faſſus eſt ſeſe rem longè aliter inueniſſe, quàm Romæ audierat. Hæc omnia veriſsima ſunt, notiſsima ſunt, & tamen (proh Deum immortalem) reperiuntur qui optima tempora calumniantur.

Adhuc extra occaſionem ab oratiuncula nobis oblatam, ſuperſunt nonnulla, quibus reſpondeatur. Carpitur tempus Cæſarianum, quaſi tunc impunè licuiſſet deambulare, & negotiari in Eccleſia Cathedrali ſicut in foro, & gerulis, ſeù baiulis oneratis humeris per illam tranſire: At verò Cæſar adeo abhorrebat deambulationes, & negotiationes in templo, vt nè colloquutiones & nè quæſtus eleemoſynarum quidem ferret. In feſto quodam ſolemni veſperas celebrabat, e cathedra nobiles quoſdam colloquentes vidit, magiſtro Cærimoniarum mandauit, vt duos Seminarij clericos mitteret, qui colloquentes illos nomine ſuo monerent, & quotquot alios in Eccleſia colloquentes reperiſſent. Quid cum duobus cuiuſdam Fratriæ quæſtoribus egerit, taceo: dico tamen in Quadrageſima iuſſu Cæſaris dum concio habebatur, binos Seminarij clericos, ſingulis Eccleſiæ portis deſtinatos, qui tranſeuntes arcerent, puerosq; tumultuantes compeſcerent: neq; baiuli, ſeù geruli vulgò facchini humeris oneratis, ſed quidam pueri obſoniorum portiores per Eccleſiam tranſibant, quorum tranſitus in ſepto choro pſallentibus Canonicis impedimento non erat. Carpitur & tempus idem, quaſi tunc in Cathedrali Cærimoniarum obſeruantia non viguiſſet: At verò Cæſar ſenio confectus, & vix anno diſtans ab obitu, Cærimoniale Romanum à Papa Clemente VIII. euulgatum vidit, quare vſum eius in Eccleſiam ſuam introducere non valuit. Cæterum Eccleſia Capuana habebat Cæremonias ſuas proprias, quibus vtebatur, & omni pietate, ac ſolicitudine cuſtodiebat: ex quo factum eſt, vt

ali-

Digitized by Google

aliquando orta inter Canonicos propter cæremonias contentione, vocaretur ad illas vel reformandas, vel augendas Arduinus Biandra, qui Neapoli Vicariatum geſſerat, quiq; ſacrorum rituum apprimè peritus habebatur. Quid amplius? illo tempore cum ſacrorum ordinum dedecore ſacris initiati inferiora, & vilia miniſteria exercebant in Cathedrali: at verò Cæſar nullum conſtitutum in ſacris aſſumebat, vt inferiora ( abſit vt dicam vilia) exerceret munia; ſed vt prudens paterfamilias, ſeruum ſuper pauca fidelem, ſupra multa conſtituebat: Quos in inferioribus miniſterijs pios, & fideles experiebatur, libenter fouebat, in ſchola ſeminari doceri concedebat, ſacris initiabat, & presbyteros ordinatos de honeſtiori ſeruitio prouiſos dimittebat. Poſtremo carpitur Cæſar, quaſi Cappellam Sancti Pauli ſitam in palatio, conuerterit in cellam penariam: At in illa non erant vaſa olei, non aceruì caſeorum, non perticæ ſalitarum carnium, non id genus alia, quæ mente concipimus quando penuariæ cellæ nomen audimus: erant ibi ſcrinia pauca librorum plena, ſcrinium cereorum ad vſum Eccleſiæ, tabula cum ornamentis Eccleſiaſticis, & cum veſtimentis communibus ipſius: exculenti nihil niſi aliquid confectum e ſaccharo: hæc erat cella penaria: Ego plane pium ſcriptorem vehementer obſeruo, & maximè veneror, ſed æque doleo pietatem eius falſa calumniantium relatione deceptam: ego abuſus, quos Card. Bellarminus inuenit, non probo, nec excuſo; ſed improbo inuidos, & accuſo maleuolos, qui non cogitantes quantam ſiluam abuſuum ſecuri Sacri Concilij Trid. exciderit Cæſar, leuia quædam exagerant, amplificant, & quaſi mortifera peccata proponunt. Accedat quod Cæſariana tempora vindicet à calumniis, omni exceptione maius Domini Cardinalis Bellar. teſtimonium, publicum Epitaphium dico, ab ipſo Domino Cardinali Cæſari poſitum.



Digitized by Google

CAESARI COSTA CAMP. Præſuli, cuius ſpectata virtus in regenda Eccleſia Ann. ferè XXX. Mœrore funeris, ac omnium ciuium lachrymis indicata eſt. Rob. Tit. S. Mariæ in via Presbyt. Card. eius ſucceſſor, hoc ſep. poſ. an. MDCIII. obijt Prid. Id. Feb. MDCII. Aetatis ſuæ ann. LXXII.

1602 ROBBERTUS Bellarminus Politianus, ex ordine clericorum Societatis Ieſu aſſumptus, Cardinalis Presbyter à Clemente VIII. creatus, anno 1599. deinde ann. 1602. Archiepiſcopus Capuæ factus. *Ita Bellarm. Adde* Mortuo Clemente VIII. pro electione Pontificis Romam profectus, menſe Martio ann. 1605. Capuam amplius non redijt: ſed Eccleſiam in manibus Pauli Papæ V. reſignauit.

Nunciato Romæ Cæſaris obitu, Clemens VIII. ex proprio motu Cardinali Bellarmino Capuanam Eccleſiam defert: Aduolat fama, nunciatq; Cardinalem magnum Dei ſeruum à Pontifice Maximo nominatum Archiepiſcopum Capuæ: Famam à Domino Cardinali ad Capitulum, & ad Ciuitatē literæ conſequuntur: mox à Capitulo Decanus cum Diacono, & à Ciuitate duo Cōſcripti legantur, qui D. Cardinali gratulentur, ſignificentq; ſummo cum deſiderio ab omnibus expectari. Cardinali quidem nihil magis erat in votis, quàm Capuam aduolare; ſui tamen conſecratio à Pontifice Maximo peragenda, in dies dilata retardabat. Conſecratus, Capuam venit, & ſolemni ritu excipitur die Maij quarto, qui illo anno 1603. in Sabbatum incidit.

Digitized by Google

incidit. Interim certa fama circunfert peruenisſe Archiepiſcopum, Cardinalem magnæ ſanctitatis virum, qui altera die, ſcilicet prima Dominica Maij, ſolemnem Miſſam faciet, & plenariam Indulgentiam ſpeciali Pontificis indulto concedet. Capuæ prima Dominica Maij ob tranſlationem ſancti Stephani, & ſynodum Diœceſanam, quæ illo ipſo die etiam circunducta proceſſione celebrantur, celebris eſt. At illa vice clerus præter ſolitum frequentiſſimus, ac tota penè Diœceſis in vrbem confluxit, magna ſatis virorum, atque mulierum multitudo replebant templum, atrium, & vias quoque: certabant omnes Paſtorem propiùs intueri, multi precatorijs calculis etiam tangere. Cardinalis vultu rubicundus, proceſsionis fatigatione rubicundior, cernens interdum deuotionis ergo ſe tangi (vt qui erat humilis corde) ægreferens, magis erubeſcebat. Igitur mane celebrata eſt ab eo Miſſa ſolemnis, meridie ſynodus, in qua, cum nondum eſſet rerum Eccleſiæ ſuæ gnarus, poſtremæ ſynodi confirmauit acta: Tranſegimus diem omni tempore commemorandum.

Deinde Capitulum ex more charitatiuum offert nouo Prælato: recuſat ille: Capitulum nè reſpuat oblatum, obſecrat: ille precum rationibus cædit: Iubet verò nè quid exigant à pauperibus, vel ab inuitis. Ex illa pecunia Templum reformat, & Archiepiſcopale palatium. Templum antiquæ formæ habebat in media naui chorum ſeptum, & in capite cathedram poſt altare maius; & in vna alarum ſchalas palatio coniunctas, & in altera portam foro venali peruiam. Palatium erat peramplum, ſed quia malè diſpoſitum, ſuæ familiæ minimè capax: Igitur Cardinalis in palatio vel portas alias occludens, aliaſue nouiter aperiens: vel cameras amplas nouis parietibus diuidens, totum toti familiæ commodum reddit. Et in templo chorum amouet à media naui, & ſub Abſide circum altare maius collocat:

Cathe-

Digitized by Google

Cathedram ad chori dextrum latus adducit, ſupra chorum à dextris organum, à ſiniſtris ſcholam cantorum aptat: ſchalas verò diruit, ac ita nouè diſponit, vt in Templi muro ſit tantùm earum inferior porta. Ex tabulis lapideis, & verſicoloribus, quæ erant in ſugeſtis chori, partim nobile pulpitum in media naui compingit, partim Sanctiſsimi Sacramenti cappellam à Cæſare Coſta inchoatam exornat. Templo ſic expedito, eiuſq; facie vel vni proſpectui tota conſpicua, ſtatim apparet, portam foro peruiam afferre templo multum incommodi, ac indecori: ideo illam occludit, & pro illa alteram in atrio aperit.

Qui verò de templo manufacto tam ſolicitus erat, longè maiori templorum ſpiritualium, ideſt animarum cura detinebatur. Vix Capuam attingit, & in ſacrarium Cathedralis Eccleſiæ conuocat clerum, & cohortatur ad honeſtè viuendum: præterita crimina condonat, nec eorum habiturum ſe rationem aſſeuerat, ſi qui fortè criminoſus exiſtens, iam inde vitam mutaret in melius. Vix Capuam peruenit, & de inſtaurando monaſterio ſancti Ioannis anxius cogitat: ea de cauſa cum Sacra Congregatione per literas agit, & niſi perfecta re non conquieſcit: ex præſcripto nãq; ſacræ Congregationis cuncta diſponit, & tandem per quatuor menſes ante ſuum à nobis abſceſsũ viginti duas puellas cum vniuerſæ ciuitatis ingenti plauſu religioſo veſtit habitu, nouitias facit. Vix Capuæ conſiſtit, & verbo Dei prædicando ſe tradit: Vrbem ingreditur 4. Non. Maij, & poſt Idus in feſto Aſcenſionis aſcendit in pulpitum. In illa prima concione promittit ſe diebus Domicis, & feſtis omnibus concionaturum: quam profectò conſuetudinem, excepto quadrageſimæ tempore, ſemper tenuit, nec intermiſit; etſi quando Viſitationi inſiſtens non concionabatur in Vrbe, concionabatur in Pagis, vbi, ſi populus erat adeò frequens, vt ipſum ab altare loquentem commodè audire

non

Digitized by Google

non poſſet, in pulpitum aſcendere non dedignabatur: Quo honore (quod ego ſcio) pulpitum ſancti Priſci, & Grazzaniſij gloriantur. Primo anno explanauit lectiones epiſtolarum: Secundo ſequentia Euangeliorum: Tertio ſermonem in monte, ſed non abſoluit. Concio nihil vanum, ſeù inutile prorſus habebat: ad profectum animarum ſingula quæq; verba dirigebantur. Maximus Doctor quandoq; docebat altiſſima, ſed erat in eo præclara facilitas. Miratus ſum ego non ſemel quomodo verbis ordinarijs explicare potuiſſet, quæ vix ſcholaſticis verbis ab alijs explicantur. Amantiſsimus paſtor oues commonebat, & erat in eo mira ſuauitas: non minarum aſperitate, non vocis contentione, at ſubafflicto vultu, quaſi eleemoſynam petens, vitiorum odium, & virtutis amorem ab auditoribus expetebat. Huiuſmodi conciones efficiebant, vt deuotio feruefceret in ciuitate: iam aleæ ludus etiam honeſti profligati fuerant: vix perditus aliquis è vili plebecula perditam aleæ domum intrabat. Eram ego in porticu ſancti Eligij cum quibuſdam non minus honeſtis, quàm nobilibus viris, cumq; de concione Cardinalis habita mane ſermo incidiſſet, vnus, credite mihi (inquit) vidi hoc mane Cardinalem afflicta facie conſtringentem humeros, & abijt à me ludendi voluntas.

At verò pro extirpandis abuſibus præter continuos concionum labores, literis, colloquijs, ſecretiſq; potiſsimum monitionibus vtebatur. Literas quidem paſtorales ad Capitulum ſcripſit de reformando modo pſallendi: Ad moniales ſancti Ioannis de vita communi, & paupertate ſeruanda: colloquium habuit cum Magiſtratibus ciuitatis pro tollendis iniuſtitijs exigentium gabellas ab Eccleſiaſticis: ſecreto monuit quemcumq; ſciuit à recto tramite declinaſſe. Sed planè non his tantùm rationibus deuotio feruefcebat in ciuitate, ſed erat communis, neq; parui fer-

noris potiſsima ratio, quòd verbo doctrinæ præibant exempla vitæ, exempla virtutum omnium, & præcipuè manſuetudinis, humilitatis, miſericordiæ, & charitatis.

Erat Cardinalis adeo mitis; vt ab eius manſuetudine quidam pſeudozelotes ſcandalum paſsi murmurarint, nõ puniri delicta: peruenit murmur ad Cardinalẽ, qui, vt erat mitis, non excanduit: ſed inter prædicandum in feſto ſancti Gregorij Nanzianzeni die Dominica manſuetudinem ſuam à phſeudozelotum indignatione defendit. In quam defenſionem ſuaui quadam dexteritate concionis curſum inflexit: expoſuerat totum euangelium *Vos eſtis ſal Terræ:* dictaq; omnia vt à ſancto Gregorio Nanziazeno conuenirent oſtenderat: Tum ſe Gregorij Nanziazeni in primis deuotum aſſeruit, & præcipuæ deuotionis cauſam reddidit quandam vtriuſq; vitæ ſimilitudinem, Gregorius (inquiebat) fuit religioſus, ego in Societate Ieſu profeſſus: ille Epiſcopus; ego, licet indignus, aſſumptus ad opus Epiſcopale: ille ſcriptor Eccleſiaſticus; ego etiam libros aliquot ſcripſi ad communem vtilitatem Eccleſiæ: ille de Virginitate inſigne carmen ſcripſit; ego adoleſcẽs cum poeticis delectarer, primos quos ſcripſi verſus, de Virginitate ſcripſi: Et tandem ſi illi facilitas animi, atq; clementia criminis loco obijcebatur; de me, vt accepi, ſunt qui doleant, quòd delicta non puniam: ſed rogo vos quomodo puniam delicta quæ ad me non deferuntur? quomodo pecuniam delata, ſi adhibita diligenti inquiſitione non cõperio ea eſſe qualia deferuntur? an non eſt punire, ſi punire non eſt ad vindictam? profectò ſæculares Magiſtratus ad vindictam puniunt, Epiſcoporum verò eſt punire ad emendationem: habemus exempla Ambroſij, Auguſtini, Nanziazeni noſtri, & aliorum Sanctorum Antiſtitum. Igitur ego pœnas infligã quibus peccatorum animas conuerti, emendari, & ſaluas fieri poſſe confidam, & ſperem. Hæc mitis Antiſtes in illa concione.

Erat

Digitized by Google

Erat Cardinalis verè humilis corde: vir enim vndequaq; doctiſſimus, eminente ſcientia non inflabatur: Si quis vel pauliſper doctus pro re, de qua cum eo agebat, librum citaſſet, & oſtendiſſet, non deſpiciebat, imò audiebat libenter, & verba citati libri ſimul expendebat. Egit ita cum pluribus, mecum quoque: monuerat me dictum ſibi introduci in Mon. ſancti Ioannis abuſum quendam in receptione Monialium . . Reuenter ego; Credere me non eſſe illum abuſum: oſtendi Caietani ſententiam in ſummula: legit, relegit, expēdit verba; ſibimetipſi ſatisfecit, & permanere me in meo ſenſu permiſit; vir in tanta dignitate, & poteſtate conſtitutus, priuatam perſonam ſeſe gerebat: optimè nouerat quæ pertinerent ad dignitatem, illa non prætermittebat, nè dignitatem contemnere videretur; vt cum aliquando ſuffraganeus quidam veniret ad ſalutandum ipſum, veniretq; cum habitu breui: ipſe Epiſcopo nunciari mandauit, ſuffraganeum non venientem ad ipſum in habitu decenti, ab ipſo excipi non decere. In his, quæ non erant dignitatis, vel iuriſdictionis, eſſe ſe Cardinalem, & Archiepiſcopum obliuiſcebatur. Quadam vice hora tarda, accenſis luminibus, cum à cubiculo ſuo in ſuam proximam bibliothecam me introducere voluiſſet, conante me candelabrum accipere, & deinde velum intermediæ portæ dimouere, ipſe manu ſua candelabrum accepit, ipſe velum manu ſua dimouit.

Erat Cardinalis verè miſericors: pia loca iuuabat: pauperes domos alebat: puellas dote conſignata maritabat: Adoleſcentulos ſtudētes Neapoli ſuſtentabat: Infirmis neceſſaria ſubminiſtrabat: peregrinis, habita ratione viæ, maiorem, vel minorē eleemoſynā erogabat: vir miſericordiæ viſcera ſua nulli claudebat: in eleemoſynis erogandis totus effuſus: de paupertate iuuanda ſemper cogitabundus: bona Eccleſiarū eſſe pauperū bona; verbo, & opere demōſtrabat.



Digitized by Google

Erat Cardinalis plenus charitate erga Deum, & proximum: ſi viſitabat Ciuitatem, ſi celebrabat ſynodum prouincialem, & Dioeceſanas; ſi collationes caſuum conſcientiæ inter parochos haberi mandabat, & intererat: ſi expoſitionem vel in fidei ſymbolum euulgabat, vel in pſalmos elaborabat, ſi adſcitis prudentibus viris de ſtatu Eccleſiæ tractabat, ſi officium matutinum, vel veſpertinum in choro perſoluebat; ſi munera, imò munuſcula reſpuebat; ſi inuitatus in diuerſis Eccleſiis, & Oratorijs Miſſæ ſacrificium offerebat, in omnibus non quæ ſua erant; ſed quæ Ieſu Chriſti, quærebat, & in eo ſemper erga Deum, & proximum charitas elucebat.

Sed ecce dum bonus paſtor oues à Deó ſibi commiſſas verbo, & exemplo diligentiſſimè paſcit, funeſti nuncij nos perturbant: Cardinalis enim de Romani Pontificis obitu certior factus, occurrente Dominica ſecunda quadrageſimæ, pro prædicatore aſcendit in pulpitum, de Transfiguratione Chriſti concionatur, & ſuum in craſtino Romam ad conclaue diſceſſum annunciat: dicit dubitare ſe de reditu ſuo, quoniam multa contingere poterant, propter quæ redire non poſſet. Collachrymant multi: altera die (erat Aquinati ſacra) celebrata Miſſa in Cappella palatij, iter arripere, ad Eccleſiam deſcendit, Sacramentum adorat: multi viri, & multæ mulieres, inſtante concionis hora, conuenerant: vt ab adoratione ſurgit, mulieres illum circumdant, iter impediunt, tangere volunt, lachrymantur, & eiulant: magna cum difficultate expeditur ab illis: in viris etiam vidit non minora ſigna doloris de ſuo diſceſſu. Tūc qui ouium ſuarum lachrymas vidit, lachrymas omninò cōtinere non potuiſſe viſus eſt. In atrio Templi lecticam ingreditur, incedit per viam ciuibus expectantibus plenam, benedicens cunctis, vrbem ingreditur, & cum magno Canonicorum, & nobilium comitatu, Sueſſam illo die peruenit

Digitized by Google

nit: itaque Cardinalis Capuæ manſit annos duos, menſes decem, dies quatuor, ſcilicet à die 4. Maij ann. 1602. ad diem ſeptimum Martij ann. 1605. obijt autem Romæ die 17. Septembris 1621. 1605

ANtonius Caetanus poſt Archiepiſcopatũ acceptum, Nũtius Germaniæ, & deinde Hiſpaniæ ſub Paulo V. tum S.R.E.Card. aſsũptus à Gregorio XV. obijt an. 1624.

Vix ſeſquianno, multis longiſq; vicibus interrupto, commoratus eſt Capuæ: ipſum namq; Apoſtolica Sedes in Germania, in Hiſpania, & purpuratum Romæ magnis in negotijs occupatum ſemper habuit: eius felicem in omni graui negotio peragendo dexteritatem ab Vrbe, & ab Orbe prædicatam audiuimus: Abſens Eccleſiæ ſuæ non immemor, frequentiſſimè per literas Vicarium admonebat: beatiſſimi fuiſſemus ſi literis Amantiſſimi patris quiſq; fideliter obtemperaſſet. Capuæ degens, patrem communem ſeſe præbuit, & gratiſſimus omnibus extitit. Canonicorum paci quam Cœrimonialis vſus aliquantulum turbarat; adhibita deputatorum à Capitulo congregatione, ſtuduit, ſcriptiſq; Ritibus conſultum voluit. Vt primùm Capuam venit, Meretrices à nundinis, publicis tabernis, hoſpitijſq; expelli mandauit: quando ab Hiſpania redijt, clericos nonnullos ſemilaicos à clero deiecit, & in vltima ſynodo Diœceſana conſtituit vt parochi diebus feſtis inter miſſam ſymbolum Apoſtolorum, orationem Dominicam, & legis præcepta vulgari lingua, audienti populo recitarent. Acta non ſine fructu res: cur omninò dimiſſa? Quid tandem? Capuanæ Baſilicæ Canonia Cappis, & vacationibus à Greg. Papa XV. ad nouum ornatiſsimæ Eccleſiæ decus inſignita, Dõni Antonij Cardinalis Caetani voto, & interceſsioni tantum munus acceptum refert.

ALoyſius Caetanus Antonij nepos, Patriarcha Antio- 1624
chenus, Anno 1622. aſſumptus Coadiutor: poſt obitũ

patrui

Digitized by Google

patrui Archiepiſcopus: & ann. 1626. ab Vrbano VIII. creatus S.R.E. Cardinalis: mox de Archiepiſcopatu dimittendo tractauit, & obtinuit ab ipſo Pontifice Maximo.

Breuis quidem Aloyſij Pontificatus; at in eo magna vidimus: vidimus in iuuenili pectore canitiem Apoſtolicam: vidimus Archiepiſcopum, qui cum eſſet quoq; Canonicus, non in feſtis tantùm, ſed tertia quaq; ſuæ vicis hebdomada continuò, vel algentiſsimo tempore, deſcendit in chorum, & ſeptem horis, miſsis, proceſsionibuſq; vt decet Epiſcopum, religioſiùs pſallens interfuit: quiq; manibus, pedibuſq; contendit, vt diebus feſtis puellæ à parentibus ad audiendam Miſſam adducerentur, obtinuitque.

Vidimus Paſtorem, qui Ciuitatis, & Diœceſis viſitatione perdurante, toto illo vnius anni fermè ſpatio nec à viſitatis, nec à viſitandis, nec ab vllo clerico nè perminimum quidquam accepit: quiq; clericorum inſolentiam, & immodeſtiam omninò ſe ferre non poſſe demonſtrabat.

Vidimus anno Iubilæi Pontificem Capuæ peregrinorum ore benedictum; illo ſiquidem anno cohortatus clerum ad hoſpitalitatem, exemplo ſuo præiuit. Domum hoſpitalem præparauit, & clericis, vel etiã laicis obſonia ſubminiſtrantibus, ipſe ſolus panem, & vinum continuò ſubminiſtrauit. Imò cum Vicarius clerico apprimè nobili, & apprimè diuiti ob quandam inobedientiam pro ſalutari pœnitentia iniunxiſſet, vt per integram hebdomadam peregrinis cœnam proprio ſumptu præberet; ipſe Vicarij ſententiam approbans, declarauit illam de obſonio tantùm intelligendam, non de pane, & vino, quæ præbere perpetuò ſuum à principio eſſe voluerat. Peregrini ex Apulia, Calabria, & Sicilia Romam euntes, vel inde redeuntes, ad hoſpitium Capuanum magno numero confluebant: vere æſtate, autumno trecenti ferè ſemper, ſæpiſsimè quadrigenti, pluries quigenti, ſexcenti, & tribus vicibus ampliùs

mille

Digitized by Google

mille: Reficiebant pedum lotione primùm, deinde ſufficienti cœna, tum lectorum quoq; vel in hoſpitio, vel extra, partim in palatio, partim in priuatis domibus exhibita commoditate: ſæpè Illuſtriſsimus ipſe, præter conſuetum panem, & vinum, obſonium aliquando præbebat: & ſaltem ſemel per ſingulas hebdomadas duodecim peregrinorum primus omnium pedes lauabat, & mox primis, ſecundiſq; tabulis aſsiſtebat: vidiſſes peregrinos Archiepiſcopi vultum contuentes, vt Angelicum collaudantes, & eo exhilaratos, Dominum benedicentes: vidiſſes profectò Capuæ Romanæ hoſpitalitatis imaginem: Quid plura? vidimus in vno Aloyſio, vidimus, & admirati ſumus in ipſo Cæſaris grauitatem, Bellarmini manſuetudinem, Antonij patrui dexteritatem, & horum omnium in omnibus zelum.

Hieronymus Conſtantius Neapolitanus, per renunciationē ab Aloyſio Cardinali Caetano factam, ex Epiſcopo Triuentino, Archiepiſcopus Capuæ, poſſeſsionem accepit per procuratorē menſe Martio in feſto ſancti Gregorij Papæ: ſolemniter eſt ingreſſus in Aſcenſione Domini, die 12. Maij, exceptus à ciuitate cum extraordinarijs lætitiæ ſignis. Via à porta Neapolitana, per quam eſt ingreſſus, ad Templum vſque habuit frequentiſsimos arcus ex viridi myrtio, & parietes ab vtroque latere ſericis, & attalicis ornatos: conductus eſt chorus canentium maioribus tibijs, in feſto Sanctiſsimi Sacramenti conduci ſolitus: inuitata eſt Militum cohors, vt in ſtatione, tranſeunte Prælato, ſclopos vacuos plumbo, lætitiæ cauſa in cœlum exploderent; Columnæ Templi velis ornatæ, ſymbolis, & Epigrammatibus totæ ſuperornatæ: exceptus eſt cum tanto gaudio, cuius virtutem alto præconio prænolans fama prædicabat, & Domini Aloyſij Cardinalis Caetani ad Capitulum literæ commendarant.

De

Digitized by Google

# DE CONSTANTINO MAGNO IMPERATORE.

*COnſtantinus Magnus Imperator, quem plures Latini iuſtum, & ſanctum arbitrantur, à Græcis Kalendario Sanctorum adſcriptus reperitur, & Maij die vigeſimo-primo a nua celebritate recolitur. De hoc agit Petr. Natal. lib.5 cap.26. & hic Philippo Ferrerio creditur eſſe Conſtantinus ille, cuius, Bouæ Ciuitate vlterioris Calabriæ Patriarchæ Conſtantinopolis aliquando ſubditæ, & reliquiæ habentur; & feſtum dicto Maij vigeſimo primo die celebratur. Hic igitur Conſtantinus Magnus poſt an. 324 quo baptiſma ſuſcepit, & ante ann. 333. quo migrauit ad Dominum, in vrbe Capua Baſilicam condidit, de qua Anaſtaſius Bibliothecarius in ſancto Silueſtro ſic loquitur.*

Eodem tempore fecit Beatiſſimus Conſtantinus Auguſtus intra vrbem Capuam Baſilicam Apoſtolorum, quam cognominauit Conſtantinianam vbi poſuit dona hæc: Patenas argenteas duas penſantes ſingulæ 20. ſcyphos argen
A teos tres penſantes ſing. libras 8. (A) Calices miniſteriales 15. penſantes ſing. libras duas. Amas argenteas duas, penſantes ſingulæ libras decem. Candelabra ærea in pedibus
B denis, penſantia ſingula lib. 180. (B) Phara canthara ex ar-
C gento triginta, & donum quod obtulit (C) poſſeſſionem in territorio Menterno. Maſſam Statilianam præſtanrem
D (D) ſolidos trecentos, & quindecim. Poſſeſſionem in territorio Cagetano præſtantem ſolidos octuaginta quinque, Poſſeſſionem Paternum territorio Sueſſano, præſtantem
E ſolidos centum quinquaginta. Poſſeſſionem ad Cētum (E) territorio Capuano, præſtantem ſolidos ſexaginta. Poſſeſ-
F ſionem in eodem territorio (F) Sueſſano Guronicā, præſtantem ſolidos quadraginta. Poſſeſſionem leonis præſtantem ſolidos quadraginta. *Hactenus Anaſtaſius.*



Digitized by Google

# NOTATIONES.

CAlices miniſteriales. *Miniſteriales dicebantur quorum erat vſus in altaris miniſterio, ſcilicet in ſacrificio Miſſæ: erant enim alij calices pro ornamento tantùm Eccleſiæ, qui vel pendebant, vel trabibus inſidebant: ita obſeruabis apud Anaſtaſium præſertim cum Leone III.* A

Pharacantaras. *Apud Anaſtaſium frequentia ſunt hæc nomina Pharus, ſeù Pham, ſeù Pharum: & Cantharus, ſeù Canthara, ſeù Cantharum; & Pharuſcantharus, ſeù Pharacanthara, ſeù Pharũ cantharum: Pharus erat vas amplum capiens vas alterum, in quo ardebat oleum, vel cera: Vas autem in Pharo poſitum dicebatur lucerna, lampas, candela, cereus, & ceraptum. Pharus ſolebat cingi corona, qua ſuſtineretur, atq; etiam ſuperponi Gabatha, ideſt patella plana: ſed plerũq; lucernæ, lampades, & candelæ abſq; pharo coronis ſuſtinebantur. Habebant Phari formam alij crucis, alij coronæ, alij Rethis, alij aliam: & alij pendebant, alij in ceroſtatis, ideſt in fulcris humi fixis collocabantur. Scribitur in Benedicto Tertio Pharus tantæ magnitudinis, vt haberet mille trecentas ſeptuaginta candelas: ſed arbitror ibi Pharum non ſignificare vas, ſed machinam, è qua plurima luminum vaſa penderent: vt eſt hodie quod dicimus lampadarium, & antiquitus policandilum: ſcio tamen conſueuiſſe in vna lucerna, ſeù candela plures flammas ardere, dictaſq; lucernas illas polimixas, quaſi multarum narium, & capitulatas quaſi multorum capitum.* B

*Cantharus, vas amplum quod vel Thus, vel oleum, vel ad manus lauandas aquam continebat: ſæpius ornatus tantùm cauſa ſuſpendebatur. Videtur primùm habuiſſe nauigij formam è qua Bacchi poculum (vt ſcribunt) appellabatur Cantharus: & fortaſſe hinc eſt, vt noſtris quoque tempo-*



Digitized by Google

*ribus thuris acerra Nauiculæ formam retineat.*

*Pharus cantharus, Bulingerio in opuſculo de Donarijs videtur eſſe pharus adiunctus Canthharo, ita vt in Canthharo fuerit oleum, in Pharo lumen. Mihi videtur magis veriſimile Pharumcantharum fuiſſe Pharum, qui Canthharo ſuperpoſitus, ab eius medio ſurgẽs, eminebat proferens lumen: hoc mihi videtur veriſimilius, nam ſimili modo Pharus Gabathæ ſupponebatur. Pharacantharus ergo à Pharo non differrebat vſu, ſed meliori forma. Cæterum quia Plinio lib. 11. cap. 37. Ceroſtrotum eſt picturæ genus, & creditur eſſe quo ramenta cornium varijs coloribus tincta ligno inſeruntur ad vermiculatum opus efficiendum; ideo opinor fulchra cereorum dicta ceroſtrata fuiſſe opus ex oſſe vermiculatum, vel ex oſſe ſolidum.*

C Poſſeſſionem. *Paſſim apud Anaſtaſium mentio eſt Poſſeſſionis, Fundi, & Maſſæ, imò & Domus cultæ: quæ nomina quomodo inter ſe differant, inueſtigemus. Et planè Poſſeſſio eſt rei immobilis proprietas, vt prata, vineæ, ſed præcipuè ager latè patens: abſq; tamen ædificio, quem hodie Startiam appellamus:* locus ſine ædificio *(inquit Iureconſultus l. Fundi. ff. de verb. ſign. & ibi Alciat. & l. interdum, eod.)* in Rure ager appellatur: Agri autem latè patentes publici, priuatique *(*vt ſcribit Feſtus*)* appellantur poſſeſſiones. *Fundus, eſt ager cum ædificio, quem hodie nominamus* la Maſſaria. *Maſſa in hunc vſum non eſt ab antiqua latinitate vſurpatum nomen; eſt meo iudicio ager frumentarius, latè patens, habens ædificium cum familia ruſticorum: ſanctus enim Gregorius Papa lib. 1. epiſt. 42. ſcribens ad Petrum Diaconum in Sicilia, hæc habet:* Scripta mea ad ruſticos, quæ direxi, per omnes maſſas fac relegi, vt ſciant quid ſibi contra violentias debeant defendere, &c. *Ergo in Maſſis habitabãt Ruſtici, quibus relegendæ erãt literæ ſancti Gregorij. Hinc ipſe latiſſimum campum, vulgò*

*Maz-*

Digitized by Google

*Mazzone non à nomine Francico Maggione, ſed ab hoc nomine Maſſa puto deriuatum, vt à Startia ſtarzone, ſic à Maſſa Mazzone barbara deriuatione deſcendit, & à Maſſa quoque la Maſſaria. Domus culta erat primaria quædam villa, ad quam diuerſæ poſſeſſiones, ſeù fundi, ſeù Maſſæ pertinebant, ſicut hodie feudum.*

Solidos. *Didacus Couarruuias lib. veterum collatio numismatum cap. 3. num. 4. & §. 2. num. 5. poſt multos Iureconſultos, valorem ſolidi aurei pendens, affirmat ſolidum aureum dici, quia integer eſt, nec eſt ſemiſſis, ideſt ex dimidia aurei parte conſtans; nec tremiſſis, ideſt conſtans ex tertia tantùm parte; addit ſolidum ab antiquis Imperatoribus cuſum, maiorem fuiſſe cuſo à* Conſtantino, *& ſucceſſoribus: Conſtantinus enim ex tertia parte diminuit. Erat aureus ille antiquus quarta pars vnciæ, recentior autem ſexta. Ille antiquus aureus æſtimabatur vigintiquinque denarijs argenteis, recentior autem decem & ſeptem: quare cum ſolidi, quot notat hic Anaſtaſius, ſint in ſumma ſexcenti nonaginta, videntur non multum excedere ſummam (more noſtro) ducatorum mille.* D

*At Alphonſus Ciacconius in Sylueſtro, loquens de Conſtantiniana conſtructa Capua, inquit:* Cui donauit quinquaginta quinq; mille ſeptingentos & quinquaginta aureos coronatos, vel ſcutatos in ornamentum, & ſplendorem diuini cultus, duobus mille, ſexcentis alijs aureis ſimilibus cenſu annuo ſacerdotibus, & reliquis clericis perpetuò aſsignatis, qui in eadem Baſilica miniſtrarent.

Ad Centum. *Scimus circa Marcianiſum eſſe cãpum qui* dicitur à Cento *quiq; Eccleſiæ Capuanæ fuiſſe, & in Emphyteuſim conceſſus non ambigitur propter annuos Canones à poſſeſſoribus olim ſolutos, & his quoq; temporibus magna ex parte ſolui conſuetos.* E

Sueſſano. *Legimus in quodam inſtrumento Theſauri* F

Qq 2 *Caſale*

Digitized by Google

*Caſale Sorbelli in Sueſſano territorio fuiſſe in dominio Eccleſiæ Capuanæ vſque ad ann. 1389. hodie illius Caſalis Eccleſia tantùm ad ipſam Capuanam Eccleſiam pertinet.*

*Tandem volo te monitum, Amice lector, ea quæ de cultu Conſtantini Imperatoris adducta ſunt, non ideo adducta fuiſſe, vt à Capuana etiam Eccleſia aliquo modo Conſtantino cultus adhibeatur: nunquam enim id factum à Romana, & Latina Eccleſia: & Siculi, & Calabri tandiù coluerunt, quãdiù eæ Prouinciæ per Schiſmaticos Orientis Imperatores per vim abſtractæ, Græcanicum & ipſæ ritum ſunt imitatæ; quem tamen poſtea deſeruerunt, ideo de Conſtantino illo confeſſore, qui Bouæ colitur, libentius credam, quod (ipſo Ferrerio teſte) nonnulli putant, illum ſcilicet non magnum Imperatorem, ſed Bouenſem extitiſſe ciuem. Quæ autem ſit Eccleſia Conſtantiniana, habes ſupra in ſancto Rufino.*

## DE SANCTO PAVLINO EPISCOPO NOLAE.

*Sanctus Paulinus, Epiſcopus Nolæ, duo quæ notemus offert: alterum eſt, Baſilij Presbyteri Capuani commendatio, alterum Iuliani Epithalamium.*

### De cauſa Baſilij ex epiſt. ad Amandum 2. quæ eſt n. 21.

Præterea rogo, vt epiſtolam meam ad filium noſtrum Daducium, etiamſi in Gallijs agit, ſine vlla dilatione facias ab Epiſcopo tranſmitti per conſeruum fidelem, & impigrum. Si clericum fortè noluerit occupari, vnum de Alingonenſibus dignamini mittere, cum Epiſtolis veſtris, quibus literæ noſtræ iuuentur: dignam enim interuentu veſtro cauſam, ex epiſtola mea, quam ad eum feci, cognoſcetis.

Digitized by Google

ſcetis. In primis autem celeritate agendi, opus eſt, vt ſanctiſsimus Presbyter, qui & vita, & ætate venerabilis, vim qualem expoſui, ſuſtinet, quamprimum ab alienarum ædium exilio liberetur. *Hactenus in ſecunda ad Amãdum.*

*Ex epiſtola ſexta ad Amandum, quæ eſt nu. 25.*

QVid de illo veſtræ ſanctitatis opere dicam, quo tantum nobis etiam ad præſentis gratiæ cumulũ, quantum vobis ad mercedis æternæ copiam contuliſtis? ideſt de ſancti presbyteri Baſilij negotio, cuius plantum conuertiſtis in gaudium, & ſenectutem compoſuiſtis in miſericordia vberi? Facta eſt in tabernaculo eius vox lætitiæ, & ſalutis: neque ceſſat cum tota domo ſua gaudens, conſonis Eccleſiæ gratulationibus benedicere Dominum, qui reſpexerit humilitatem eius, & religauerit contritiones eius, & eos, qui gratulabantur malis eius confuſione perfuderit, ipſum verò conſciſſo triſtitiæ ſacco, lætitiæ vigore præcinxerit. Vnde pro ipſis fratribus noſtris, quos ante rogari popoſceramus, nunc vnanimitatẽ veſtram petimus, vt eos vltra ſolitũ affectũ diligatis; etſi fortè ipſi Burdigalã, vt ſolent, venerint, præſentibus gratias etiã de noſtrorũ ſenſuum, ac viſcerũ affectione reddatis; aut ſi tarda fuerit eorum copia, cum prima adfuerit occaſio, dignamini eis gratulationem debitam, & meritam benedictionem operis ſui mittere, vt ſciant, & intelligant quàm acceptum Deo ſacrificium dederint, hac obedientia fidei ſuæ, qua petitionem noſtram in veſtro interuentu exorabiles receperunt, nobis quidem gaudium præſens de ſua deuotione præſtantes, ſed saluti ſuæ æternum commodum prouidentes. Nam etſi debitum fecerint, agnoſcendo iuſtitiam, vt alienum reddi iuberent; tamen gratia largiter habenda digni ſunt, pro ipſo bonæ voluntatis affectu, quo potuerunt

tranſ-

tranſgredi, & non ſunt tranſgreſſi, & maluerunt id facere quod expediebat, quàm quod licebat, & quod tam abſoluto, & puro corde nobis parere dignati ſunt, vt de beneficio eorum diſputari non poſſet: quandoquidem domum ſuam ſancto presbytero, etiamſi propriam non probaret; reſtitui tamen ſine difficultate iuſſerunt, vt eam, ſi de iure non poſſet, de illorum tamen munere poſſideret: neque perdiderunt huius tàm ſanctæ liberalitatis gratiam, nam vir ipſe ſanctiſſimus, cui Dominus iuxta meritum vos interuentores prouidit, ita gratulatur, & prædicat; tanquam indebitum munus acceperit. *Hæc ad Amandum.*

*Ex Epiſtola ad Delphinum 4. quæ eſt 18.*

ALterum in iiſdem literis Diuinæ gratiæ munus accepimus, illud videlicet curæ noſtræ negotium, de ſancti presbyteri Baſilij domo per operam tuam (ita vt deſiderauimus) explicatum. Veniat tota illa benedictio ſuper caput tuum, & in coronæ tuæ cumulum ſupertexta floreſcat, qua benedixerunt Dominum in te non ſolùm ipſi, ad quos beneficium pertinebat, ſed tota propemodum CAPVA, & CELEBERRIMA VRBIS IPSIVS ECCLESIA, gaudio presbyteri coexultans. Dedit laudem Deo, qui adiuuiſſet pauperem de mendicitate, & humiliaſſet alta diuitum corda, vt & ipſi habeant ſpem æternæ domus in Ciuitate habitationis, qui digni habiti ſunt per interuentum ſermonis tui ad intellectum bonum illuminari: quo per exigui domicilij iuſtam reformationem æternum ſibi in cœleſti tabernaculo pauperis ſancti, à quo inuicem recipientur, hoſpitium parauerunt. *Hactenus.*

*Igitur cum Dadutius Aquitanus, ſeù Romanus, Capuæ iura cenſuum, vel huiuſmodi alia poſſideret; Actores eius,*

*Baſi-*

Digitized by Google

*Baſilium presbyterum non minus ſanctitate, quàm canitie venerandum, à ſua ipſius domo eiecerunt, prætexentes domum illam ad iura Dadutij pertinere. Qua re cognita Paulinus Burdigalas ad Dadutium, ad Delphynum Epiſcopum, ad Amandum commendatitias dedit: quarum tanta fuit auctoritas, vt continuò abſque vlla mora Baſilio Domus reſtitutionem exorarint, eaq; propter Paulinus alteras ad eoſdem pro gratiarum actione literas miſit.*

# EPITHALAMIVM PAVLINI IN IVLIANVM Epiſcopi Memoris filium ETIAM Clariſſimam fœminam Vxorem eius.

CONCORDES animæ caſto ſociantur amore, A
Virgo puer Chriſti, virgo puella Dei.
Chriſte Deus, pariles duc ad tua frœna columbas,
Et moderare leui ſubdita colla iugo.
Nãq; tuũ leue Chriſte iugũ eſt, quod prõpta voluntas
Suſcipit, & facili fert amor obſequio.
Inuitis grauis eſt caſtæ pia ſarcina legis,
Dulce pijs onus eſt vincere carnis opus.
Abſit ab his thalamis vani laſciuia vulgi,
Iuno, Cupido, Venus, nomina luxuriæ.
Sancta Sacerdotis venerando pignora pacto
Iunguntur: coeant pax, pudor, & pietas.
Nam pietatis amor ſimul eſt, & amoris honeſtas,
Paxq; Deo, concors copula coniugij
Fœderis huius opus proprio Deus ore ſacrauit
Diuinaq; manu par hominum ſtatuit
Quoq; indiuiduum magis aſſignaret amorem,
Ex vna fecit carne manere duos.

Nam

Digitized by Google

Nam ſopitus Adam, coſta priuatus adempta eſt;
Moxq; ſuo factam ſumpſit ab oſſe parem.
Nec lateris damnum, ſuppleta carne viciſſim
Senſit, & agnouit, quòd geminatus erat:
Seque alium ex ſeſe ſociali in corpore cernens,
Ipſe propheta ſui mox fuit ore nouo.
Hæc, inquit, caro carne mea eſt: os ab oſsibus iſtud
Noſco meum: iſthæc eſt coſta mei lateris:
Nunc igitur, priſca quoniam ſub imagine ſanctum
Fœdus Aroneis pignoribus geritur;
Seria tranquillis agitentur gaudia votis:
Chriſtus vbiq; pij voce ſonet populi
Nulla per ornatas inſultet turba plateas:
Nemo ſolum folijs, limina fronde tegat:
Ne ſit Chriſticolam fanatica turba per vrbem,
Nolo profana pios polluat ambitio.
Nulla peregrinis fragret nidoribus aura;
Cuncta pudicitiæ munditias oleant.
Vnguentum ſanctis vnum eſt, quod nomine Chriſti
Diffuſum, caſto ſpirat odore Deum.
Nolo ſuperuacuis ornentur fercula donis;
Moribus ornatur, non opibus probitas.
Sancta ſacerdotis nurus, & matrona ſacratis
Iam puri dotem luminis accipiet:
Horreat incluſas auro, vel murice veſteis,
Aurea veſtis huic gratia pura Dei eſt.
Reſpuat & varijs diſtincta monilia gemmis,
Nobilis vt domino gemma ſit ipſa Deo.
Ceruicem Chriſti Domini iuga ferre dicatam
Non premat inuiſæ pondus auaritiæ.
Interiore magis munda placitura colatur
Compta ſaluiferis dotibus ingenium.
Non cupiat lapidum pretium, non vellera ſerum,



Digitized by Google

Incaſſum reditus dilapidare ſuos.
Ornetur caſtis animam virtutibus, vt ſit
Non damnoſa ſuo, ſed pretioſa viro
Namq; vbi corporeæ curatur gloria pompæ
Vileſcit pretio depretiatus homo.
Et male mens praui cœcata libidine voti
Sordeſcit nitidis corporis exuuijs,
Nec ſentit quam turpe decus gerat improbus, vt ſit
Veſte ſua leuior, qui ſibi veſte placet.
Abſit vt idalici videatur filia templi
Gentis Apoſtolicæ filia facta domo.
Non fucis malè ficta cutem, neq; lumina nigro
Puluere, nec flauo tincta colore comam.
Purum naturæ decus aſpernata ſuperbo
Crimine, diuinum in ſe ſibi damnat opus.
Fruſtra hæc ſe mulier iactauerit eſſe pudicam,
Quæ ſe tam varijs ornat adulterijs.
Vos autem iuuenes Chriſti fugite omnia, quorum
In damno pretium eſt, vſus in interitu
Credite diuinis verbis, de cultibus iſtis
Pœnalem cupidis ſurgere materiam.
Iſaias rigida cingendas reſte minatur,
Quæ modo purpureis ſerica miſta gerunt.
Quæ tunicas oſtro rutilas, auroq; crepantes
Fluxis talari fine trahunt ſinibus:
Funibus accinctæ ſaccos ſine fine gerentes,
Grandia piſtrini carcere ſaxa molent.
Quæq; caput paſsis cumulatum crinibus augent;
Turpe gerent nudo vertice caluitium.
Talibus ornari fuge dotibus, o noua ſancti
Nupta viri: vacuis ſenſibus iſta placent.
Tunc quoq; odoratis vaga veſtibus, atq; capillis
Naribus agnoſci, qua gradiare, velis.



Digitized by Google

Aut implexarum ſtrue, tormentoq; comarum.
Turritum ſedeas ædificata caput.
Ne mulieris ſplendore tuo malè ſollicitatis
Peſtiferæ nequam ſis caput illecebræ:
Sed neq; vel proprio per corporis incrementum
Tu cupias mentem fœda placere viro.
B Tu quoq, ſancte puer libris deuotè ſacratis
Corporei curam ſperne decoris amans.
Cempenſauit enim Chriſtus tibi largiter ornans,
Perpetuis pulchram diuitijs animam.
Voſq; ſimul caſtis ornauit dotibus ambos,
Spe, ſpietate, fide, pace, pudicitia
Sermo Dei argentum eſt, & Sanctus ſpiritus aurum
Mentibus, & gemmæ clara bonorum operum
Si tenuis cultus mentes offendit honeſtas,
Et pretio ambiri corda ſuperba iuuat.
Submoueant iſtum Sanctorum exempla pudorem,
Caſtaq; primorum ſimplicitas hominum
Adſpicite antiquos paradiſi in ſede parentes,
Quorum totus erat Mundus, & vnus ager.
Attamen his ouium pelles tegumenta fuerunt,
Nunc vti neto vellere texta pudet?
Pulchra Rebecca ſacrum cum ſponſa veniret ad Iſac
Simpliciter velo tecta pudoris erat.
Non legitur varijs veniſſe ornata lapillis,
Sed ſuper obducto prædita palliolo,
Quo pudibunda ſuum texit velamine vultum,
Oblatam ſponſi Virgo pauens faciem.
An magis Herodias ſaltatrix virgo placebit,
Baptiſtæ mortem nacta pedum pretio?
Impia maternæ ſic vlta libidinis iram,
Vt caput acciperet luxuriæ pretium.
Illud nempè caput, de quo clamauerat index



Digitized by Google

Vox populis Agnum propter adeſſe Dei,
Vnde nefas tantum meruit, niſi ab illice cultu
Impia ſaltatrix, filia digna patre?
Quem tamen hoc vicit ſcelere, inuitumq; coegit
In facinus placiti corporis illecebris.
Conuiuas etenim dignos dape Regis iniqui
Duxit in aſſenſum mobilis arte pedum.
Nam niſi fulua leueis texiſſet bractea plantas,
Calcibus vt pictis luderet improbiùs,
Et fluidam criſpo duxiſſet ſyrmate veſtem,
Fronte micans gemmis, ponè refuſa comam
Non ita corruptis ſpectantum mentibus intrans
Callida ad infandum præualuiſſet opus.
Ipſe quoq; Herodes regali veſte ſuperbus,
Sacrilegis demens flatibus intumuit:
Elatuſq; habitu diuinum oblitus honorem,
Vulnere vermifluo fœtidus interijt:
Digna luens meritis, vt ſordidus vlcere obiret,
Qui ſe crediderat veſtis honore Deum.
Sed, cedo, vt inſani deceant regalia flatus
Pectora, quæ nobis cum Pharaone manus;
Diſſidet à noſtris caua mundi gloria regnis
Nec coit aduerſis lux pia cum tenebris.
Clericus vxorem Chriſto comente decoram
Diligat, & pulchram lumine cordis amet;
Auxilioq; viri diuino munere factam,
Lector cœleſti diſcat ab hiſtoria,
Inque vicem mulier, ſancto ſit vt æqua marito
Mente humili Chriſtum in coniuge ſuſcipiat:
Creſcat vt in ſanctum texta compagine corpus,
Vt ſit ei vertex vir, cui Chriſtus apex.
Tali coniugio ceſſauit ſeruitus Heuæ,
Aequauitq; pium libera Sara virum.



Digitized by Google

Tali lege ſuis nubentibus adſtat Ieſus
Pronubus, & vini nectare mutat aquam
His Mariam Sponſis Domini decet adfore matrem,
Quæ genuit ſalua virginitate Deum
Namq; Deus placitum ſacrata in Virgine templum
Ipſe ſibi arcano condidit impluuio.
Deſcendens tacito allapſu, velut imber ab alta
Nube ſuper vellus; rore ſilente cadit.
Nam nemo arcani fuit huius conſcius vnquam,
Quo Deus aſſumpſit Virgine matre hominem,
O noua ad humanam Domini commenta ſalutem?
Fit ſine concubitu fœmina fœta vterum.
Sponſa viro tantum, non eſt ſubiecta marito
Et genitrix partu, nec mulier coitu,
Fœdere erat coniux, ſed corpore non erat vxor,
Intemerata Viro, mater erat puero
Grande ſacramentum, quo nubit Eccleſia Chriſto,
Et ſimul eſt Domini ſponſa, ſororq; ſui.
Sponſa quaſi coniux ſoror eſt, quia ſubdita non eſt

✠ ✠ ✠

Inde manet mater æterni ſemine Verbi
Concipiens populos, & pariter pariens.
Hinc ſoror, & coniux: quoniam ſine corporis vſu
Mente coit, cui vir non homo, ſed Deus eſt
Hac genitrice ſenex æquè generatur, vt infans;
Aetatem, & ſexum non habet hæc ſoboles:
Hæc etenim eſt benedicta Dei generatio, quæ non
Seminis humani, ſed generis ſuperi eſt.
Inde Magiſter ait: Quia iam nec fęmina, nec mas
In Chriſto, ſed idem corpus, & vna fides:
Namque omnes vnum corpus ſumus: omnia Chriſto
Membra, quibus Chriſtus Corporis in caput eſt:
Et

Digitized by Google

Et quia, iam Chriſtum induti, deponimus Adam,
Protinus in ſpeciem tendimus Angelicam.
Propterea hoc opus eſt cunctis Baptimate natis, D
Perfectum vt capiat ſexus vterq; virum,
Et commune caput ſtet in omnibus omnia Chriſtus,
Tradens in Regnum Rex ſua membra Patri
Nubere vel nubi fragilis iam deſerit ætas,
Omnibus æterno corpore compoſitis.
Ergo mei memores par inuiolabile ſemper
Viuite: ſit vobis Crux veneranda iugum;
Illius vt matris nati quæ ſponſa, ſororque eſt,
Sumite digna pijs pectora nominibus:
Et vobis fratri ſponſi concurrite Chriſto,
Sitis vt æterni corporis vna caro.
Hic vos nectat amor, quo ſtringit Eccleſia Chriſtum,
Quoque viciſſim illam Chriſtus amore fouet
Ipſe pater nobis benedicat Epiſcopus, ipſe
Præcinat hymniſonis cantica ſancta choris.
Duc Memor alme tuos Domino ante altaria natos, E
Commendaque precans ſanctificante manu.
Sed quis odor nares allabitur æthere manans?
Vnde meos ſtringit lux inopina oculos?
Quis procul ille hominum placidis ſe paſſibus adfert, F
Plurima quem Chriſti gratia proſequitur?
Quem benedicta cohors ſuperis circumdat alumnis,
Angelici referens agminis effigiem?
Noſco virum, quem diuini comitantur odores,
Et cui ſidereum ſplendet in ore decus.
Hic vir hic eſt, Domini numeroſo munere Chriſti G
Diues, vir ſuperi luminis Aemilius.
Surge, Memor, venerare patrem, complectere fratrem:
Vno vtrumque tibi nomen in Aemilio eſt.
Iunior, & ſenior, Memor, eſt: mirabile magni



Digitized by Google

Munus, opuſque Dei, qui minor, hic pater eſt:
Poſterius natus, ſenior; quia ſede ſacerdos
Geſtat Apoſtolicam pectore canitiem.
Filius eſt, Fraterque Memor: lætatur adeſſe
Communem ſibimet, pignoribuſq; patrem.
Iuſtitia, & Pax ſe gemina vice complectuntur,
Cum Memor Aemilio iungitur vnanimo.
Infula pontifices diuino iungit honore,
Humano pietas iungit amore pares.
Hinc Memor officij non immemor, ordine recto
Tradit ad Aemilij pignora chara manus.
Ille iugans capita amborum ſub pace iugali,
Velat eos dextra, quos prece ſanctificat.
Chriſte, ſacerdotes exaudi Chriſte precantes,
Et pia vota ſacris annue ſupplicibus.
Imbue, Chriſte, nouos de ſancto Antiſtite nuptos,
Perque manus caſtas corda pudica iuua,
Vt ſit in ambobus concordia virginitatis,
Aut ſint ambo ſacris ſemina Virginibus.
Votorum prior hic gradus eſt, vt neſcia carnis
Membra gerant, quod ſi corpore congruerint.
Caſta ſacerdotale genus ventura propago.
Et domus Aron ſit tota domus Memoris,
Chriſtorumque domus ſit domus hæc Memoris
Eſto & Paulini, Theraſiæque memor,
Et memor æternum Chriſtus erit Memoris.

*Sequitur nota Heriberti Ros Vveydi*

HIc ille eſt Iulianus Memoris filius, cuius tunc Diaconi meminit Auguſtinus Epiſtola 131. ad Memorium patrem eius, ex qua apparet eū Auguſtino fuiſſe chariſsimum. Hic poſt Epiſcopus Campanus (id eſt in



Digitized by Google

Campania ) vt habent meliores libri , non Capuanus ( vt in vulgato Gennadio de ſcriptor. Eccleſiaſt. cap. 45. habetur ) fuit qui etiam Pelagiano errore fuit infectus, & acer Auguſtini demum impugnator, cui varijs libris reſpondit Auguſtinus. In Campania vixiſſe teſtatur etiam Proſper carmine in obrrectatorem Auguſtini.

Aut hunc fruge ſua æquorei pauere Britanni,
Aut huic Campano gramine corda tument.

Vulgatus Proſper in Chronico, Theodoſio VIII. & Feſto Coſſ. eum Atellanenſem facit. Eſt autem Atella Campanorum in Italia oppidum. Vetuſtiſsimi tamen libri M. S. ibi habent Eclanenſis, ſeù Heclanenſis. Notus Eclanenſis ager in libro de limitibus in Calabria, ſiue Apulia. Beda in Cantica vocat eam Celanenſem Epiſcopum in Campania. Apud Virgilium 7. Aeneid. Celena, vel Celenna eſt locus Campaniæ, Iunoni ſacer, teſte Seruio. Scripſit varia Opuſcula, de quibus Beda in Cantica, & Gennadius ſupra.

Nunc Memor, nunc Memorius dicitur. Ad Memorium Epiſcopum extat Epiſtola 131. Auguſtini, vbi & Iuliani meminit. Eiuſdem etiam mentionem facit lib. 1. contra Iulianum cap. 4. Ego certè beatæ memoriæ. Memoris patris tui non immemor, qui mecum non paruam inierat amicitiam colloquio literarum, teq; ipſum mihi chariſsimum fecerat.

## NOTATIONES.

*Primum omnium volo te monitum, Amice Lector, hoc Epithalamium à nobis adductum non vt Laudes perditi viri innoteſcerent, ſed vt ex S. Paulini teſtimonio, quæ pertinent ad hiſtoriam accipiantur, vtq; cum timore videat qui ſibi ſtare videtur, ne de ſuo confiſus ingenio in ſuperbiam elatus, miſere corruat.*

Con-

A Concordes animæ, &c. *In hoc epithalamio nullum eſt verbum indicans ipſum eſſe ſcriptum à S. Paulino cum iam eſſet Epiſcopus; tamen ſi ex poematum ordine licet aliquam ſumere coniecturam; quia epithalamium ſequitur Epiſtolam ad Cytherium, quam S. Paulinus exiſtens, Epiſcopus ſcripſit, vt docet ille verſus.*

Ab vrbe Capua, quæ loco SEDIS MEAE

Bis dena diſtat ſpacia, *videtur ſatis probabiliter aſſerendum, hoc Paulinum, cum iam eſſet Epiſcopus epithalamium compoſuiſſe.*

B Tu quoque ſancte puer, &c. *Iulianus appellatur vir, ò* Noua ſancti nupta viri; *frequentiſſimè tamen appellatur puer: intelligimus virum propter ſexum; puerum propter ætatem, puerum, ideſt adoleſcentem: quem fuiſſe honeſtis moribus perornatum, ſanctæq; ſcripturæ ſtudioſum hinc apparet. Epiſtola verò S. Auguſtini 131. demoſtrat Memorem patrem eius voluiſſe, vt ille non tantùm ſacris, ſed liberalibus: & humanis etiam diſciplinis erudiretur.*

C Clericus vxorem. *Ergo Iulianus, in clericatu viuens, duxit vxorem: clericum oportuit illum fuiſſe minoribus tantum initiatum ordinibus: Apoſtolorum namq; canonibus prohibitum ſemper fuit, nè Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus matrimonium contrahat, vel ante contracto vtatur: qua etiam de cauſa dum legimus Iulianum Memoris Epiſcopi filium, filium intelligimus à Memore ex matrimonio ſuſceptum, ſed ante ſuſceptum Epiſcopatum.*

D Propterea hoc opus eſt cunctis baptiſmate natis. *Illo ſæculo, quando Baptiſmus ad grauem vſque ætatem differri ſolebat, Iulianus tenella in ætate baptizatus eſt: teſtatur Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum ipſum:* Sed ſi verum eſt (*inquit*) quod audimus, te infantulum baptizatum, etiam tu, quamuis à tuis proprijs peccatis innocens; tamen quia ex Adam carnaliter natus, contagium mortis

anti-

antiquæ prima natiuitate traxiſti, & in iniquitate conceptus es, profecto exorcizatus, & exufflatus es, vt à poteſtate erutus tenebrarum, transferreris in Regnum Chriſti. Ipſe pater &c.

Duc Memor alme tuos. *Memoris Epiſcopi meminit Auguſtinus in præcitata epiſtola 131. & lib. 1. contra Iulianum. Et licet cuias loci fuerit Epiſcopus inde non appareat; tamen fuiſſe Epiſcopum Capuæ coniectat Baronius.* Videtur verò (*inquit*) ipſe Memorius fuiſſe Capuanus Epiſcopus, atque filium ſuum eidem Eccleſiæ mancipatum, ordinaſſe. *Baronium ſequitur Bellarminus.* Memorius (*inquit ille*) Epiſcopus Capuæ fuit tempore ſancti Auguſtini, ad eum enim eſt Epiſtola eiuſdem Auguſtini 131. eiuſdem meminit idem Auguſtinus lib. 1. aduerſus Iulianum, Memoris prædicti filium, & ſucceſſorem. *In hac eadem ſententia eſt Claudius Menardus in additionibus ad duo opuſcula ſancti Auguſtini nuper inuenta; quorum alterum continet ſecundam Iuliani confutationem.* Erat (*inquit Claudius*) Iulianus Memorij Capuani præſulis filius. E

Quis procul ille hominum, &c. *Hæc verba videntur innuere S. Paulinum, viſum ſibi videre Aemilium vita functum, & in cælo regnantem, è cælo ſplendidum, & Angelis comitatum ad nuptias honorandas aduenifſe: rem tamen attentiùs conſideranti mihi, videtur S. Paulinus de Aemilio in terris adhuc agente, loqui: En habet Epiſcopum Memorem, non immemorem officij ſui, tradidiſſe nuptos Aemilio benedicendos: agitur hic ſine vllo dubio de benedictione viſibili, & Eccleſiaſtica, quæ nuptis impertitur: Ergo Aemilius viſibilis erat in nuptijs, & inter viuentes homines, homo viuens tum ſanctitate ita conſpicuus, vt perindè ac homo cæleſtis laudari poſſet.* F

Hic vir, hic eſt, &c. *Sicut maximè probabile eſt hunc Aemilium eſſe illum Beneuentanum Epiſcopum, qui Con-* G



Digitized by Google

ſtantinopolim pro S. Chryſoſtomi cauſa legatus fuit; ita probabile quoq; mihi videtur hoc epithalamium ſcriptum eſſe poſtquam Aemilius ipſe à Schiſmaticis in Oriente peſſimè habitus, confeſſionis gloria clarus redijt: tunc apprimè diues numeroſo munere, ideſt multiplici dono Chriſti: tunc maximè vir luminis ſuperi, ideſt cœleſti gratia ſuſpiciendus, & imitandus: fuit is annus 406. vel 407. quo tempore S. Paulinum, qui abſque dubio erat Epiſcopus anno 410. Epiſcopatum quoq; tenuiſſe non eſt improbabile. Imò tenuiſſe ab anno 405. liquet ex epiſtola Pelagij ſcripta ad Innocentium anno (vt Baronius computat) 417. in ea ſiquidem habebatur Pelagium ipſum epiſtolam ad ſanctiſſimum Paulinum Epiſcopum ſcripſiſſe ante annos ferè 12. quod ſi ante annum 417. numerantur 12. & amplius, inuenitur annus 405.

H Humano pietas iungit amore pares. *Hinc apparet, Memorium dici Fratrem Aemilij fraternitate vera carnali, ſeu humana, non autem ſpirituali tantùm: ratio verò cur Aemilius diceretur pater, illa à S. Paulino aſſignatur, quia Sede ſacerdos geſtat Apoſtolicam pectore canitiem, nempè quia Aemilius erat Epiſcopus antiquior, vtpotè, qui longè priùs ad Epiſcopalem ſedem euectus fuerat.*

I Vt ſit ambobus concordia virginitatis. *Iulianum vixiſſe castè, patet ex eo, quòd factus eſt in Eccleſia paterna Diaconus, vt teſtatur epiſtola ſancti Auguſtini, & deinde factus Epiſcopus.*

*Sed Epiſcopus, iuuenili temeritate Pelagianam amplexus eſt hæreſim, eiuſq; propugnator, ſcripſit quatuor libros, & duas epiſtolas; alteram ad Romanos, alteram ad Orientales: quare à Zoſimo Papa damnatus eſt anno 418. & anno ſequenti mortuo Zoſimo, obortoque ſchiſmate, maiores infelix animos ſumpſit, & tunc inter ipſum, & ſanctum Auguſtinum ſcriptis agitata diſputatio eſt. Ab Epiſcopatu de-*

*iectus*

Digitized by Google

*iectus, Conſtantinopolim anno 430. fugit, vt Theodoſium Imperatorem interpellaret: ibi ſe Neſtorio coniunxit, quem anno 431. ſequutus eſt Epheſum ad Conciliabulum. Anno 439. Romam rediit, vt à Sixto III. in communionem reciperetur: at repulſus fuit: cuius damnatio à Papa Cæleſtino quoque approbata iam antea fuerat: à Leone tandem Sixti ſucceſſore, confuſus omninò fuit anno 444. Hæc omnia de Iuliano fusè Baronius in notatis annis tomo 5.*

*Ergo Iulianus hic infelix fuit Epiſcopus Capuæ: ita Gennadius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, quē ſequutus eſt Card. Sanctorius. Habet ille:* Iulianus Epiſcopus *(de Epiſcopis Capuæ loquitur)* Pelagianus, aduerſus quem ſcripſit ſanctus Auguſtinus, Gennad. in catalog. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis: de eo ſanctus Hieronymus tomo 9. de eo Gelaſius Papa in decreto librorum Apocriphorum tomo 2. conc. & apud Gratianum diſt. 15. Sancta Romana, ſed ibi dicitur Iulianus Celanenſis. *Eundem Gennadium ſequutus eſt Bellarminus in Catalogo Capuanorum Antiſtitum* Iulianus *(inquit)* Epiſcopus Capuæ cum iuuenili temeritate Pelagianam hæreſim propagare niteretur, ab Epiſcopatu fuit depoſitus: vnde Iulianus Atellanus dici cœpit, quod Atellas ſe recepit: Proſper in Chron. 442. Gennadius de ſcriptoribus cap. 45. *Cardin. Baron. neq; ab auctoritate Gennadii diſceſſit:* Qui adhuc iuuenis *(de Iuliano loquitur)* ſede auctus nobili, nempè Capuana, vt tradit Gennadius, faſtu tumidus, &c. *Niſi hæc me trium doctiſſimorum deuinxiſſet auctoritas, notatori libenter aſſentirem, hæreticos nãq; nihilifacio.*

*At nec quæ notator habet, videntur obſtare. Quid? meliores libri habent* Campanus*: ego reſpondeo, nomen* Campanus *apud probatiſſimos Auctores idem ſignificare, quod nunc Capuanus, ſeu Capuenſis. Legantur Orationes de lege Agraria, & quingenti occurrent loci, in quibus Campani,*

S ſ 2 *ideſt*

Digitized by Google

*ideſt Capuani nominantur, legatur Liuij lib. 33. & 36. & in totidem locos incidemus: Strabo circa finem lib. 6. l. 1. ff. ad Municipal. Imò etiam Iureconſultus Vlpianus:* Qui ex duobus igitur *(inquit)* Campanis parentibus natus eſt, Campanus eſt, ſed ſi ex patre Campano, matre Puteolana, æquè municeps Campanus eſt. *Quid eſt ergo dicere Campanos parentes, niſi Capuanos? Inferioribus etiam ſeculis Vuillelmus Tyrius lib. 18. cap. 2. appellat Principem Campanum, qui erat Princeps Capuanus. Quod cum ita ſit, quæro, cur dum meliores libri habent* Campanum, *interpretabimur, ideſt in* Campania, *& non potius, ideſt Capuanum? maximè quia ratio dictat, & Iureconſulti docent argumento l. hoc legatum de leg. 3. Alciat. de verb. ſignif. l. 205.*

*Verba in caſibus dubijs potiùs ſecundùm ſpeciem, quàm ſecundùm genus interpretanda: me iuuat credere, in Gennadio* Campanum, *in* Capuanum *verſum eſſe, quia nomen* Campanus *factum eſt hodie multum æquiuocum. Campani dicuntur, qui ſunt in Campania Romæ, olim Latio: Campani qui ſunt in Campania ciuitate Lucaniæ quàmnouiſsima: Campani qui in Cãpania Galliarum: igitur, vt omnis æquiuocatio tolleretur, benè conſultum, vt* Capuanus *deinceps, & non* Campanus *ampliùs ſcriberetur.*

*Quid præterea? Proſper in Campania vixiſſe Iulianum innuit illo verſu,*

Aut huic Campano gramine corda tument: *ſicut verſu priori Pelagium natione Britannum notauit: Ita quidem: at mihi videtur Proſper illa vſus phraſi, non obſcurè ſignificaſſe Iulianum vixiſſe Capuæ: planè cibo non cor, ſed venter tumet: quomodo Proſper dicit Iuliani corda tumuiſſe gramine (ideſt fruge) campano? an voluit, dicens corda, ſignificare viſcera? & intelligens viſcera, notare tumidum ventrem? Credo potius, Proſperum arguté, & poeticè notaſſe Iuliani ſuperbiam Capuanis obijci ſolitam. Campani*

inquit

Digitized by Google

(*inquit Tullius*) ſemper ſuperbi bonitate agrorum, & fructuum magnitudine, Vrbis ſalubritate, &c. *Idque eo libentiùs credere poſſum, quod abſque temeritatis nota poſſum exponere* Campano gramine, *ideſt* Campano agro: *gramen quippè per tranſlationem ſignificare prædium, teſtis eſt Tullius in lib. 2. de finibus.* Num igitur (*inquit*) viliorem tibi, hunc Triarium putas eſſe poſſe, quàm ſi tua ſint Puteolis gramina? *Et quamuis Manutius, & Lambinus* pro gramina *putent legendum* prædia, *vel* granaria, *tamen Michael Brunus ibi putat, gramina pro hortis, pratis, agris, vbere ſolo, ac fertili conſitis; atque adeo pro fundo vniuerſo noninuenuſtè accipi poſſe. Cor ergo Iuliani tumebat Campano gramine, quando efferebatur ſuperbia parta diuitijs agri campani, quo magna ex parte Eccleſia Capuana potiebatur.*

*Quid tandem? Iulianus dicitur Atellanenſis, Eclanenſis, Celanenſis. Profectò ſcimus Atellam fuiſſe ciuitatem à Capua non longè poſitam, eamque tempore Iuliani ſtetiſſe: Eclanã putamus, quæ apud Ptolomeum Ecana Lucanis attributa, Troia nunc; quam tempore Iuliani ſtetiſſe non dubitamus. Celanam in Campania agnoſcit Seruius: illã tamen ſtetiſſe ſcribente Virgilio, minimè credo: at Iuliano viuente, nè nomen quidem ſuperfuiſſe, innuunt mihi Strabo, Plinius, Ptolomeus, qui de ea non meminerunt: nam ſi ſtetiſſet oppidum aruis laudatum, Iunoni ſacrum, illud accurati Scriptores non prætermiſiſſent. Celena igitur ad Iulianum non pertinet: & meo iudicio tantò minùs pertinere poteſt, quod à Celena Celenenſis, non Celanenſis dici oportuiſſet, conijcio potius Celanenſem pro Calenenſi mendosè ſcriptum: faciliima enim eſt huiuſmodi etiam in pronunciando tranſpoſitio literarum. Age nunc: Iulianus ab Epiſcopatu deiectus Capuano, appellari cœpit à locis, in quibus vel vt ciuis, vel vt erro, & profugus verſebatur: quærebat miſer locum, vbi con-*


Digitized by Google

*tra ſuæ damnationis ſententiam Epiſcopus haberetur: miſer in pertinacia ſtetit, donec Leo Papa, S. Proſpero adiuuante, omnes conatus damnati viri omninò fregit anno 444.*

*Ex his itaq; apparet nullum eſſe efficax argumentum, vt cogamur Iulianum à ſerie Capuanorum Epiſcoporum expungere.*

## De Concilio Capuano,& S. Ambroſio, ex eiuſdem ſancti Ambroſij. Epiſtola 1. lib. 10. quæ eſt 78.

A AMbroſius Theophilo. Non (A) habet q̃ vrgeat Euagrius, & habet quod metuat Flauianus, ideoque refugit examen. Dent Fratres veniam dolori iuſto, quia propter ipſos vniuerſus Orbis concutitur, & illi tamen noſtro non compatiuntur dolori. Perſtringi ſaltem ſe æquanimiter ferant ab ijs, quos vident ſua per tantorum curricula temporum vexari intentione. Inter hos etenim duos nihil, quod ad Christi pacem pertineat, eligentes, grauis toto Orbe ſtabat diſcordia. Cui bonæ pacis naufragio
B ſancta Synodus (B) Capuenſis tandem obtulerat portum tranquillitatis, vt omnibus per totum Orientem daretur communio, Catholicam confitentibus fidem, & duobus iſtis tuæ ſanctitatis examen impartiretur fratribus, & conſacerdotibus noſtris Aegyptijs pariter conſidentibus:
C quia hoc verum iudicium futurum arbitrati (C) ſumus, quod neutri parti ſociata communione aliquo fauore propenderet. Cum ex his igitur æquiſſimæ Synodi conſtitutis ſperaremus iam remedium datum, finemque oblatum diſcordiæ, ſcribit ſanctitas tua iterum fratrem noſtrũ Flauianum ad precum auxilia, & Imperialiũ reſcriptorum ſuffragia remeauiſſe; fruſtra ergo tantorum ſacerdotum ſudatus labor, iterum ad huius ſæculi iudicia reuertendum, iterum ad reſcripta, iterum vexabuntur ſacerdotes ſenes tran-

Digitized by Google

transfretabunt maria, iterum inualidi corpore patriam peregrino mutabunt ſolo, iterum ſacroſancta altaria deſerentur, vt in longinqua proficiſcamur, iterum pauperum turbæ Epiſcoporum, quibus ante oneroſa paupertas non erat, externæ opis egentes, compellentur inopiam gerere, aut certè victum inopum itineris vſurpare. Interea ſolus exlex Flauianus (vt ille videtur) non venit, quando omnes conuenimus, fœnerator, & debitor inuicem ſibi occurrunt iſti ſibi non poſſunt occurrere, ſolus exſors Flauianus (vt ipſe vult) ſacerdotalis conſortij, qui nec Imperialibus decretis, nec ſacerdotum conuentui præſentiam faciat ſui. Nec tamen etiam hoc moti dolore, fratri Euagrio donamus ſpeciem bonæ cauſæ, qui eo defenſabilior ſibi videtur, quòd eum refugit Flauianus, aut quòd habere ſe alterum arbitratur æqualem, vterque alienæ magis ordinationis vitijs, quàm ſuis fretus; quos tamen nos in meliorem vocamus viam, vt malimus eos, ſuis potius bonis, quàm alieno vitio defendi. Qua de re; quoniam proprijs texuiſti literis poſſe typum reperiri aliquem, quo poſſit auferri fratrum diſcordia; cum ſancta Synodus cognitionis ius vnanimitati tuæ, cæteriſque ex Aegypto conſacerdotibus noſtris commiſerit, iterum oportet fratrē noſtrum Flauianum conuenias, vt ſi in eo perſeuerauerit, quod veniendum non putet, ſaluis Concilij Nicœni, ſed etiam Synodi Capuenſis ſtatutis, illibata pace vniuerſorum; ita conſulas, vt non videamur deſtruere quod ædificatum eſt: ſi enim quæ ædificaui deſtruo, præuaricatorem me ipſe conſtituo, ac ſi quæ deſtruxi iterum ædificem. Seruetur ergo impertitæ pacis gratia inter vniuerſos, & nihilominus declinatio partis alterius fruſtrandi effectum habere non poſsit. Sanè referendum arbitramur ad ſanctum fratrem noſtrum Romanæ (D) Sacerdotem Eccleſiæ, quoniā præſumimus ea te iudicaturum, quæ etiam illi diſplicere nequeant

quęant

C
C
D

queant: ita enim vtile erit conſultum ſententiæ, ita pacis, & quietis ſecuritas, ſi id veſtro ſtatuatur conſilio, quod communioni noſtræ diſſenſionē non afferat, vt nos quoq; accepta noſtrorum ſerie ſtatutorum, cum id geſtum eſſe cognouerimus, quod Eccleſia Romana haud dubiè comprobarit, læti fructum huiuſmodi examinis adipiſcamur. *Hactenus S. Ambroſius ad Theophilum.*

## NOTATIONES.

A NOn habet. *Cum Meletius Antiochenus Epiſcopus ab Acacianis hæreticis, imperante Conſtantio, propter fidem Catholicam in exilium actus eſſet, Lucifer Liberij Papæ legatus, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum Paulinum ordinauit: & ordinatio à ſancto Athanaſio, & Alexandrina Synodo recepta fuit, & approbata. At verò Antiochiam reuerſo Meletio Antiocheni Catholici inter ſe diuiſi, alij Meletio, ob ſpectatam eius ſub Conſtatio confeſſionem, inhærebant: alij Paulino communicabant; aſſerentes, Meletij ſedem ab initio vitioſam, quoniam ille communicans olim Acacianis, & Eudoſcianis hæreticis, ab illis è Sebaſte Armeniæ in Beracenſem Eccleſiam, & deinde à Beracenſi in Antiochenam tranſlatus eſſet. Hoc ſchiſma tempore Iuliani Imperatoris anno 362. conflatum, & Orientalibus Eccleſijs perniciosum, ſedari non poterat: quare anno 378. Antiochiam conuocata Synodus, remedium excogitauit, decreuitq; vt cum alteruter, Paulinus, vel Meletius moreretur, qui ſuperſtes eſſet, in locum demortui, nullo creato Epiſcopo ſucceſſore, ſolus remaneret illius Eccleſiæ Antiſtes: idque ſe præſtituros ſex illius Eccleſiæ presbyteri, qui ad gradum illum conſequendum propinquiores erant, iureiurando confirmarunt: At Meletio mortuo Flauianus contra iuſiurandum in eius locum ſuffectus eſt, & tum Paulino mortuo, in* eius

Digitized by Google

eius locum ordinatus eſt Euagrius. Quare ſchiſma perſeuerabat non ſine magno Eccleſiarum Orientalium damno. Coacta autem Synodo Capuæ, de hoc ſchiſmate tollendo actum eſt: Decreuit autem Synodus duo: vnum vt nemini Orientalium aſſertori Catholicæ fidei communio denegaretur, quamuis alij ab Euagrio, alij à Flauiano ſtarent: alterum, vt Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, cum cæteris Epiſcopis Aegypti cauſam cognoſceret, & diffiniret, diffinitamq; ad Romanum Pontificem referret. Ideo autem Synodus cauſam Theophilo delegauit, quia erat in Oriente Alexandrinæ ſedis præcipua auctoritas: & quia Theophilus cũ à neutra parte ſtaret, videbatur ſatis idoneus, qui ad illa diſſidia componenda ſequeſter accederet. Flauianus tamen Theophili iudicium refugit.

Capuenſis. Concilium Capuanum fuit generale ex Occidentalibus Epiſcopis, Romani Pontificis auctoritate congregatum: eius certum annum non habemus, etſi tempore Siricij Papæ celebratum fuiſſe non ambigitur. Baron. notans annum incertum, anno 389. de eo loquitur, mihi probabile videtur celebratum fuiſſe anno 392. nam Theodoſius Imperator Maximo Tyranno victo, Romam ingreſſus eſt anno 389. menſe Iunio, & Kalendis Septembris inde receſſit: & cum ad alias vrbes Italiæ, vel Orientis ſe contuliſſet, tandem Conſtantinopolim rediјt ann. 391. menſe Nouembri. Ille, dum Romæ commorabatur, querelas Syricij Papæ contra Flauianum, audiuit, & contra Flauianum commotus, illum Conſtantinopolim accerſiuit, & Romam proficiſci iuſſit: ille autem callida vſus tergiuerſatione, Romam ad iudicium minimè venit. Hæc cum ita ſe habuerint, non videtur Concilium Capuæ congregatum eſſe antequã Theodoſius Conſtantinopolim rediſſet, accitoq; Flauiano, iuſſiſſet, vt Romam proficiſceretur. Quando igitur Flauianus, eludens Imperatoris mandatum, Romam non venit, tunc B



Digitized by Google

*videtur indicta Capuana Synodus, & tunc Flauianus, Antiochiæ manens; literis Imperatorem interpellaſſe, vt ageret cum Occidentalibus Epiſcopis, in Oriente celebrari Synodum, ad quam ipſe cauſam dicturus accurreret.*

*Cæterum in hac Synodo Capuana non de Antiochena tantùm diſſenſione actum eſt, ſed etiam de cauſa Bonoſi cuiuſdam in Macedonia Epiſcopi, hæreſis accuſati, quòd impudentiſſimo ore illibatam Dei Genitricis Mariæ poſt partum virginitatem negaret cuius cauſæ cognitionem eadem ſancta Synodus delegauit Aniſio Epiſcopo Theſſalonicenſi, qui eam cum ſubiectis ſibi Epiſcopis cognoſceret. De huius cauſæ delegatione agit Epiſtola incerti Auctoris; S. Ambroſij Epiſtolis incerta, nempè ſeptuageſima nona, quæ eſt lib. 10. Epiſtola 2.*

*Fuit præterea in eadem Synodo Capuenſi ſtatutum ne fierent rebaptizationes reordinationes, & Epiſcoporum tranſlationes: qui Canon citatur à Concilio Carthaginenſi cap. 15.*

C A bitrati ſumus / Proficiſcamur / Conuenimus. } *Ex his ſatis apertè monſtratur S. Ambroſium veniſſe Capuam, & interfuiſſe Concilio.*

D Romanæ, &c. *Quis illo tempore ſummum geſſerit Pontificatum oſtendit Baronius probans fuiſſe Siricium: non enim potuit eſſe Damaſus Siricij deceſſor; ille namque ante creationem Euagrij, quæ contigit ann. 389. defunctus erat iam ann. 384. Neque potuit eſſe Siricij ſucceſſor Athanaſius; nam illo Pontifice, Theodoſius Imperator ſuperſtes non erat: quo quidem imperante celebratam fuiſſe Capuæ Synodum non reuocamus in dubium. Itaq; illo tempore erat Papa Siricius, qui contra Flauianum Synodi Capuenſis, & deinde Theophili iudicium refugientem, iuſtè commotus illum communione priuauit, donec per Theophilum actum eſt, vt propter Vniuerſalis Eccleſiæ pacem, illi Papa Siricius ipſe reconcilia-*

Digitized by Google

*ciliaretur, & communicatio, vt prius ab ipſo eidem impartiretur. De his omnibus fuſè Baron. tomo 4. in annotatis annis.*

*Sed age nunc, quis Capuæ Synodi tempore ſedebat Epiſcopus? Res quidem prorſus incerta: illo namq; tertio ſæculo hi tantùm leguntur Epiſcopi. Anno 313. Proterius, qui interfuit Romano Concilio ſub Melchiade Papa, vt habet Optatus lib. 1. & refert Baron. eodem anno num. 25. Deinde anno 314 ſeù 326. Protus, qui tempore ſancti Sylueſtri Papæ Concilia II. Arelatenſi ſubſcripſit: & cum ipſo Iuta, & Agrippa Diaconi pariter acceſſerunt, vt habetur in primo tomo Conciliorum. Tum inuenitur Vincentius Epiſcopus Capuæ ann. 346. Tandem circa annum 400. Memorius Epiſcopus collocatur. Itaq; Epiſcopus tẽpore Capuani Cõcilij ſedebat Capuæ, vel Vincentius, vel Memorius, vel aliquis alius intermedius. Vincentium oportuiſſet eſſe ſenem, plenum annorum, octogenariũ, & decrepitum: & cuius auctoritas tot in Concilijs, & Legationibus emituerat, potuit eſſe cauſa vt Papa Siricius Concilium indixerit Capuæ.*

## DE S. PLACIDO ABBATE.

*Ex Gordiano monacho apud Surium.*

TErtiodecimo Kalendas (A) Iunij Beatiſsimus Placidus, dimiſſus à Sancto Benedicto in Siciliam cum duobus famulis ſuis Gordiano, & Donato, aſcenſis equis, primo diluculo iter aggrediens, aduesperaſcente die Capuanam venit ad Vrbem, vbi benignè cum ſuis à Beato Germano eiuſdem ciuitatis Epiſcopo ſuſceptus eſt. Primicerius verò eiuſdem Capuanæ Eccleſiæ, nomine Zoſſius laborans valdè peſsima infirmitate capitis, quam Medici græco vocabulo Cephaliam vocant, vbi comperit illic adeſſe Placidum, Beatiſsimi Patris Benedicti diſcipulum, A

cuius iam per totum Orbem Romanum miraculorum fama radiabat, procidit ad pedes eius, dicens, adiuro te Placide ſerue Dei ſummi, per venerandum nomen pretioſiſsimi tui Benedicti, vt digneris ſuper caput meum manus tuas ſanctas imponere, ac preces Redemptori, & Saluatori omnium fundere: confido enim & conſtantiſsimè credo, quia ſi hoc feceris cõtinuò recipiam ſanitatem. Sanctus autem Domini Placidus ab eodem Primicerio talia cum verba audiſſet, pauore perterritus, omnimodis cõtradicere cœpit, dicens: (B) Recedite, quia hæc mea non ſunt, ſed Reuerendiſsimi Patris Benedicti, & illorum, qui Saluatori omnium placuerunt: ego enim peccator ſum, & perfectiſsimorum virorum ſuffragijs indigens. S. verò Germanus Epiſcopus vnà cum clericis ſuis, ſerui Domini Placidi ore hæc audiens, & Deo, & hominibus illum chariſſimum, ac dilectiſsimum prænoſcens, Primicerij precibus iunctus, pro eiuſdem languidi ſanitate illum rogare inſtantiſsimè cœpit. Vir autem Dei ſupplicationem tanti Patris minimè contemnendam ducens, erexit ſe, ſurgenſq; manum capiti eius impoſuit, & ad cœlos oculos eleuans, dixit: In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, cuius virtute, nihil læſus, ſum ereptus de aquis, à quibus trahebar, adiutus meritis & orationibus Patris noſtri Benedicti, ſi fidem habes tantæ credulitatis, reſtituat te Deus in priſtinam ſanitatem: cumq; omnes, qui aderant, reſpondiſſent Amen. confeſtim dolor capitis, quo per multos annos fuerat fatigatus, ab eo diſceſsit; cœpitq; laudare, & benedicere Deum, dicens: Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui me ſanum fecit meritis, & interceſsionibus Reuerendiſsimi Patris Benedicti per Sanctum Placidum diſcipulum eius. Itaq; dum Beati Placidi ſanctitas per ora omnium volitaret, quidam cœcus, inopinato vociferantis populi clamore percuſſus, ſollicitè interrogare cœpit,

B

pit,

pit, quid hoc eſſet: Qui cum reſpondiſſent, quòd Placidus diſcipulus Beati Benedicti veniſſet, cœcus fide feruens, duci ſe ante Beatum Placidum fecit, rogansq; eum per ſanctum, & terribile nomen Domini, & obteſtans, vt ſuis ſanctis precibus ſanitatem à Domino impetraret; Sanctus autem Domini Placidus more ſibi ſolito in fletum erumpens, iuſſit eum adduci ad ſe, & cum appropinquaſſet, ſuper eius oculos ſignum ſalutiferæ crucis faciens, orauit ad Dominum, dicens: Mediator Dei, & hominum Ieſu Chriſte, qui ideo de cœlis ad terram deſcendiſti, vt ſedentes in tenebris, & vmbra mortis illuminares, qui Reuerendiſsimo magiſtro noſtro Benedicto tantam gratiam contuliſti, vt omnibus languoribus, & vlneribus ſubueniret; tu per ipſius merita huic cœco lumen reſtitue, vt videns magnalia tua, te Patrem, & Dominum veneretur, & adoret. Expleta oratione Sanctus Domini conuerſus ad cæcum, dixit: In nomine ipſius, qui Solem, & Lunam in Cæli ornamento conſtituit, & cæco nato oculos, quos natura negauerat, condonauit, adiutus meritis Sanctiſsimi noſtri Benedicti, ſurge ſanus, & incolumis, & prædica omnibus mirabilia Dei. Ad hanc vocem ſanus exurgens, ac improuiſo ſanguine manante de lumine, ſalutem ſuam oculi mirabiliter receperunt: mox verò vt lucem conſpexit, ad eius veſtigia ruens, pedes illius, inſatiatus gaudio, deoſculari auidiſsimè cæpit, pariterq; Gordiano, & Donato præ compaſsione deflentibus, qui laudabant magnalia, qui eidem cæco oculos reſtituit. Hæc quidem præſente Sancto Germano Epiſcopo geſta ſunt Inde quoque Sanctus Domini dum receſsiſſet, ac iuxta ciuitatem (C) Calatiam iter ageret, &c. C

# NOTATIONES.

A TErtiodecimo Kalend. Iunij. *Ideſt die vigeſimo Maij; annus autem erat quingenteſimus trigeſimusſextus, vt ex eodem Gordiano, & Philippus Goto Meſſanenſis quoq; notauit. Credo tamen fuiſſe annum 35. vel 34. nam ſanctus Placidus dicitur hoſpitatus Canuſij apud ſanctum Sabinum: Sabinus autem anno 536. menſe Maij, & ſequentibus Conſtantinopoli pro Agapito Papa legatione fungebatur. Baron. tom. 7.*

B Recede. *Hinc apertè colligitur ſanctum Placidum antea nullum ediſſe miraculum*: Capua igitur hoc bonore digna fuit, vt ſancti Placidi prima ſigna conſpiceret.

C Galatiam. *Et hinc non obſcurè colligitur, ſanctum Placidum Caſſino Capuam incedentem, tenuiſſe viam, quæ ducebat ad pontem Caſilini, ideſt ad locum, in quo ſita noua Capua eſt, & inde progreſſum, recta via perueniſſe ad portam Capuæ, quæ dicebatur porta fluminis: ſi viam tenuiſſet, quæ ducebat ad pontem, qui dicitur hodie pons ruptus, à tergo montis ſancti Nicolai, & inde per viam (vt opinantur Appiam) ad vrbem Capuam acceſſiſſet; altera die, eadem regrediens via, & iuxta Calatiam iter agens, deuium, & longiùm feciſſet iter. An fortaſſe pro Calatia ſcribendum fuerat Galatium, ſeu Galitia? An iter Appiæ hic erat? An ſanctus Placidus ab Appia declinauit, & minùs frequentem viam tenere voluit? planè de Appia per Capuanum territorium excurrente dubia ſententia, dubios hic etiam facit.*



Digitized by Google

## Ex Epiſtolis Sancti Gregorij Papæ lib. 2. epiſt. 24. Ind. 11.

GRegorius Petro ſubdiacono Campaniæ. Queritur Feſtus & Coepiſcopus noſter à ſuis ſe clericis, ac quibus deſpici, atq; contemni: pro qua re experientiæ tuæ præcipimus vt tranquilla eos adhortatione conuenias; quatenus ſedatis ſi quæ fortè odiorum cauſæ ſunt, moneas eos & Deo placita charitate concilies: vt ille quod filijs decet, impendat; & illi quod Patri oportet, exhibeant. Si quæ verò aliæ cauſæ ſunt prædicto Epiſcopo, te impendere præcipimus, ſalua tamen iuſtitia, & æquitate, ſolatium [illegible] Feſtus. *Etſi Feſtus in hac Epiſtola non dicitur Epiſcopus Capuæ: eum tamen eſſe, apparet ex alijs Epiſtolis & præcipuè ex 26. lib. 4. ex qua etiam colligi poteſt cauſam contemptus, de quo querebatur, fuiſſe vnam ipſius auaritiam.*

### *Lib. 4. Epiſt. 22. Ind. 13.*

GRegorius Gaudentio Epiſcopo Nolano. Quoniam Feſtus Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopus in Romana ciuitate poſitus, de hac luce migrauit, curæ nobis fuit, quæ vniuerſis Eccleſijs à nobis impenditur, ad Fraternitatem tuam præſentia ſcripta dirigere, vt memoratæ Eccleſiæ viſitator accedas: ſic tamen, vt nihil de prouentionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſterijſque, vel quidquid præfati loci eſſe patuerit, à quoquam præſumi patiaris: ſed omnem vigilantiam, atque cautelam circa clerum plebemq; eiuſdem Eccleſiæ exhibere te conuenit, vt in vigilijs obſequioq; Eccleſiaſtico ſedulè, ac deuotè debeant deſeruire, quatenus Fraternitatis tuæ inſtantia, atque adhortatione, tales ſe in ſeruitio diuino exhibeant, vt irreprehenſibile eorum valeat obſequium reperiri.



Digitized by Google

## Epiſtola 13.

GRegorius Clero Eccleſiæ Capuanæ, degenti Neapoli. Quoniam Feſtus, Capuanæ Eccleſiæ Epiſcopus hic poſitus, de hac luce migrauit, curæ nobis fuit deſtitutæ Eccleſiæ viſitationem Fratri, ex Coepiſcopo noſtro Gaudentio, Nolanæ ciuitatis Epiſcopo, ſolemniter delegare: cui dedimus in mandatis, vt nihil de prouentionibus clericorum, redditu, ornatu, miniſterijſq; à quoquam vſurpari patiatur: cuius vos aſsiduis adhortationibus conuenit obedire, quatenus in Eccleſiaſtico obſequio, atque in Dei laudibus vigilanti debeatis cura perſiſtere, moreſque veſtros ſub digna Eccleſiaſtici regiminis diſciplina componere, nec quiſquam veſtrum eius audeat præceptionibus obuiare, ſed omni tam Eccleſiaſtica obſeruatione, quam etiam Eccleſiæ veſtræ cuſtodia, eius prouiſionibus obedientiam exhibere; quatenus dum eius regimini veſtra fuerit obedientia accommodata, & Eccleſiæ veſtræ in nulla negligatur vtilitas, & eius cura propenſior.

## NOTATIONES.

FEſtus. *In aliquibus codicibus legitur Sixtus, mendoſè tamen: & illi ipſi codices habent Feſtum in* Epiſtola *26. hoc verò mendum fuit in cauſa, vt quidam in Catalogo* Epiſcoporum *Capuæ Feſtum, & Sixtum inter ſe diſtinctos numerarint.*

Migrauit. *Vt Baronius computat, Feſtus obijt Romæ anno* 595.

Viſitator Viſitationem. *Archiepiſcopus Cæſar Coſta dicebat Viſitatorem fuiſſe vt hac ætate commendatarius ad certum tempus.*

Eccle-

Eccleſiæ veſtræ. *Itaq; Capuanus Epiſcopus habebat Eccleſiam ſibi ſubditam in vrbe Neapoli: hanc Eccleſiam ſequens Epiſtola nominat Presbyterium: Ergo non eſt nouum in vna Ciuitate, vel Diœceſi eſſe Eccleſias alterius loci Epiſcopo ſubditas, & à iuriſdictione Epiſcopi loci, in quo conſiſtunt exemptas.*

## Lib. 4. Epiſt. 26. Ind. 13.

GRegorius Gaudentio Epiſcopo Nolano. Qui Eccleſiaſticis famulantur obſequijs, Eccleſiaſticum, vt poſſibilitas exigit, debent adipiſci ſubſidium: proinde Fraternitatem tuam præſentibus hortamur affatibus, vt clericis Capuanæ Eccleſiæ, qui in ciuitate Neapolitana conſiſtunt, quartam in presbyterio eorum, de hoc, quod ante Eccleſiæ ſingulis annis acceſſerit, iuxta antiquam conſuetudinem diſtribuere ſecundum perſonarum ſtudeat qualitatem, quatenus aliquod ſtipendiorum habentes ſolatium, miniſterium, officiumq; ſuum circa eandem Eccleſiam deuotiori mente pernoſcantur impendere. Præterea decem ſolidos, quos Ruſtico Archidiacono ſuo Feſtus Epiſcopus ſupraſcriptæ Eccleſiæ abſtulit; Fraternitas tua, omni ceſſante ambiguitate, reſtituat, qui in tantam dicitur paupertatem perueniſſe, vt conferendum illi potius eſſet, quam aliquid ab eo auferendum: durum enim eſt, & procul a ſacerdotis officio, perſonam poſitam ſub neceſſitate negligere, & ſtudio congregandi indecenter inhiare pecunijs.

## NOTATIONES.

PResbyterio. *Presbyterium dicitur ille locus, in quo ſacerdotes, & reliqui clerici conſiſtunt, quando miſſæ*



Digitized by Google

*celebratur: qui ſolet etiam dici, Sacrarium, & Sancta Sanctorum: locus nempè in capite Eccleſiæ, ſub abſide, cancellis ſeptus: ita docet Canon Clementis Papæ apud Grattianum, de conſecratione diſtinct. 2. cap. 30. & Canoniſta de vita, & honeſtate cler. cap. 1. Presbyterium quoq; dicitur ipſa congregatio ſacerdotum. Hinc Cornelius Papa ad Cyprianum* (omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium) *Et planè Papam contrahere presbyterium nihil aliud eſt (vt Baron. notat tom. 2. anno 254. quàm congregare Eccleſiam: & ſicut hodie dicimus, facere conſiſtorium. In hac igitur Epiſtola ſancti Gregorij, presbyterium per Synecdochen, ideſt ex parte, totam poteſt Eccleſiam ſignificare, vel ipſam presbyterorum congregationem quam hodie nominamus Capitulum: ſed vtrouis modo accipiatur, ſenſus eſt vnus, & idem: ſignificatur enim clericis Capuanis Neapoli degentibus, & inibi Eccleſiam cuſtodientibus diſtributiones conferendas eſſe.*

GRegorius Ioanni Epiſcopo Syracuſano.Glorioſi filij noſtri Cetegus, atq; Flora iugales, pro certis cauſis ſuis Maximum virum clariſſimum Palatinum priuatarum, ad Siciliam tranſmittentes, decem libras auri Reuerentiſſimo fratri noſtro Baſilio Capuanæ ciuitatis Epiſcopo, qui illic iam eſſe dignoſcitur, ſuis vtilitatibus profuturas, dari de penſionibus, Eccleſiæ patrimonij, voluerunt: in quorum reſtitutione, nè qua mora fieret, aut difficultas fortè contingeret, quantitatem ipſi dilectiſſimo filio noſtro Bonifacio tradiderunt: & ideo quia noſtros nos filios, & præſertim vbi damnum minimè ſentit Eccleſia, non conuenit contriſtare, his Fraternitati tuæ mandamus apicibus, vt ſupraſcripto fratri, Coepiſcopoq; noſtro Baſilio, & Maximo, viro clariſsimo, ſecundùm voluntatem prædictorum filiorum noſtrorum Cetegi, atque Floræ

glo-

glorioſarum perſonarum, decem libras auri ſine tarditate poſt ſubditam de ſuſcepto paginam, dare debeatis: quatenus dum nulla in accipiendo eis mora prouenerit, & illi mandata ſibi, vt nouerint, vtiliter exequantur, & pars Eccleſiæ rationabiliter ſit munita.

## NOTATIONES.

PAlatinum priuatarum. *Omnes ex familia Imperatoris dicebantur Palatini, id eſt in palatio militantes: ſed erat in palatio peculiaris quidam ordo eorum qui Palatini vocabantur: erant minores Comitibus, atq; his qui erant Agentes in rebus. Ad diuerſas prouincias pro diuerſis negotijs mittebantur: alij dicebantur Palatini ſacrarum largitionum: alij Palatini priuatarum, id eſt deuoti, & deputati à Principe rei ſuæ priuatæ. De his in Codice Iuſtiani lib. 12.*

Baſilio. *Baſilius Feſto ſucceſſit. Obijt Feſtus annos 595. & hæc Epiſtola ſcripta fuit à ſancto Gregorio ann. 600. ante quem annum oportet Baſilium fuiſſe creatum Epiſcopum.*

Bonifacio. *Cetegus, & Flora cum dent pecuniam Bonifacio Diacono, curanti patrimonium in Campania, vt illa ex patrimonio Siciliæ ſoluatur Epiſcopo Capuano, coniectare licet perſonas illas glorioſas vel indigenas, vel ſaltem aduenas fuiſſe Capuæ.*

## Lib. 8. Epiſt. 11. Ind. 3.

GRegorius Romano Defenſori. Perlatum ad nos, reuerentiſsimum Fratrem noſtrum Baſilium Epiſcopum, velut vnum de laicis, in cauſis ſæcularibus occupari, & Prætoria inutiliter obſeruare: quæ res quoniam & ipſum vilem reddit, & reuerentiam ſacerdotalem annihilat,



Digitized by Google

ſtatim vt experientia tua hoc præceptum ſuſceperit, eum ita ad reuertendum diſtricta exequutione compellat, quatenus ei illic te inſiſtente, quinq; diebus ſub qualibet excuſatione immorari non liceat, nè, ſi quolibet modo eum ibidem moram habere permiſeris, cum ipſo apud nos grauiter incipias eſſe culpabilis.

## NOTATIONES.

GRegorius. *Hæc Epiſtola ſcripta fuit eodem anno, quo ſuperior, ideſt anno ſexcenteſimo.*

Prætoria. *Loquitur de Prætorijs Siciliæ, in qua Romanus Defenſoris officium exercebat, vt ex epiſtola 1. lib. 8. manifeſtè patet.*

Compellat. *Hinc vide quàm execrabile à Sanctiſſimo Pontifice haberetur Epiſcopum apud ſæculares Principes immorari: at verò paruiſſe Baſilium ex eo conſtat, quod anno ſequenti 601. tertio Non. Octobris Romæ cum ipſo ſancto Gregorio in Concilio fuerit, vt legitur lib. 9. cap. 22.*

### Lib. 11. Epiſt. 4. Ind. 6.

GRegorius Adeodato Abbati Neapolitano. Quantum benè diſpoſitæ Fratrum congregationi animus noſter ex interni deſiderij intentione congaudet, tantum ex deſtitutis, & penè in deſolatione poſitis, vt paſtoralis ſolicitudinis eis citius cura ſubueniat, vehementi mœrore concutitur. Monachi ſiquidem monaſterij, quod Crateras dicitur, Neapolitanæ vrbi è vicino fundati, porrecta nos petitione informaſſe noſcuntur, locum ipſum ita penè funditus ſeruorum Dei obſequijs deſtitutum, vt vix illic remanſerint, qui loci ipſius ſolummodo valeant eſſe cuſtodes: ob quam rem lachrymabiliter ſupplicantes a nobis

Digitized by Google

bis popoſciſſe noſcuntur, vt monaſterio veſtro ipſum iungere monaſterium deberemus, quatenus per ſolicitudinem tuam, & deinceps ſuccedentibus alijs, locus ipſe, auctore Deo, regulari valeat ordinatione diſponi. Sed dum huic rei, Fratrer, & Coepiſcopus noſter Baſilius Capuanæ Eccleſiæ præſens fuiſſet inuentus; extitit valdè contrarius, aſſerens locum ipſum olim monaſterio alij Dioeceſis ſuæ, fuiſſe coniunctum, & idcirco minimè in alterius Eccleſiæ ius debere contradi. Contra quam obiectionem Neapolitanæ rurſus clerus Eccleſiæ, multò eſſe aliter, quam dicebatur, oppoſitis allegationibus replicabat. Quibus diuerſa ſentientibus, nè conſtituere quidquam dubiè videremur, deputatis cognitoribus, inſtituimus inter eos eſſe iudiciũ, quibus renunciãtibus manifeſta ratione cõperimus Fratrẽ, & Coepiſcopum noſtrum Baſilium, nullum in prædicto Craterenſi monaſterio ius habere. Quo cognito, monachis pia poſcentibus, neceſſariò duximus præbere conſenſum. Præſentibus itaq; præcepti noſtri auctoritate, Craterenſe monaſterium cellæ veſtræ conſtituimus vniendum: hoc præcipuè commonentes, vt locus ipſe ita cum diuino ſolatio per vos deinceps debeat ordinari, quatenus dùm ab hoſte licuerit, deputati a vobis illic monachi debeant iugiter in Dei laudibus permanere: perturbationis verò tempore intra vrbem, in cellam quippè propriam reuocari. Res verò omnes eidem monaſterio competentes diligenti volumus cura perquiri, atque recolligi, eaſque vt tibi viſum fuerit, aptè diſponi, nihilque quod eidem monaſterio competit, a quoquam detineri permittas; ſed omnia in ius Eccleſiæ, quippè iam tuæ reformare non negligas, vt cunctis ſalubri ordinatione diſpoſitis, quæ Deo placita, & noſtra ſunt auctoritate ſuffulta, perpetuis, maneant inconuulſa temporibus.

N O.

## NOTATIO.

*HAEc Epiſtola ſcripta fuit anno 603. & quoad res Capuanas pertinet, inſinuat illo tempore Baſilium fuiſſe Epiſcopum Capuæ: & iam tum in Eccleſia Capuana extitiſſe monaſteria monachorum.*

## DE CAROLO MAGNO.

*CArolus Magnus Imperator, huius nominis primus, apud Francigenas intra Sanctorum numero ſcribitur & colitur: de eo Maurolycus, & Galeſinus, & Molanus ad Vſuardum, Ianuarij die 28. P. Natalis lib. 11. cap. 94. Baron. tom. 9. anno 814. num. 84. & Ferrarius in nouo catal. Hic Magnus Imperator Capuam venit anno 787. Quid hic egerit Baron. ex Regino ita refert.*

Hoc anno Carolus Magnus Romam venit, & à Pontifice Adriano ſuſceptus, ibi aliquot dies moratus eſt: quod cum audiſſet Heregiſius *(ſeù Arichiſius)* Dux Beneuentanorum, timore perterritus, miſit Romoaldum filiũ ſuum cum magnis muneribus ad Regem, poſtulans pacem, & promittens ſe omnem voluntatem eius facturum; ſed his ſuaſionibus minimè Apoſtolicus credidit, ſed magis exhortatus eſt Regem vt Beneuenti fines intraret, quod & fecit. Et cum Capuam veniſſet Heregiſius, reliquit Beneuentum, & Salernum ſeceſsit, ibiqueſe muniuit: & exindè miſit filium ſuũ Grimoaldum (nã Romoaldum Rex ſecum retinebat) cum magnis muneribus, offerens obſides, & promittens omnem fidelitatem, tantùm ab impugnatione ceſſaret: Tunc Rex cum conſilio fidelium, & ſacerdotum, nè penitus Epiſcopatus, & Monaſteria deuaſtarentur, elegit duodecim obſides præter filium ſupradicti Ducis Grimoaldum,

moaldum, & accepit munera, & iurauerunt omnes Beneuentani, & reuerſus eſt Romam, ibique celebrauit Paſcha cum Præſule Sedis Apoſtolicæ.

*Tempore Caroli Magni inſignis habetur Gregorius Preſbyter Capuanus, qui Hadriano Papæ ſignificauit Arechiſij Ducis Beuentani conſilium, de vocando in auxilium contra Carolum Imperatorem Græco. Quo in tumultu Capuani Hadriano Papæ & S. Petro iurauerunt. Hæc poſt ann. 787.*

## DE SANCTO NILO.

*Ex eius vita Baron. tomo 10. ann. 980. & 991.*

SAnctus Nilus origine Græcus, natione Calaber, profeſsione Monachus, & munere Abbas, notatur in Romano Martyrol. die 26. Septembris. Hic cum iam cognouiſſet oculo ſuo prophetico Saracenos Calabria potituros, diuinæ indignationi locum dare volens, ad Orientales partes ſe conferre noluit, veritus opinionem, quam de ipſo habebant Orientales (ad ipſos enim etiam Imperatores Chriſti dilectos fama peruenerat virtutis Nili) & honorem fugiens, elegit inter Latinos agere vt ignotus apud eos. Quo verò magis ille hominũ gloriã fugere ſtudebat, tantò magis cæleſtis gloria ipſum exornabat, & omnes vt vnum ex Apoſtolis illum excipiebant, & parem venerationem illi tribuebant. Cum enim (A) Capuam veniſſet (vt alia omittam propter copiam) & maximo honore affectus eſſet tum a Principe ipſo Pandulfo, tum ab alijs nobilibus ciuitatis, adeo vt decreuerint ipſum ſibi Epiſcopum inſtituere, & res iam ſequuta fuiſſet, niſi mors Principem præoccupaſſet. Tunc verò cum vocaſſent Præpoſitum Monaſterij montis Caſsini (Aligernus erat iſte, ille Beatus) illi ſignificarunt vt daret Beato Nilo Monaſterium aliquod S. Patris noſtri Benedicti, quodcunque ipſe vellet. Beatus A

itaque

itaque Nilus cum ad inclitum illud Caſſinenſe monaſterium acceſſiſſet, & cum res ipſorum Caſſinenſium ſupra res Græcorum eſſet admiratus, deducebatur iterum ab ipſo Abbate, & ab inſignioribus eius Fratribus ad monaſterium, in quo vnà cum filijs ſuis permanere deberet:
B Illud autem erat S. Michaelis (B) Archangeli Vallis lucis nuncupatum.

Mortuò iam (vt dictum eſt) Pandulfo, qui erat Princeps Capuæ, eius vxor Aloara (C) dicta, non ſecus ac ſi
C maritus viueret, vniuerſæ regioni præerat, & dominabatur: Hæc dominij zelo, vel potius Satanica inuidia occupata, inſtigat duos filios ſuos, qui remanſerant vt interficerent vnum ex Comitibus, nepotem illius exiſtentem, quaſi potentia præſtantem, & ab omnibus honoratum: quod illi effecerunt: ipſa enim illius conſanguinea cum illum alloquutura ad ſe vocaſſet, & ipſe abſque malitia ad eam intraſſet, occaſionem opportunam eius rei nacti, eius filij proſilierunt in ipſum, & gladio interfecerunt. Horum mater, pœnitentiam ſimulando, accerſit ſupplex Beatum Nilum ad ſe, tanquam acceptura ab eo peccati dignam pęnitentiam. Beatus verò Nilus eius precibus annuens, cum ad ciuitatem veniſſet, currebant omnes ad vias publicas, vt viderent reuerendum eius aſpectum, & obtinerent eius benedictionem. Venit itaque ad palatium Aloaræ, quæ cum illum vidiſſet, tremens facta, procidit ad pedes eius, errorem ſuum confitendo, vt veniam obtineret. Ille verò, cum ipſam ſubleuaſſet, nè facias hoc, dixit, quoniam & ego homo ſum peccator, nec habeo facultatem ligandi, & ſoluendi: vade ad Epiſcopos, qui hæc iudicare poſſunt, & quodcumq; tibi dixerint illi, facito. Illa verò reſpondit, Epiſcodis peccatum meum confeſſa ſum, & illi præceperũt mihi, vt pſalterium legerem ter in hebdomada, & eleemoſynas facerẽ indigentibus: precor etiam



Digitized by Google

ſanctitatem tuam, ſerue Dei, vt à te audiam quod vtile eſt vt veniam obtineam peccati mei. Beatus Nilus reſpondit: Pſalterium percurrere, & dare eleemoſynam, tibi, & indigentibus vtilitatem affert, illi verò, qui occiſus eſt, ſalutem non confert, neque mœrorem eorum, qui plorant interitum eius, ſoluet: quid enim tantum das, quantum offendiſti? Si verò omninò volueris etiam à me humili conſilium accipere, & facere voluntatem Dei, ecce dico tibi (D) trade vnum ex filijs tuis, propinquis defuncti, vt de eo faciant quodcumq; voluerint, & ita à peccatis eris abſoluta: dixit enim Deus quod ex manu hominis fratris eius, eius requiram animam, ipſius videlicet hominis, & quicunq; fuderit ſanguinem hominis, pro illius ſanguine ſanguis ipſius fundetur: & iterum: Quicunq; gladium apprehenderit, gladio morietur: non enim tu es impotentior Saul Rege, nec Iudice Iephte, qui propria voluntate filios ſuos morti tradiderunt. Ad quæ illa reſpondit: non poſſum hoc facere, vereor enim nè aliquo pacto ipſum occidant. Tunc Beatus Nilus, zelo diuino plenus, reſpondit: Hæc dicit Spiritus ſanctus: ſanguis filij tui effundetur pro illo ſanguine, quem tu iniuſtè fudiſti, & peccatum non delebitur è domo tua in ſæculum, nec vllus amplius ex ſemine tuo imperabit huic ciuitati, ſed eijcietur, & conculcabitur ab hoſtibus ſuis, eo quod fiſa es potentiæ tuæ, & non didiciſti quod Dominus pauperes facit, & ditat; humiliat, & ſubleuat. Quibus illa auditis, cœpit flere, & lamentari: & cum impleſſet manus ſuas auro, offerebat illud Beato Nilo, putans ſe illum ita placaturam: ille verò ab omni affectu alienus re vera, neque lachrymis mulieris fractus, neq; captus auri copia, neque potentiam eius veritus, cum diſrupiſſet cubiculi velum, vt ceruus proſiliens abijt, & ſeceſſit in monaſteriũ ſuum: nec multum temporis interceſſit, & eius prædictio eſt effectum

D



Digitized by Google

E conſequuta, filius enim (E) iunior prædictæ Aloarę Principatus zelo maiorem fratrem in Eccleſia orantem, gladio interfecit: ille veròècontra à Rege Francorum hac de cauſa vinctus, in Franciam actus eſt.

## NOTATIONES.

A CVm enim Capuam, &c. *Hinc apertè colligimus tria, nempè & ſanctum Nilum non paucis diebus Capuæ detentum eſſe, quippè qui à Principe ſuſceptus,* Principis *obitum vidit: & Capuanam Eccleſiam illo tempore ſuo fuiſſe viduatam Paſtore: mortuus quidem erat* Gerbertus *tertius Archiepiſcopus & illo ipſo anno 980. vt Baron. computat, quo ſanctus Nilus Capuam venit, Capuæ Principem Pandulſum obijſſe: erat ille* Pandulſus *Capoferreus, qui Paldulſus nominatur in inſtrumentis antiquis.*

B Sancti Michaelis. *Caue mi Campane lector, nè dicas Eccleſiam ſancti Angeli ad Formam in monte proximo Capuæ: nam de Eccleſia, & Monaſterio Vallis lucis ſub titulo ſancti Michaelis apertè loquitur Chron. Caſſinenſe, habetq; illud eſſe in territorio ciuitatis Atinæ. Vide lib. 2. cap. 32.*

C Aloara. *Chronicum Caſſinenſe habet hanc* Principem *fœminam vixiſſe in honore ſuo annis circiter octo, & poſt eius obitum contigiſſe fratricidium Landulfi, homicidaque Laidulfi vltra montes exilium: quare ſecundus Beati Nili acceſſus Capuam contigit annum circiter 988. lege lib. 2. cap. 10 & cap. 15.*

D Trade vnum &c. *Hæc ſanctus ille (inquit Baron. ann. 991. num. 15) prophetico afflatus ſpiritu, vt patefecit euentus, benè conſuluit fœminæ illi, præſtare nimirum alterum filiorum aduerſariorum manu necari, quàm fratris, vt accidit.*

E Filius enim iunior. *Etſi in Chronico Caſſinenſi dicitur*

Lan-

Digitized by Google

*Landenulſus occiſus à Capuanis, & Laidulſus neci fraternæ conſenſiſſe; hoc tamen à prænarrata hiſtoria ex vita ſancti Nili non diſſentit; illa iuris attenta regula, vt qui per alium facit, per ſe ipſum facere videatur. Iure igitur in vita ſancti Nili dicitur frater minor pugione confodiſſe maiorem, quando vel ſuaſit, vel conſentit.*

## DE SANCTO HENRICO IMPERATORE.

*Sanctus Henricus primus Imperator, de quo Martyrologium Romanum agit die 14. Iulij. Capuam venit anno* 1022. *& Principem Pandulſum de ſancta Agatha Capuano Principatu priuauit. Res autem, vt in Chronici Caſſinenſis lib. 2. cap. 37. & ſequentibus legitur, ita ſe habuit.*

Melus Barenſium ciuium, imò totius Apuliæ primus, ac clarior erat, ſtrenuiſſimus valdè, ac prudentiſſimus vir: ſed cum ſuperbiam, inſolentiamque, atque nequitiam Græcorum (qui non multo ante, tempore ſcilicet Primi Ottonis, Apuliam ſibi, Calabriamque ſociatis in auxilium ſuum Danis, Ruſſis, Gualanis vendicauerant) Appuli ferre non poſſent, cum eodem Melo, & cũ Datto quodã æquè nobiliſſimo, ipſiuſq; Meli Cognato, tandem rebellant: verùm cum exercitui, quẽ Imperator (*Græcorũ*) illo tranſmiſerat, Barenſes reſiſtere non valerent, poſt non longũ tempus turpiter ſe, ſuaq; dedentes, eundẽ quoq; Melũ Græcis tradere nequiter conabantur: quod prudentiſſimus vir aduertens, vnà cum Datto clam fugit, & Aſculum intrauit, atque poſt paucos dies, timens nè etiam ipſi Græcis, qui eum obſidebant, contraderent; noctu egreſſus cum Datto pariter Beneuentum venit: inde Salernum, ac tandem Capuam, nullo interim otio indulgens, quin modis omnibus ſatageret qualiter Græcorum dominationem

 abijcere,

abijcere, atque ab eorum tyrannide ſuam poſſet patriam liberare. Interea Barenſes captam vxorem ipſius Maraldam, & filium Argiro, Cōſtantinopolim ad Imperatorem tranſmittunt: Dattus ad Caſsinenſem Abbatem Athenulphum veniens, cum apud eum vnà cum vxore, & filijs diebus aliquot commanſiſſent, demùm ob Henrici Imperatoris fidelitatem à Benedicto Papa in Turre de Gariliano flumine, quam idem Papa tùnc retinebat, poſitus eſt. Melus inter illa Capuæ commorans, cognito Normenorum aduentu (erant Normeni milites in habitu peregrino, qui à Ieroſolymis reuertentes, Salernum applicuerant, viri & ſtatura proceri, & ſpecie pulchri, & armorum experientia ſummi) mox illos accerſit, & illis de more militiæ protinus fœderatur, & è veſtigio Salernum, ac Beneuentum repedans, multos ſibi tàm Græcorum odio, quàm ſui gratia addictos aſſociat: ſtatimq; Græcorum terram ingreſſus, expugnare repugnantes viriliter cœpit. Tribus itaque vicibus cum Græcis, prima apud Arenolam, ſecunda apud ciuitatem, tertia apud Vaccariciam, campeſtri certamine dimicans, tribus eos vicibus vicit, multoſq; ex his interficiens, & vſque Tranum eos conſtringens, omnes ex hac parte, quas inuaſerant Apuliæ ciuitates, & oppida recipit. Quarta demùm pugna apud Cannas, Romanorum olim clade famoſas, Bolani Catapani inſidijs, atque ingenijs ſuperatus, vniuerſa quæ facilè receperat, faciliùs perdidit. Feruntur in ea pugna Normannorum ex 250. numero decem tantummodo cecidiſſe, de Græcis autem innumerabilem turbam occubuiſſe. Melus autem cernens auxilijs militum ſe deſtitutum, Normannos ſuperſtites partim apud Guaimarium, partim adud Pandulfum conſtituens, ipſe vltra montes ad Imperatorem abijt, vt ad expellendos Græcos vel ipſum pro ſe, ad has partes venire ſuaderet, ſi poſſet; vel

mili-

militum ab eo auxilia acciperet, ſi non poſſet.

Cum Capuanus Princeps latenter faueret Conſtantinopolitano Imperatori Baſilio, fecit interim fieri claues aureas, & miſit ad illum tam ſe, quàm ciuitatem Capuanam, imò vniuerſum Principatum eius per hæc Imperio contradens. Prædictus præterea Bolanus non paruam pecuniæ ſummam eidem Principi tranſmittens, rogat, vt ſi re vera fidelis Imperatori Baſilio eſſet, permitteret ſe ad capiendum Dattum tranſire. Permiſſum eſt, & armato nõ paruo exercitu, ad Garilianum venit, Turrem, in qua, Dattus nihil tale ſuſpicans, reſidebat, per biduum oppugnans, vi tandem cum omnibus, qui ſecum erant, comprehendit: & Normannos qui ibi fuerant, ab eodem Bolano prædictus Abbas multis precibus acquiſiuit. Dattũ verò nullo vnquam modo ab eius manibus eripere potuit, quem videlicet vinctum Barium reducens, poſt paucos dies inſutum Culleo, more parricidarum, in medio mari præcipitari mandauit.

His omnibus Auguſtæ memoriæ Imperator Henricus auditis, Græcorum ſcilicet inuaſione, Principis tergiuerſatione, Datti denique crudeliſsima nece, reputans amiſſa Apulia, ac Principatu Romam quoque ni maturaret, ac per hoc Italiam totam conſequenter ſibi etiam in proximo amittendam (cum iam Melus bis ad eum hac de cauſa profectus, vltra montes defunctus fuiſſet) minimè ampliùs remorandum ratus, anno Incarnationis Dominicæ 1022. immenſo valdè totius Regni congregato exercitu, Italiam venit, & ipſe quidem cum maxima eiuſdem exercitus parte per Marchias tranſit; Archiepiſcopum verò Poppum cum vndecim millibus (vt perhibent) armatorum, per Marſorum Regionem direxit: Belgrinum autẽ Colonienſem Archiepiſcopũ, cũ viginti millibus ad Principem, & Abbatem capiendum per Romam præmiſit:

ipſe

Digitized by Google

ipſe enim Abbas cum fratre Principe inſimulatus apud Imperatorem ſuper captione, & morte Datti plurimum fuerat.

Belgrinus interea, quoniam Abbatē non reperit (Conſtantinopolim quippè confugiebat, & in mare naufragium paſſus, atque demerſus eſt) verens nè & Princeps fratris exemplo, fuga ſimili laberetur, Capuam feſtinanter adijt, eamque mox vndique armato milite cinxit, Princeps autem metuens ciuium proditionem, quam pro certo facturos eos ſciebat, ſpontè ad Belgrinum exijt, ſeq; non ita vt dicebatur, Imperatori monſtrans eſſe culpabilem, iuſtitiam ſe coram illo de his, vnde inſimulabatur, facturum ſpopondit. Lætus Belgrinus, accepto ſub cuſtodia Principe, ad Imperatorem abijt, vbi iam ſuper Troiam, Græcorum ciuitatem, quam eodem anno idem Græci facere cœperant caſtra poſuerat. Exhilaratus, itaque de captione Principis Imperator, & aggregatis vniuerſis ſuis magnatibus tam Italicis, quàm Vltramontanis in eorum iudicium inducit, accuſatoribus innumeris præſentibus, & eius nequitiam in faciem ipſius obijcientibus. Decernitur vno omnium, pariq; iudicio, mortis illum debere ſubire ſententiam. Verùm Belgrinus, cuius fidei ſe idem Princeps commiſerat, dictam ſentētiam nimis grauiter ferens, ſupplex ad Imperatorem acceſſit, & multorum adminiculo fretus, tum orationibus, tum rationibus vitam ipſius obtinuit: ferreo tamen camo Imperator vinciendum, ſecumque in Germaniam aſportandum mandauit.

Veniens igitur Capuam Pandulfo Theanenſi Comiti tradidit principatum.

De

Digitized by Google

# DE N. SOLITARIO.

*Ex Chronic. Caſſ. lib. 2. cap. 82.*

EO etiam tempore quidam ſeruus Dei Neapolitanæ regionis in prærupta rupe iuxta viam publicam Solitarius habitabat: qui nimirum dum nocturno tempore pſalleret, & feneſtram Cellulæ, horarum explorator, aperiret, ecce videt multos nigros homines, tanquam æthiopes, iter carpere, & longo tractu onuſtos fœno Saumarios comminare: cumq; eos curioſus inquireret; qui eſſent, cuiuſque rei gratia hæc iumentorum pabula pararent: dœmones dixerunt, nequaquam eſſe pecoribus alendis, ſed fomenta potius ignium hominibus comburendis: præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulfum, quia iam decumbit. His auditis vir Dei, nuncium protinus ad mœnia Capuana direxit, qui veniens, Pandulfum iam mortuum reperit. Quo mortuo, mons Veſuuius in flammas erupit, tantaque ſulphureæ Reſinæ congeries ex ipſo Veſuuio protinus fluxit, vt torrentem faceret, atq; decurrente impetu in mare deſcenderet.

Pandulfum &c. *Hanc eandem hiſtoriam Petrus Damiani. Epiſtola 5. cap. 13. & 14. Baron. tom. 10. ann. 983, à Deſiderio Caſſinenſi Abbate ſibi narratam, ſcribit, & cum Pandulfo damnatum quoque Ioannem Magiſtrum militum Neapolitanæ ciuitatis, refert. Eius verba ſunt:* Præſtolamur enim in proximo Principem Capuæ Pandulfum, qui iam decumbit, & Ioannem Magiſtrum militum Neapolitanæ ciuitatis, qui adhuc viuit incolumis. Illo vir Dei præfatũ Ioannẽ impiger adijt, quæ viderat, queq; audierat, fideliter cuncta narrauit. Per idem tempus (A) Otto Imperator ſecundus aduerſus Saracenos præliaturus, in Calabriam feſtinabat. His igitur auditis, Ioannes ait: modo A

neceſſe

neceſſe eſt nos Imperatori occurrere, & cum eo ſimul de huius terræ ſtatu prouida conſideratione tractare: Porrò poſt Imperatoris abſceſſum ſpondeo, quia & ſæculum deſeram, & monachicum habitum ſumam. Vt autem probaret vtrum verum eſſet, quod ille narrabat, nūcium protinus ad mœnia Capuana direxit, qui veniens, Pandulfum iam mortuum reperit: Ipſe quoq; magiſter militum Ioannes, antequam iſtas partes Imperator attingeret, vix diebus quindecim ſuperuixit. Quo mortuo, Mons Veſuuius, vnde videlicet, geenna frequenter eructat, in flammas erupit: vt liquido probaretur, quia fœnum, quod à dæmonibus portabatur, nihil aliud fuit, niſi ignis trucis incendij, qui prauis, & reprobis hominibus debebatur.

*Hactenus ex Petro Damiano. At verò de Pandulfo damnato altera viſio ſcribitur, in eiuſdem Chronici lib. 2. cap. 60*

B (B) Quodam itaque tempore Sergius Magiſter militum, qui Neapolitanæ præerat vrbi, venatum in ipſo Paſchali Sabbato pergens, ſyluam ſuis cum pueris, vt apros caperet, eſt ingreſſus, tenſiſq; retibus ad inſequendos eos, ſe ſe cum canibus huc, illucque vnanimiter omnes per ſyluam diffunduntur: Sed antequam aper à retis laqueo fugiens inuolueretur, occupatus à venatoribus confoſſus, captuſ-que eſt: Cum autem hora iam tardior eſſet, & Sol ad occaſum vergens, atram vmbram iam penè induceret terris, prædictus Magiſter militum, nè noctis tenebris occuparetur, ſumpta quam cœperat, venatione cum omni clientela domum quantocius repedare cœpit, vni tantummodo puero, Pythagora nomine, vt retia colligeret, & ſe perniciter ſequeretur, imperauit. Igitur cum puer, qui relictus fuerat, collectis retibus, recto calle ſuum dominum ſequeretur, ſubitò duo monachi reuerendi admodum vultus, ei ſe in itinere obtulerunt: Cumq; timore exterritus, quinam eſſent, inquireret; illi, nè timeas, inquiunt, tantum-modo

modo ſequere nos. Cum itaq; aliquantulum ſimul per eandem ſyluam graderentur, venerunt ad quendam locum cœnoſum valdè, atq; horribilem aſpectu, ibique (C) Pandulſum Capuanum Principem (cuius ſuperius memoriam feci, qui non longo ante tempore defunctus fuerat) ferreis nexum vinculis, atque in illius cœno laci ad gulam vſq; demerſum, ei miſerabiliter oſtendunt. Interea duo nigerrimi ſpiritus, retortas ex agreſtibus viribus facientes, per gulam eum ligauerunt, ac in ipſam lacus profunditatem merſerunt, iterumq; ſurſum extraxerunt. Cumq; hæc ſæpius facerent, prædictus puer Pythagoras, tremula licèt voce, eum alloquitur, vt ſibi qua de cauſa talia pateretur, ediceret, ille verò flens, & eiulans, ad verba interrogantis pueri mox talè reſponſum protulit, dicens: Quamuis, ò puer, ex innumeris meis ſceleribus mihi plurima; & infinita pœna præparata ſit; tamen ob nullam aliam cauſam, hanc, quam cernis, patior pœnam, niſi propter aureum calicem, quem de monaſterio Beati Benedicti, ſacrilega ductus cupiditate, abſtraxi, eique etiam moriens reddere neglexi: ſed omnixè deprecor, ac per Ieſum Chriſtum Dominũ, & Saluatorem omniũ, cuius ego miſer præcepta contemnens, in hanc ſum voraginem mortis demerſus, te obteſtor, vt Capuam ad vxorem meam vel ipſe perges, vel nuncium dirigas, qui ei & tormenta, quæ patior, & vt calicem monaſterio Sancti Benedicti reddat, inſinuet. Et ille, quid prodeſt (inquit) ſi ei nunciauero, nõ enim quod te viderim, vel quod talia patiaris, mihi credit tura eſt. Cui ille reſpondit: hoc tibi ſignum ex mei parte denuncia, quòd Pandulfus Gualæ filius calicem ipſum pro pignore habeat, & vt datis ſolidis, quos ei debuimus reddere, illum recipiat, atque ſancti Benedicti monaſterio, omni poſtpoſita mora, reſtituat: abi celeriter, rogo, inſinuare nè differas. Quibus dictis, viſio illa ab oculis eius

 ablata

ablata eſt. Puer verò vt ſtatim domum regreſſus eſt, infirmitate detentus, intra paucos dies defunctus eſt: ea verò, quæ viderat, quæue ſibi dicta fuerant, omnibus ad ſe venientibus patefecit. Pandulfus etiam ipſe, qui cauſa pignoris calicem apud ſe habebat, hoc ipſo tempore, neſcio qua de cauſa, Neapolim pergens, & hæc omnia ex ore ipſius Pythagoræ ſe audiſſe mihi retulit, per quem quoque idem Pythagoras, vxori illius omnia, quæ de viro eius viderat, vel quæ ipſe ei mandauerat, Capuæ nunciauit. Illa autem ſibi potiùs, quàm marito conſulens, pretium, quod vir eius accommodauerat, reddere nolens, nec calicem recipere, nec monaſterio reddere curauit.

## NOTATIONES.

A OTto Imperator Secundus. P*andulfus, qui tempore Ottonis Secundi Capuæ dominabatur, fuit* P*andulfus, cognomento Caputferreum, vir admodum religioſus, qui Papæ Ioanni XII. à Romanis expulſo, fauit, quoue Principe monaſterio monachorum, atque ſanctimonialium Capuæ condita ſunt.* Hic *obijt anno 980. vt ex ſancti Nili Actis apparet. Quare cum aduentus Ottonis contra Saracenos contigerit anno 983. nullo modo dicendum eſt viſionem N. Solitarij ad hunc* P*andulfum Caputferreum pertinere poſſe. Bar. to. 11. ann. 1038. notauit manifeſtum errorem.*

B Quodam itaque. *Hæc narratio à Leone Hoſtienſi non ſcripta, ſed huc inſerta tantùm fuit: ab altero namq; ſcriptam eſſe demonſtrant illa verba:* Cuius ſuperius memoriã feci, qui non longo tempore defunctus fuit: & illa quoque ſe audiuiſſe mihi retulit. *Fuit ergo ſcripta à Deſiderio Abbate Caſſinenſi, vt habet adnotatio ad ipſum Leonis Chronicum.*

C Pandulfum, &c. P*ræter* P*andulfum Caputferreum fuit*

Pan-

*Pandulfus Comes Teani, Pandulfus de Sancta Agatha, & Pandulfus iunior, ideſt Pandulfi III. filius: ideo inquirendum eſt, an vtraq; viſio, ideſt ſolitarij, & Pythagoræ ad vnum, an ad diuerſos pertineat. Baronius videtur ſentire vtramque ad Pandulfum III. pertinere: ipſe tamen maximè vereor, nè vna ad filium, & ad patrem altera pertineat: Viſionem Pythagoræ ad patrem pertinere conſtat ex calice, quem furatus eſt Pandulfus (ſine dubio) pater, vt Chronicum, & adnotatio ſignificant; viſionem verò Solitarij pertinere ad filium, argumentor, ex eo, quod illa contigit anno 1048. ante quem annum Pandulfus pater obierat, vt ex inſtrumento quodam monaſterij ſancti Ioannis apparet.*

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, Triceſimoquinto anno Principatus Domini Pandolfi, & ſeptimo anno principatus Domini Landolfi filij eius, glorioſis Principibus: menſe Nouemb. ſeptimo Indictione. Ideoq; Ego mulier Sichelgarda &c. *Pandulfus hic nominatus, eſt quem dicimus Pandulfum filium, cuius annus 35. cum Indictione ſeptima menſe Nouembri, eſt annus ab Incarnatione 1038. & quia hic nominatur abſque patre, argumento eſt patrem ante illum annum, vel illo anno ante menſem Nouembrem obijſſe, & proinde viſio, quæ contigit anno 1049. ad patrem pertinere non poteſt.*

## DE S. LEONE PAPA NONO.

*Ex Chr. Caſſ. lib. 2. cap. 83. & 86.*

SAnctus Leo Papa IX. in Romano Martyrologio notatur Aprilis die decimonono. Hic ſanctus Pontifex ordinationis ſuæ anno tertio, ideſt anno Chriſti 1051. Capuam venit, & hinc Beneuentum, & inde Salernum perrexit, dehinc expellendorum Normannorum gratia vltra montes ad Imperatorẽ abijt, milites ab inde conducturus.

Reuerſus ab vltra montibus, adiunctis ſibi ferè cunctis partium iſtarum militibus, Apuliam, cum Normannis dimicaturus, perrexit, anno Domini 1053. Sed Normanni, Dei iudicio, extitere victores. Dehinc Hunifridus ad Papam venit, & in ſua illum fide ſuſcipiens, cum omnibus ſuis Beneuentum perduxit, promittens, vt quandocunq; Romam ire diſponeret, ipſe illũ Capuã vſque perduceret. Intrauit autem idem Papa Beneuentum in vigilia ſancti Joannis Baptiſtæ, & ſtetit ibi vſque ad feſtiuitatem ſancti Gregorij Papæ, ibiq; infirmatus, vocato prædicto Comite, Capuam ab illo deductus eſt, vbi per dies duodecim remoratus, accerſito tandem Abbate Caſſinenſi ſui itineris comite, Romam redijt, ac poſt non multos dies ſancto fine quieuit.

## DE S. GREGORIO PAPA VII.

S*Anctus Gregorius Papa VII. de quo Martyrologium Romanum die Maij 25. creatus Pontifex anno 1073. die 22. Aprilis, de quo ſupra, egreſſus ab vrbe menſe Iulio, & Laureto, Albano, Caſſino, Beneuentoq; aditis, tandem circa finem Auguſti Capuam venit, & hinc non abijt ante diem decimumquintum* Nouembris. *Capuæ conſiſtens ad diuerſos Epiſtolas dedit, & ad* Herlembaldum *Mediolanenſem militem, ita:*

Sciat prudentia tua Nos Deo miſerante ſanos, & lætos non ſine magna Sancta Eccleſiæ vtilitate apud Capuam demorari. *Hic ordinauit Iacobum* Calaritanum, *&* Conſtantinum *Turrenſem Archiepiſcopos, quibus & pallium dedit*, Hic *die* 24. *Septembris à Richardo Principe Capuano iuramentum fidelitatis ſub hac concepta forma verborum exegit.*

Ego Richardus Dei gratia, & ſancti Petri, Capuæ Princeps

Digitized by Google

ceps ab hac hora & deinceps ero fidelis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & Apoſtolicæ Sedi, & tibi Domino meo Gregorio vniuerſali Papæ. In conſilio, vel in facto, vnde vitam, aut membrum perdas, vel captus ſis mala captione, non ero. Conſilium, quod mihi credideris, & contradixeris, nè illud manifeſtum, non manifeſtabo ad tuum damnũ, me ſciente: Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, tibique adiutor ero ad tenendum, & acquirendum, & defendendum regalia ſancti Petri, eiuſque poſſeſſiones recta fide contra omnes homines, & adiuuabo te, vt ſecurè, & honorificè teneas Papatum Romanum, terram ſancti Petri, & Principatus nec inuadere, nec acquirere quæram, nec etiam deprędari præſumam, abſque tua, tuorumque ſucceſſorum, qui ad honorem ſancti Petri intrauerint, certa licentia, præter illam, quam tu mihi concedes, vel tui conceſſuri ſunt ſucceſſores. Penſionem de terra ſancti Petri, quam ego teneo, & tenebo, ſicut ſtatutum eſt, recta fide ſtudebo, vt illam Sancta Romana annualiter habeat Eccleſia. Omnes quoque Eccleſias, quæ in mea perſiſtunt dominatione, cum earum poſſeſſionibus dimittam in tuam poteſtatem, & defenſor illarum ero ad fidelitatem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Regi verò Henrico, cum a te admonitus fuero, vel à tuis ſucceſſoribus, iurabo fidelitatem, ſalua tamen fidelitate Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et ſi tu, vel tui ſucceſſores ante me ex hac vita migrauerint, ſecundùm quod monitus fuero à melioribus Cardinalibus, & clericis Romanis, & laicis, adiuuabo, vt Papa eligatur, & ordinetur ad honorem ſancti Petri. Hæc omnia ſupraſcripta obſeruabo Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & tibi recta fide: & hanc fidelitatem obſeruabo tuis ſucceſſoribus ad honorẽ ſancti Petri ordinatis, ſi mihi firmare voluerint inueſtituram à te mihi conceſſam. Actum Capuæ octauo Kalend. Octobris Indictione duodecima. Ex tom. epiſtolarum 3. &

Baron.

Baron.to.11. Eiuſdem S.Pontificis extat epiſtola ad Iordanum Richardi Principis filium,& ſucceſſorem, quæ ita ſe habet.

*Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Iordano Capuano Principi.*

SIcut nonnulli nouerunt, olim te nos admodum dileximus, & honorem tuum tam in præſenti ſæculo adaugere, quàm & in futuro ſeruare ſtuduimus hactenus. Exiſtimauimus enim te (vt nobilem deceret filium) fidem Beato Petro ſeruaturum, & decus ipſius in cunctis pro viribus tuis adaucturum. Verùm longè nos fefellit opinio, & qui de te nihil tale pridem quiuimus credere, nunc aduertimus de hac perfidia tua multos non fuiſſe mentitos. Ecce enim dudum nouercam tuam, & dominam contra ius, & fas de Eccleſia trahere inuitam, & reclamantem, eamque nubere nolentem, nuptijs tradere violentiſſimè præſumpſiſti: Epiſcopum, ad Apoſtolorum limina venientem, nuper auſus es impedire, & quod ferebat, more prædonum, auferre. Nouiſſimè Eccleſiam Beati Benedicti ſacrilego auſu intrare, deprædari, & violare non timuiſti, & qui bona Eccleſiarum (quoniam ferè cuncta quæ tenes earum ſunt) defendere debueras, tu potiſſimè temerator ipſarum, & dilaniator exiſtis. Quapropter ex parte Beati Petri monemus te, vt ſi ipſius iram, & Beati Benedicti indignationem non vis incurrere, ſuper his omnibus nobis iuſtitiam facias: quòd ſi contempſeris ad Dominum omnipotentem nos reclamabimus: de cuius miſericordia confidimus, quòd dabit nobis conſilium quid in tantam arrogantiam, & immoderatam ſuperbiam tuam facere debeamus. Datum Romæ 11. Kalend. Maij Ind. 2.

NO-

Digitized by Google

# NOTATIONES.

NOuercam. *Ergo Richardus Iordani pater, bigamus fuit: Inuenimus nomen vxoris Frideſſennam; primæ, an ſecundæ fuerit, ignoramus.*

Eccleſiam Sancti Benedicti. *De ſacrilegio commiſſo per Iordanum contra Caſſinenſem Eccleſiam loquitur Chronic. lib. 3. cap. 45. vbi ſunt in fine hæc verba* (Nam tanti auctor ſceleris poſtquam pecuniam accepit, lumen amiſit) *Principem factum eſſe cæcum intellexit, qui primus Chronicum ædidit.*

Ind. 2. *Fuit hic annus* 1079. *anno ſequenti* 1080. *Gregorius in Concilio Romano, canonem in altero Concilio anno* 1078. *contra Normannos inuadentes bona Sancti Benedicti latum, innouauit: quo anno* 1080. *Iordanus Princeps videtur correxiſſe commiſſum errorem, eo enim anno, vt Chronicum habet, generale præceptum Monaſterio Caſſinenſe fecit, & biennio poſt Eccleſiam ſancti Rufi intra Capuam eidem monaſterio obtulit.*

*Extat & altera eiuſdem ſancti Pontificis epiſtola ad Archiepiſcopum* Capuanum, *quæ* 25. *lib.* 9. *ita ſe habet.*

Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto in Chriſto Fratri (A) H. Capuano Archiepiſcopo, cæteriſq; (B) Principatuum Epiſcopis, qui Beato Petro obedientes, Chriſtianam Religionem conſtanter defendunt, S. & A. B.

A

B

COngratulamur dilectioni veſtræ, fratres chariſſimi, quoniam digni inuenti eſtis, qui pro Chriſtianæ religionis integra virtute, fortiq; conſtantia inimicitias, odiũ, & contumelias patiamini: ac optamus, vt de reliquo immobili robore perſeueretis, non modo vos ab illicita, & nefa-

Digitized by Google

C nefaria (C) excommunicatorum participatione abſtinentes, ſed & cæteros ſacerdotes ab eorum communione interdicentes. Si qui verò fuerint, qui contra interdictum veſtrum, & noſtrum contumaciter Miſſas & officia illis diuina celebrare ſubinde præſumpſerint, procertò habeant tales (annuente Deo) ſacris ſe miniſterijs, quæ indignè vſurpare non metuunt, in perpetuum abdicandos, & ſine ſpe recuperationis amouēdos. De cætero ſi quis veſtrum impiorum preſſuram ferre non valens, cupit ſecedere, nobis non diſplicet. Huiuſmodi ergo vel in poteſtatem (D)
D Ducis glorioſi, vel fratris eius poterit ire: aut ſi ad nos venire maluerit, nos charitate, qua debemus, eum libenter ſuſcipiemus. Qui verò alijs exemplum factus fortiter inter impios perſeuerauerit, ille proculdubio virtutis coronam gloriæque triumphum meritò maiorem, Domino largiente, percipiet.

## NOTATIONES.

A H. *Herueus non Hidelbrandus. Herueus enim (vt conſtat ex Chronic. Caſſinenſi) erat Archiepiſcopus anno* 1076. *hæc autem epiſtola, cum ſit in lib.* 9. *epiſtolarum Sancti Gregorij VII. ſcripta eſt anno* 1082. *Imò Herueus erat Archiepiſcopus* Capuæ, *quando Sanctus Gregorius VII.* Capuæ *in ipſo ſui ſummi Pontificatus initio commorabatur: ad illud namque tempus pertinere videtur quod* Chron. *habet lib.* 3. *cap.* 42. *verba ſunt:* Eodem tempore cum prædictus Papa Gregorius apud Capuam moraretur, clerici eiuſdem ciuitatis, inuidis apud eum quæſtibus vſi ſunt, dicentes: Eccleſiam ſancti Angeli, quæ olim fuerat iuris Capuanæ Eccleſiæ, iniquo concambio in ius Monaſterij noſtri tranſiſſe. Quam nimirum querimoniam idem Apoſtolicus oratu Deſiderij indiſcuſſam ma-



Digitized by Google

nere non patiens, per idoneos, ac veraces viros diligenter inquirere ſtuduit, vtrum concambium, quod precedem Eccleſia datum fuerat, conueniens eſſe videretur. Qui videlicet hoc ſtudioſiſſimè diſquirentes, inuenerunt, & probauerunt, quoòd Eccleſia ſancti Ioannis de Tandepaldi, quæ pro eodem concambio data fuerat, ſatis plus poſſeſſionis, & ornamentorum tempore concambij habuiſſet. Quod etiam Herueus eiuſdem ciuitatis Archiepiſcopus ſe veraciter cognouiſſe aſſeuerabat. Quo competenti teſtimonio, præmotæ litis omni dubietate ſublata, cenſuit præfatus Apoſtolicus, tam Archiepiſcopum, quàm & Capuanos clericos, in perpetuum ab hac quæſtione quieſcere, nullamq; vlterius de ipſo concambio litem mouere. C

Principatum. *Puto legendum* Principatus, *& intelligendum de* Principatu *Capuano: Princeps enim Salernitanus, in ſequenti epiſtola 26. a ſancto Pontifice chariſſimus appellatur, ideoq; non eſt cogitandum vel ipſum, vel ſubditos ipſius communicaſſe cum excommunicatis: Principatus autem Beneuentanus in Romana Eccleſiæ ditione tum erat, vt innuit Canon celebrati Concilij anno 1080. Scribit ergo ſanctus Gregorius Archiepiſcopo Capuano & omnibus Epiſcopis in Capuano Principatu conſtitutis. At quænam connexio Archiepiſcopi Capuani ad omnes Capuani Principatus Epiſcopos? magna ſanè; nam præterquam quod Capuana Metropolis conijcitur fuiſſe tam ampla prouincia, quàm erat amplus & Principatus ipſe; certum eſt Archiepiſcopos Capuæ illo tempore conſtitui ſolitos Legatos Apoſtolicæ Sedis, & Vicarios Papæ per totum Principatum, vt ex multis ſubſcriptionibus Archiepiſcoporum in inſtrumentis Thelauri obſeruare licet, talis igitur erat Herueus, qui Epiſcopis conſtitutis per Principatum, præponitur in ſalutatione Domini Papæ.* B A



Digitized by Google

C Excommunicatorum. *Quinam fuerint illi excommunicati? forſaſſe Ildimundus, & Landò Campanini, ideſt Campaniæ tyranni, de quibus Baron. ann. 1081. At inter excommunicatos fuiſſe Iordanum quoque Principem Capuæ diſertis verbis oſtendit epiſtola ſancti Gregorij ſequens* 1.27. *quæ habet* (Nam relatum eſt nobis, quòd Iordani, qui ſcienter periurus Beato Petro, & nobis, & ob hoc anathematis nodis legatus eſt, adiutorium faciant) *Neapolitani ſcilicet.* Hinc *appaet qualis, & quantus fuerit* Herueus, *qui* Capuano *Principi reſtitit.*

D Ducis. *Abſque dubio hic erat Dux Robertus Guiſcardus Normannorum Maximus, tum S.R.E. fidelis erat & Frater eius Rogerius, ille Comes Siciliæ Primus, & deinde Rex appellatus.*

d

*Ex Cron. Caſſ. lib. 3. cap. 64. 65. 66.*

A GRegorio Papa VII. (A) vita functo, & anno ferè tranſacto, quo in Apoſtolica ſede nullus Paſtor erat, & Guibertus Antipapa oues Chriſti ſuis cum ſequacibus, tunc circa Paſchalem feſtiuitatem, Epiſcopi, & Cardinales Romanæ Eccleſiæ de diuerſis partibus Romam conuenientes, & quotquot Catholicæ parti fauebant, congregati in Diaconia S. Luciæ, Deſiderium Card. & Abbatem Caſſinenſem elegerunt, & cum ille vehementer renueret, & rogatus, & obſecratus, vt onus ſuſciperet, vehementius ſemper recuſaret: Epiſcopi, & Cardinales, & alij omnes tantam electi duritiam ſtomachantes, ſtuduerunt vehementer cauſam perficere. Tandem itaque vniuerſi pariter vno conſenſu, & animo illum rapientes, inuitum, & renitentem attrahũt, & ad Eccleſiam prædictam S. Luciæ perducunt, ibique eum iuxta morem Eccleſiæ eligentes, Victoris (B) ei nomen imponunt: ſed quoniam hæc omnia

B

contra

Digitized by Google

contra eius voluntatem fecerũt, cappam quidem rubeam induebant, albam verò nunquam potuerunt eum induere. Poſt quatuor dies Romam egreſſus, venit Ardeam, & inde Terracinam, vbi Pontificatus inſignia ita dimiſit, vt per anni totius circulum, mentis ei propoſitum immobile perſtiterit, & ad nulla Cardinalium hortamenta flecti potuerit. Anno ſequenti, id eſt anno 1087. mediante quadrageſima, apud Capuam, Epiſcoporum Concilio congregato, cum prædictus electus vnà cum Epiſcopis, & Cardinalibus Romanis eidem Concilio præfuiſſet, Cencius etiam Romanorum Conſul, cum alijs nobilibus Romanis, & Iordanus Princeps, & Rogerius Dux cum omnibus ferè ſuis optimatibus interfuiſſent, poſt finem Concilij, rurſus inſperatè, & nihil eo de his ſuſpicante, cum multis precibus, lachrymiſq; à clericis, & laicis perurgeretur, immobilis perſtitit. Tandem cum Dux, & Princeps vnà cum Epiſcopis, cæteriſq; catholicis viris, flentes eius pedibus adiacerent, multis rationibus, & orationibus coactus, vix tandem ſuccubuit, & præteritam electionem, Crucis, & purpuræ reſumptione firmauit, 12. Kalend. Aprilis, Dominica in Ramis palmarum. Inde Caſſinum reuerſus, ibidem Pascha celebrauit: peracta feſtiuitate, cum Capuano, ac Salernitano Principe Romam perrexit.

## NOTATIONES.

PApa VII. *Hic Gregorius VII. electus anno* 1073. *illa primo anno ſui Pontificatus, Capuæ commoratus eſt quatuor ferè menſibus, id eſt Septembri, Octobri, Nouembri, & Decembri* plures ibi literas dedit, & Iacobum Archiepiſcopum Calaritanum, & Conſtantinum Turrenſem ordinauit, à Richardo Principe Capuano fidelitatis iuramentum exegit. Baron.



Digitized by Google

Victoris. *Hic eſt Victor, de quo ſuprà, agentes de Eccleſia ſancti Benedicti conſtructa Capuæ.*

## *Ex vita ſancti Anſelmi Cantuarieñ. Archiepiſcopi, ex Surio 21. Aprilis num. 38.*

VErùm quia calor æſtatis in partibus illis cuncta vrebat, & habitatio vrbis nimium inſalubris, ſed præcipuè peregrinis hominibus erat, Ioannes quidam nomine, olim monachus Becci tunc autem Abbas cœnobij ſancti Saluatoris Teleſſini, annuente Papa, ſuſcepit eum vt proprium patrem amicè, & duxit in ſuam villam Sclauiam nomine, quæ in montis vertice ſita, ſano iugiter aere, atq; tepenti, conuerſantibus illic habilis extat. Igitur habitatio noſtra in montis erat ſummitate locata, à turbarum tumultu inſtar ſolitudinis vacua. Quod Anſelmus aduertens, ex ſpe futuræ quietis exhilaratus, ait: Hæc requies mea, hic habitabo. Ad primum igitur conuerſationis ordinem (quem antequam Abbas eſſet, habebat, quemque ſe in pontificatu poſitum maximè perdidiſſe deflebat) vitam inſtituit, ſanctis operibus, diuinæ contemplationi, myſticarum rerum enodationi diu noctuque mentem intendens. Vnde chriſtianæ fidei amore permotus, inſigne volumẽ edidit, quod cur Deus homo, titulauit. Quod opus, ſicut in prologo eius ipſe teſtatur, in Anglia cępit: ſed hic, in Capuana videlicet Prouincia conſtitutus, abſoluit.

Inter hæc, omnia ſeſe omnibus faciens, cunctis pro poſſe ſubueniens, cunctos, qui ſe audire volebant, non conſiderata alicuius perſona, ad ſuum colloquium admiſit, ſingulis pro qualitate motæ quæſtionis benigna affabilitate, atque affabili benignitate ſatisfaciens. Quapropter fama illius in breui circumcirca percrebuit, & in dilectionem, atque venerationem eius cunctorum corda conuertit.

Qui-

Quicunque igitur eum videre, eiuſque potuit benedictionem habere, beatum ſe proprij cenſura iudicij æſtimauit. Monachus etiam, qui villæ ipſius pro Abbatis imperio cuſtos erat, quique nobis more boni hoſpitis in nonnullis miniſtrabat, conſiderans vitam, & actus patris, concepit apud ſe ſpem magni boni, & gratiam Dei in eo vigere, credidítq; quòd Deus multa libẽs faceret ob merita eius: homines autem Villæ multas incommoditates quotidie patiebantur pro penuria aquæ. In deuexo tamen latere montis puteus vnus nimiæ profunditatis habebatur; ſed ita ſingulis diebus exhauriebatur, vt ab hora diei nona nulla, quæ extrahi poſſet, in illo aqua vſque mane reperiretur. Cui incommodo frater ille ſubuentum iri deſiderans, rem Anſelmo, conquerentis more, innotuit, & ſuæ voluntatis ineſſe ſubiunxit puteum in ipſo, quo habitabamus, loco facere, ſi fortè Deus ſua pietate dignaretur hoc incommodum propulſare: laudat Anſelmus piam fratris voluntatem, & rem tentare ſuadet. Lætatur ille ad hæc, & rogat quatenus ipſe locum inſpiciat, ac præmiſſa prece, cum benedictione ſua primus terram aperiat. Adquieſcit ille precanti, nolens offendere volutatem hoſpitis ſui. Quid dicam? cernebatur miræ celſitudinis rupes, & quaſi dementia videbatur in tali loco fontem velle aquæ inueſtigare. Vadit tamen Anſelmus, nobis comitatus, ad locum, & ſupplici prece præmiſſa, hoceſt, vt abundantiam iugis, atque ſalubris aquæ Deus ei largiretur, tertiò feriens terram aperuit, & reliquo operi dare operam iuſſit. Perpauci dies cœpti operis tranſierunt, & ecce fons viuus è duritia rupis erumpens, ingenti cunctos ſtupore percuſſit. Nec mirum. Aqua enim, quam ſe Magiſter operis nec in plurimis diebus reperturum putabat, non mirum ſi ſtuporem incuſſerit breui reperta. Perfectus itaque puteus eſt, modicæ quidem profunditatis extans, ſed limpidiſsimæ



Digitized by Google

mæ, atque ſalubris aquæ iugi fonte redundans. Quæ res illico diuulgata, non paruæ admirationis fuit, & eam viri meritis omnis, qui audiuit, adſcripſit. Itaque puteus ille Cantuarienſis Epiſcopi vſque hodie ab incolis ipſius terræ vocatur. Ferunt autem hi, qui ad nos inde venerunt, quia multi diuerſis languoribus, ac febribus tenti, ſumpta in potu eadem aqua, priſtinæ ſanitati mox reſtituuntur.

His diebus Rogerius Dux Apuliæ ciuitatem Capuanā obſidebat. Qui fama viri permotus, mittens rogauit eum venire ad ſe; Aſcendimus, iuimus, & plures in obſidione dies exegimus, remoti in tentorijs à frequentia, & tumultu perſtrepentis exercitus. Erat autem vbi eramus, quædam Eccleſiola penitus deſerta, & iuxta oſtium ciſterna deſuper dirupta, magnæ profunditatis hiatum ſua diruptione prætendens. In qua Eccleſia velut in Camera, pro velle conuerſabamur, tam quieti, quàm operi in ea indulgentes, & Ducem ipſum cum ſuis nobiſcum ſingulis diebus, vt volebamus, in promptu habentes. Quadam verò nocte, cum in ea dormiremus, contigit Anſelmum ſui corporis neceſſitate ſilentio ſurgere, & nè inquietaremur, ſuo more lento pede ad oſtium tendere. Quod cum exiſſet, & immemor foueæ, per tenebras in partem diuertiſſet, in profundum cecidit clamoſa voce cadendo dicens, Sancta Maria. Ad quem ſonitum nos, ac ſocij noſtri, qui in tentorijs quieſcebant, expergefacti, lectis proſiliuimus, ac currentes hominem in profundo vidimus, & præ timore ſimul, & anguſtia cordis exanimati ferè ſumus. Quod ipſe percipiens, mox leuato capite, vultu iucundo, intuitu nobis innuit, nil læſionis ſeſe perpeſſum. Deſcendentes igitur quidam ex noſtris, ex altera parte ipſius præcipitij, qua via erat deſcendendi, eduxerunt eum à loco ſanum omninò, atque incolumem.

Cum poſt hæc ſedis Apoſtolicæ Pontifex Vrbanus illò

aduen-

Digitized by Google

aduentaret, & ei ab Anſelmo, & principibus totius exercitus obuiam itum eſſet, ingenti mundialis gloriæ pompa proſequutus, ductus eſt in tentorium, quod iuxta nos ſibi cæteris excellentius conſtitutum. Sicq; donec ciuitas in deditionem tranſijt, obſidio illius dominum Papam, & Anſelmum vicinos habuit, ita vt familia vtrorumq; magis videretur vna, quàm duæ, nec facilè quiuis declinaret ad Papam, qui non diuerteret ad Anſelmum: Papa namque colebatur à cunctis quemadmodum pater, & Paſtor communis; Anſelmus verò diligebatur ab omnibus ſicut homo manſuetus, & mitis, & cui ſuo iudicio nihil debebatur à quouis. In Papa denique ſupereminens vigebat cum dignitatis auctoritate poteſtas; In Anſelmo mira, & quæ cunctos demulcebat, pura cum ſimplicitate humilitas. Multi ergo, quos timor prohibebat ad Papam accedere, feſtinabant ad Anſelmum venire, amore ducti, qui neſcit timere. Maieſtas etenim Papæ ſolos admittebat diuites; humanitas Anſelmi, ſine perſonarum acceptione, ſuſcipiebat omnes. Et quos omnes? Paganos etiam, vt de Chriſtianis taceam; Siquidem nonnulli talium (nam eorum multa millia in ipſam expeditionem adduxerat homo Ducis Rogerus Comes de Sicilia) nonnulli, inquam, talium, fama bonitatis eius inter ſuos exciti, manſionem noſtram frequentabant, & ſumptis ab Anſelmo corporalibus cibis, gratioſi reuertebantur, admirandam viri benignitatem ſuis prædicantes, quam experiebantur. Vnde in tanta deinceps veneratione apud eos habitus eſt, vt cum per caſtra illorum, quæ in vnum locata erant, tranſiremus, ingens multitudo eorum, eleuatis ad cęlum manibus, ei proſpera imprecarentur; & oſculatis pro ritu ſuo manibus, proprijs etiam coram eo genibus flexis, pro ſua benigna largitate grates agendo, venerarentur. Quorum etiam plurimi, velut comperimus, ſe libenter eius doctrinæ inſtruendos

ſub-

Digitized by Google

ſubmiſiſſent, ac Chriſtianæ fidei iugo ſua per eum colla iniecißent, ſi crudelitatem Comitis ſui per hoc in ſe ſœuituram non formidaſſent: nam re vera nullum eorum pati volebat Chriſtianum impunè fieri. Quod qua induſtria, vt ita dicam, faciebat, nihil mea intereſt: viderit Deus, & ipſe. Dehinc ſoluta obſidione, Anſelmus multa prece Papam ad hoc flectere conatus eſt, quatenus ab onere pontificali eum abſolueret, & quieti liberum vacare concederet. Verùm cum, quantum quidem ad effectum ſpectabat, in nihilum laboraſſet, fretus benedictione eius, Sclauiam reuerſus eſt, opperiẽs ibi tempus Concilij, quod idem Papa apud Barum Kalend. Octob. erat celebraturus.

## DE S. IOANNE RAVENNATE
### *Monacho Caſſ. ex vita M.S. apud Caſſinum.*

TEmpore præfati Abbatis *(Geraldi)* dum Sennes Capuanæ Eccleſiæ præſul defunctus eſſet, ipſe Archiepiſcopus per viſum Abbati apparuit, cui Abbas ait: Num Sennes ille Capuanæ Sedis Epiſcopus tu es, qui nuper defunctus eſt? Cui ille: Ego ille ſum. Abbas inquit, quomodo tibi nunc eſt? ille verò, diù (inquit) eſt cum ignis cruciatibus torqueor: Sed ſi Ioanni de Rauenna, & Ioanni de Sancto Angelo, quorum preces, & ſuffragia ſicut incenſum in conſpectu Dei redolent, præceperis, vt pro me Redemptoris omnium hoſtiam ſalutarem offerant, his ſtatim eripiar cruciatibus. Quod cum illis Abbas iuſſiſſet, ac in ara viuificam hoſtiam obtuliſſent, iterum apparens, gratias pro tanto ſibi munere impenſo retulit: quibus dictis illico euanuit.

NO-

## NOTATIONES.

SEnnes. *Hic Sennes Archiepiſcopus Capuæ, erat per totum Principatum Capuanum Vicarius Domini Papæ. Hic cum pluribus alijs Prælatis, & Baronibus interfuit conſecrationi Gelaſij Papæ Secundi apud Caietam actæ anno.* 1118. *De hoc infra.*

Defunctus, &c. *In Kalendario Monialium S. Mariæ notatur obitus Sennetis die* 13. *Kalendas Decembris, id eſt, die* 19 *Nouembris. Is, quod certò inuenimus, vixit in Pontificatu ab anno* 1098. *vſque ad annum* 1118. *menſe Aprili.*

## DE IOANNE ABBATE.

*Ex Chron. Caſſ. lib. 2. cap. 21.*

IOannes Abbas Viceſimuſnonus, cum, relicta Abbatia, ſolitarius quodammodo viueret, tempore Theobaldi Abbatis defunctus eſt. Nocte illa religioſus quidam Frater, Ioannes nomine, in Monaſterio S. Laurentij, quod Capuæ ſitum eſt, cum, vigilias fratrum de more præueniens, orationibus eſſet intentus, ſubitò reſpiciens vidit quaſi ſuper montem Caſsinum, maximam lucem in aere, atque intra eamdem lucem, cernit Ioannis Abbatis animam cęlum conſcendere: cumq; facto mane cuperet reddi certus de viſione, perrexit ad Andream, qui tunc Monaſterio ſancti Benedicti intra Capuam præſidebat, eique viſionem, quam perſpexerat, pandens, obnixè rogat, vt hominem ſuum ad Monaſterium Caſsinenſe protinus mittat, qui omnem rei veritatem diligenter addiſcere, eiſq; reuertens debeat intimare.

Pergens itaq; nuncius, cum pars illi adhuc itineris ali-



Digitized by Google

qua ſupereſſet, quemdam obuium habuit, qui à Monaſterio Caſsinenſi Capuam ſe proficiſci diceret, vt præfati venerabilis viri Ioannis obitum Fratribus ibi degentibus nunciaret: quem, cum de hora obitus eiuſdem ſollicitè perquiſiſſet, ea illum hora ex hoc ſæculo migraſſe accepit, qua Capuanus ille Ioannes eius animam cœlum conſcendere, ſe vidiſſe, aſſeruit. Tunc ad illos, à quibus legati fuerant, vterque reuerſus, alter Capuæ Ioannis depoſitionem, alter verò Caſsini retulit, quæ ſuper illius obitu viſa fuerat, viſionem. Obijt autem 11. Idus Martij.

## NOTATIONES.

IOannes Abbas. *Hic Ioannes die 14. Martij, qui eſt dies obitus, notatur vt ſanctus in Martyrologio Benedictino. De hoc Ferrarius in nouo catalogo. At huius Abbatis tempore Monachi habitabant in Monaſterio Caſſinenſi, vt patet ex relato textu Chronicorum.*

## DE SANCTO FRANCISCO.

S*Anctus Franciſcus Aſſiſias in Apuliam pergens, Capuæ (vt certa traditio eſt) conſtitit, & tunc illi Capuanum* Capitulum *Eccleſiaſticum ad cœnobium inſtituendum obtulit: cœnobium tamen poſt eius mortem in* Eccleſia *ſancti Petri inſtitutum agnoſcimus: anno ſiquidem 1241. Eccleſia illa colebatur à clericis, & à Guillelmo de Danibele Canonico* Capuano *regebatur, & inſtrumentum aliud ſcriptum anno 1266. habet hæc verba:* Guillelmus de Archiepiſcopo Canonicus Capuanus, Cuſtos, & Rector Eccleſiæ Sancti Petri Apoſtoli, quæ dicitur ad Manteronem, quam modo tenent Fratres Minores, cuius Eccleſiæ omnes terras modo teneo, ſicut ipſas terras tenebam ante quam prædicta

cta Eccleſia ad prædictos Fratres Minores deueniret, declaro &c. *infra*: & ſpecialiter pro reparatione Eccleſiæ ſancti Petri ad corpus, cuius ſum Cuſtos, & Rector, quæ ſubdita, & annexa eſt prædictæ Eccleſiæ S. Petri ad Monteronem. *Igitur poſt annũ 1241. cœnobium ibi fuit inſtitutũ, & tã tũ cœpit illa conſuetudo, vt Feria Magni Paſchatis, Canonici ad Eccleſiam S. Petri procedant, Miſſã faciant, & ſinguli panem, vulgò tarallum, & arancium pomum à fratribus accipiant. Indè quoque factum, vt Eccleſia ſancti Petri vocaretur etiam ſancti Franciſci; ſicuti legitur apud ſanctum Bonauenturam, qui narrans, quòd ſanctus Franciſcus poſt mortem Capuæ miraculum geſſit, hæc habet.*

In ciuitate Capuæ, dum puer quidam ſuper ripam Vulturni fluminis cum pluribus iocaretur, incautus cecidit in profundum, quem fluminis impetus celeriter vorans, ſub ſabulo mortuum ſepeliuit: Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luſerant circa flumen, populoſa illuc multitudo conuenit: Cumque vniuerſus populus ſuppliciter, & deuotè Beati (A) Franciſci merita inuocaret, vt deuotorum ſibi parentum fidem aſpiciens, prolem à mortis periculo dignaretur eripere, nator quidam procul adſtans, clamoribus auditis, acceſſit, & poſt diutinam inquiſitionem, inuocato tamen Beati Franciſci ſubſidio, locum inuenit, in quo limus in modũ ſepulchri pueri cadauer obtexerat: quem effodiens, & extra deportans, dolens defunctum inſpexit: licèt autem populus, qui aſtabat, videret iuuenem mortuum; nihilominus tamen flens, & eiulans proclamabat: Sancte Franciſce redde puerum patri ſuo: ſed & (B) Iudæi, qui venerant, naturali pietate commoti, dicebant: Sancte Franciſce redde puerum patri ſuo: ſubitò puer lætantibus, & mirantibus cunctis, exurgens incolumis, duci ſe ad Eccleſiam (C) Beati Franciſci ſuppli- A B C

 citer

Digitized by Google

citer poſtulauit, vt gratias illi deuotus exſolueret, cuius ſe nouerat virtute mirabiliter ſuſcitatum.

## NOTATIONES.

A BEati Franciſci. *Sanctus Franciſcus obijt anno 1226. & inter Sanctos adſcriptus anno 1230. Itaque poſt hunc annum contigit miraculum modò narratum. Sciendum eſt autem, circa idem tempus canonizatos fuiſſe ſanctum Dominicum, ſcilicet anno 1233. & ſanctum Antonium de Padua, nimirum anno 1234. & S. Eliſabeth de Vngharia, nempè anno 1235. quos omnes canonizauit* Papa *Gregorius Nonus.*

B Iudæi. *Durat hac etiam ætate nomen loci ad Iudaica, & dicitur Eccleſia ſancti Martini ad Iudaica.*

C Eccleſia Beati Franciſci. *Eccleſia ſancti Petri illo antiquo ſæculo dicebatur ſancti Petri à Monterone: erat* Paro*chialis, vt ex instrumentis Theſauri anno 1270. 1271. deinde facto ibi cœnobio Fratrum Minorum, dici etiam cœpit Eccleſia Sancti Franciſci. Legi ego in antiquo inſtrumento Theſauri;* Et à Cuſtode Sancti Franciſci de Capua.

## DE S. THOMA AQVINATE.

*Ex vita præfixa ſummæ Theologiæ.*

A SAnctus Thomas de Aquino (A) habitu ſancti Dominici, in vita matre, ſuſcepto, Pariſios à quatuor fratribus aſportabatur: hoc vt eius germani Landulfus, & Raynaldus acceperunt, magna adhibita diligentia, in itinere comprehenderunt, atque matri miſerunt. Mater autem ipſum recipiens cum gaudio, cum non poſſet eum inducere ad dimittendum habitum, ipſum in caſtro ſuo, quod dicebatur Rocca Sicca, diligenter fecit cum cuſtodi-



Digitized by Google

ri vſque ad aduentum filiorum. Cum autem in ipſo caſtro detineretur, Mater, & fratres, vt ipſum inducerent ad deſerendum habitum, miſerunt ei (B) ſorores ſuas ad ſtandum ſecum, ad hoc vt eum retraherent ab Ordine Prædicatorum, & ad dimittendum habitum eorum: ipſe autem ſorores ſuas ſacras literas docuit, nam ibi perlegit totam Bibliam, & conuertit eas: nam ſororem maiorem, quam fratres ſui ſpecialiter miſerant ad ſeducendum ipſum, taliter conuertit monitionibus, & exemplis, quòd ipſa mundum reliquit, & intrauit Monaſterium Sanctæ Mariæ monialium de Capua, ordinis ſancti Benedicti, vbi propter ſuã ſanctitatem ſtatim fuit facta (C) Abbatiſſa, *& infra.* B C

Secundum exemplum de eleuatione mentis ſuæ fuit: quia cum quidam Cardinalis eſſet Legatus in Regno, & de F. Thoma audiſſet miranda, voluit ipſum videre, & habuit (D) Archiepiſcopum Capuanum, qui fuerat diſcipulus F. Thomæ, & dixit ſibi, quòd deberet ordinare ſic, quòd poſſet habere F. Thomam, & familiare coloquium: tunc ambo venientes ad domum Fratrum Prædicatorum fecerunt vocare F. Thomam: ipſe autem de ſtudio deſcendens, & tamen in ſua abſtractione manens, venit ad eos: & cum eſſet in medio eorum ſic eleuatus in mente, & abſtractus à ſenſibus, vt erat in camera, nihil loquebatur: & cũ Cardinalis, & Archiepiſcopus diù expectaſſent, quòd aliquid eis diceret, & ipſe taceret; tandem F. Thomas ſubitò oſtendit faciem hilarem, indicantem lætitiam mentis, & dixit. Modo habeo quod quærebam: cum autem nullum ſignum reuerentiæ ad eos oſtenderet, Cardinalis cœpit eum deſpicere, quòd videbat ſic manere: cui dixit Archiepiſcopus: Domine, non miremini, quia frequenter abſtractus, vt cum quibuſcunque perſonis ſit, non loquatur: & tunc traxit eum fortiter per cappam, qui quaſi de ſomno contemplationis euigilans, & aduertens ſe eſſe in medio D

tanto-

Digitized by Google

tantorum Prælatorum, inclinauit ſe reuerenter ad Cardinalem, quòd abſtractus diù non feciſſet eis reuerentiam. Interrogatus autem cur in illa abſtractione ſic lætā faciem oſtendiſſet, reſpondit de quadam quæſtione, ſuper quam diù cogitaueram, nunc pulchram rationem inueni, de qua exterior lætitia, quam oſtendi, manifeſtauit gaudium animi.

## NOTATIONES.

A DE Aquino. *Aquinum ciuitas Epiſcopalis Samnij in Campaniæ, & Latij confinio apud Fibrenum flumen, Genti, à qua poſſidebatur, dedit nomen: terra Principibus Longobardorum exactis, mos (Capuæ præſertim) obtinere cœpit, vt Domini locorum à locis ipſis nominarentur, & nomen à locis acceptum ad poſteros deriuarent: Hinc legimus Capuæ nobiliſſimorum familias de Roccaromana, de Caianello, de Preſenzano, de Aluetu, de Pretruro, de Balzorano, de Celano, atq; ita etiam de Aquino.*

*Hanc nobiliſſimam de Aquino Familiam Capuæ ortam, & hinc alio propagatam, argumenta non leuia perſuadent: & illud in primis, quod in Gente de Aquino duæ lineæ reperiuntur antiquiores; altera Comitum Acerranorum, & altera Dominorum Alueti, quas (ignorato licet earum proximo ſtipite) eſſe inter ſe collaterales, Agnatoſque non reuocatur in dubium: Nam exiſtente Capua capite Principatus, qui ciuitatibus, oppidiſque ſubiectis dominabantur, glorioſorum Principum erant Agnati, nati Capuæ reperitur Lando Comes in ciuitate Caluo fratrer Paldolfi Principis ann. 953. & Pandulfus Calatinus Comes, filius Landolfi Principis creditur: & Ionatas Comes Caleni erat Principis Iordani filius: & Rainulfus Comes Calatiæ Iordani Principis conſanguineus anno 1125. Id ergo de Antiquis*

*Comi-*

Digitized by Google

*Comitibus Aquini credere non erit temerarium: imò & hoc certum eſſe demonſtrat* Epigramma *paulò infra referendum.*

*Sed de Comitibus Acerranis accipe recentiora. Thomas de Aquino* Primus *Comes Acerrarum, Capuæ reſidebat ann.* 1237. *& cum monaſterio Sancti Ioannis contractum permutationis iniuit: permutatæ ſunt terræ, quas vtraque pars in Capuano territorio apud Lorianum poſſidebant. Thomas de Aquino Secundus* Comes *Acerrarum, ſepultus eſt in Eccleſia veteri Monialium Sanctæ Mariæ: legitur in ſepulchro affixo parieti. Anno Domini M. CC LXXXXI.*

Hoc opus fecit fieri Dña Gobitoſa Filia quondam Thomaſij de Aquino Secundi Comitis Acerrarum *& ſupra ſepulchrum.*

Nobilis Hęc Mulier Acerrarum Comitis nata
Fieri Fecit Opus hoc Gobitoſa vocata
Thomaſij II. dicendo de Aquino facundi

Anno Dñi MCC LXX XXI.

*Rudis inſcriptio, vt ferebat Aetas: ſignificat autem Mulierem Comitis Acerrarum Filiam feciſſe fieri opus (ideſt Tumulum) Thomaſij Secundi. De Thoma de Aquino Comite Acerrarum eſt Inſtrumentum Theſauri an.* 1259. *Præterea in* Kalendario *Mortuorum legitur,* Margarita Comitiſſa Acerrarum 21. Ian.

Domnus Thomaſius Comes de la Cherra 27. Febr.

Dña Gubitoſa de Laurito Comitiſſa Acherræ 1. Martij.

Dña Gubitoſa de Aquino filia Comitis Acerrarũ 1. Maij.

Iuditta Comitiſſa Cerræ 9. Iulij.

Gubitoſa de Aquino m̃ filia Comitis Acerrarũ 11. Iulij.

D. Iſabella filia Comitis Acerrani 4. Auguſti.

*Accedit ad hæc, quod Capua ann.* 1436. *Comiti Laureti, & Franciſco* Pannoni *antiquis, & maioribus ciuibus ſuis, ciuitatis Iura reſtituit, conceſſitq; vt priuilegijs, & gratijs omnibus fruerentur; licèt in ipſa ciuitate non habitarent.*

*Erat*

Digitized by Google

*Erat tunc Franciſcus Lauriti Comes Quintus, qui fuit filius Iacobi Comitis Quarti, qui fuit Franciſci Comitis Tertij, qui fuit Thomaſij Comitis Secundi, qui fuit Berardi Comitis Primi, qui fuit filius Chriſtophori Comitis Eſculi, qui fuit filius Thomaſij Secundi Comitis Acerrarum, & Fratrer Adinolfi Tertij. Hæc ab Ammirato: Conſtantius ſcribit, patrem S. Thomæ fuiſſe filium Thomæ Comitis Acerrarum: hinc coniectare licet cur ſoror S. Thomæ monaſterium Capuanum elegerit potiùs quàm Neapolitanum, vel alterius ciuitatis; elegit quippe Monaſterium in patria ſua.*

*Epigramma ex M. S. Caſſinenſi relatum à Capacio Hiſtoriæ Neapolitanæ fol. 600. ex quo apparet Comites Aquini fuiſſe origine Capuanos.*

Dormit Aquine tuus Comes hic, Caieta tuus Dux
 Magnus Atenolfus Capua, quem genuit
Magnanimus, ſapiens, fortis, pius, impiger, acer
 Vrnam iam mediam ſole tenente ruit.
Ad patriam cœli lux eſt, vbi vera diei
 Dextra beata Dei tendere donet ei.

*Adenulfus, de quo Epigramma, eſt ille, de quo Chron. Caſſ. fol. 278. nempè fratrer Landonis, & Siconolfi vt in arbore.*



Digitized by Google

**Rainaldus**

**Landulphus** — **S. THOMAS**

**Landulphus**

Thomas ✝

Rainaldus- Thomas-Adinolphus

**Thomas**
**1190. Comes**
**Acerrarum, & Aquini** } *Ex Conſtantio.*

**1150**

**Pandolphus**
**1127** — *L. 4 cap. 93. fol. 572.*

**Lando**
**1090.--1108.**

**Pandulphus** — ○ — **Landulphus**
— **Adenulphus** } *Ch. l. 4. cap. 14. fol. 480. 498.*

**Lando**
**1038.** } *Chr. fol. 278. L. 2. c. 78.*

*Ch. fol. 278.* **Adenulphus** **Comes Caietæ** *De quo Epigrāma.* — **Siconolphus**

**Andenulphus**

**Summucula**
**Comes Aquini**
**996.** } *Chr. fol. 204. l. 2. cap. 16.* **Abauus**

B Sorores ſuas. *Ex præcitata vita Sancti Thomæ duas ſorores illi fuiſſe conſtat, quarum altera ſancto fratri præmortua fuit, altera ſuperuixit: illa præmortua Sancto viuenti bis apparuit: primùm quando Pariſijs commoranti, ſignificauit ſeſe in Purgatorio detineri, & ſuffragia petijt: deinde Romæ quando ſe iam precibus eius à Purgatorio liberatam affirmauit: Illa ſuperſtes, Theodora nomine, Comitiſſa Caſtri S. Seuerini anno poſt mortem S. Thomæ 14. ab Abbate Foſſæ nouæ ſancti Fratris manum obtinuit. Ammiratus commemorat Mariam Dominam Marani, quod eſt oppidum in Aprutio, quondam Fratris Thomæ de Aquino ſororem: Verum ſiue vna, ſiue duæ fuerint illæ Dominæ ſæculares, cum Thomæ ſuperuixerint, conſequens eſt, vt certò dicamus illam præmortuam ſororem, fuiſſe illam, quæ ſcribitur ingreſſa in monaſterium S. Mariæ.*

C Abbatiſſa. *De hac Abbatiſſa in Monaſterio Sanctæ Mariæ monumentum nullum, ſed tantùm antiqua traditio: ſupereſt ibi Kalendarium mortuorum, continens plurium Abbatiſſarum nomina, lacerum eſt, & in lacerata pagina, huius Abbatiſſæ nomen ſcriptum fuiſſe oportet.*

D Archiepiſcopus. *Hic Archiepiſcopus Capacio eſt M. quem Regum Acta notant: nos dicimus eſſe M. ideſt Marinum Filimarinum Neapolitanum, qui fuit Archiepiſcopus ab anno 1244. ad 1284. Addimus ex eodem Capacio, Archiepiſcopum Capuanum Ingerannum Stellam canonizationi S. Thomæ interfuiſſe, & quarto loco oraſſe.*

## DE S. CATHARINA SENENSI, ET B. RAYMVNDO CAPVANO

*Ex Surio.*

IN vita Sanctæ Catharinæ Senenſis frequentiſſima eſt Patris Raymundi Capuani commemoratio. Hunc Raymundum

Digitized by Google

mundum religio Dominicana Beatum appellat, & veneratur. Hic ex familia de Vinea ortus, & ordinem Dominicanum ingreſſus, Capuæ habitum ſumpſit: vir Sanctus, & doctus, Theologiæ Magiſter effectus eſt: monaſterijs Virginum præfici ſolitus, monaſterium Montis Politiani aliquot annos gubernauit, eoque tempore Beatæ Agnetis Politianæ hiſtoriam, ex relatione quatuor diſcipularum eius, ſcriptis quibuſdam contexuit.

Tum ad S. Catharinæ Senenſis confeſſiones audiendas electus, vitam illius fideliſſimè ſcripſit, & quid ſibi ipſi acciderit verecundè commemorat.

Ait enim ſe initio, cum veniſſet ad eius familiaritatem multis modis de incredulitate fuiſſe tentatum, diuq; quadam fluctuatione iactatum, cum modis omnibus, quibus id poſſet fieri, cuperet explorare, num res eius eſſent a bono, vel malo ſpiritu. Rogabat autem (vt inquit) anxiè Deum, qui nec fallere poſſet, nec falli, vt ab ipſo dirigeretur. Interim ſubito ei venit in mentem, ſi ſanctæ virginis precibus obtineret â Domino inſolitam quãdam, & qualem nunquam eſſet expertus ob admiſſa peccata contritionem, id ipſi fore ſignum euidentiſſimum, à Spiritu ſancto omnia illius facta proficiſci: Nemo enim poteſt hunc habere dolorem, ſiue contritionem, niſi à Spiritu ſancto. Itaque acceſſit ad virginem, & eam impensè rogauit, vt à Domino ipſi impetraret veniam peccatorum: Illa hilariter reſpondit, ſe id libentiſſimè facturam: Addente autem Raymundo, ſe non poſſe frui quietè, niſi eius veniæ, ac remiſſionis certum obtineret ſignum, nempè magnã quamdam, & inſolitam contritionem; mox ſacra virgo annuit, ſe eam illi impetraturam. Videbatur autem tum Raymundo, eam omnes ſuas cogitationes habuiſſe perſpectas. Abijt deinde domum, & altera die morbo laborans, decubuit. Eodem tempore etiam ſancta virgo febribus, & alijs ægri-



Digitized by Google

tudinibus afflicta, decumbebat, aitque ad ſociam: Eamus viſum fratrem Raymundum, quia malè habet. Illa reſpondente non eſſe neceſſe: & ſi maximè foret, ſe peius illo valere: mox præter morem celeriter cum ſocia, abijt ad Raymundum, aitq; illi: Quid habes Pater? ille verò præ debilitate ægrè quippiam loqui poterat, ſed tamen adhibita vi, ait: Cur Domina huc veniſti? Peius tibi eſt, quàm mihi: illa incipiente ſuo more, loqui de Deo, & noſtra ingratitudine, non nihil confortatus Raymundus, aſſedit, nihil iam memor heſternæ petitionis ſuę, aut ſponſionis virginis: cumque illa loqui pergeret, oblata eſt menti Raymundi quædam inſolita cōſideratio peccatorum ſuorum, & quàm eſſet eorum cauſa ſine dubio reus mortis: E diuerſo autem cognitio benignitatis Diuinæ, quæ eum gratuita bonitate ab ea morte liberaret, ipſamq; mortem in vitam, & ignominiam commutaret in gloriam. Sub hac contemplatione ille præ multo cordis dolore tantam vim lachrymarum effudit, in eumq; rugitum prorupit, vt timeret, cor, & pectus diruptum iri. Id vt vidit ſacra virgo, quæ ea ſola cauſa venerat, conticuit, vt ille benè vbertim fleret, & ſingultiret. Interim Raymundus redijt in memoriam petitionis ſuæ, & promiſsionis virginis, vertenſq; ſe ad eam, dixit: Eſtne hæc bulla, quā heri petiui? (Bullam enim vocauerat certum ſignum obtentæ veniæ) illa reſpondit, ipſa eſt: addenſq; vt memor eſſet gratiæ Dei, abſceſsit, illo multum ædificato, & exhilarato.

Accidit deinde, vt virgo Chriſti, multis preſſa morbis, Raymundum ad ſe iuberet acciri, cōmunicatura illi quædam diuinitus ipſi reuelata. Venit Pater Raymundus, & adſtans illi decumbenti, atque febricitanti, audiuit illam more ſolito loquentem de Deo, & quæ illo die ipſi Dominus reuelaſſet, exponentem. Ibi rurſus referente illa grandia quædam, & alijs inuſitata, de quibuſdam cogita-

bat

Digitized by Google

bat apud ſe: Putaſne vera eſſe omnia, quæ dicit? & ſimulq; intendit in faciem loquentis, & ſubitò vidit faciem eius in viri barbati transformatam, qui fixis oculis in eum reſpiciēs, valdè illum terrefecit. Erat autem facies oblonga, ætatis mediæ, barba non prolixa, colore tritici, & maieſtatem quamdam præſeferens, vnde manifeſtè ſe Dominū oſtēnderet. Territus igitur Pater Raymundus, exclamauit; O quis eſt, qui me reſpicit? Reſpondit virgo, ille qui eſt: ijs dictis, mox facies illa diſparuit, & facies virginis rediit.

Pater Raymundus per id tempus, quo illa peſtis graſſabatur Senis, fidiſsimā nauauit operam cunctis, quibus adeſſe poterat, nec vllos ſibi vitandos putabat, licet morbus ille & aerem, & corpora aliorum ſua contagione inficiat. Animabat verò etiam illum S. virgo: ſed quia ſolus propè erat in tam magna vrbe, vix vllum aut cibi, aut ſomni capiendi dabatur ei ſpatium, tot ad eum peſte laborantium nuncij confluebant. Sed dum ſolus ferè, vt dixi, in tam ſancto opere eſſet occupatus, ipſe quoque ſenſit ſe apoſtemate peſtifero affectum; accedebat et febris, & dolor capitis, vt ſolet in eo morbo. Tum verò, vt potuit, cum ſocio iuit ad ædes ſanctæ virginis; quam cum non inueniſſet, in quodam ſe repoſuit lectulo, donec illa veniret. Venit illa, admouet manus ſuas Raymundi capiti, flexiſque genibus orat Dominum, & inter orandum videt Raymundus, vt ſæpè aliàs, eam mentis exceſſum pati. Cum ergo ſic ad dimidiam ferè horam permanſiſſet, ſentit Raymundus ex corporis ſui extremis partibus tanquam violenter quippiam extrahi, ſenſimq; ſe melius habere, adeo vt antequam ſacra virgo ſibi eſſet reſtituta, planè curatum ſe experiretur, interim tamen debilitate quadam remanente. Iuſſit autem ſacra virgo ei cibum parari, eoque ſumpto, voluit, vt pauliſper quieſceret. Quieuit ille, ſurrexit paulò poſt ita incolumis, ac ſi nihil mali paſſus eſſet; rediijtque ad priſtinos labores.

Quan-

Digitized by Google

Quantum Pater Raymundus in conuerſione animarum cum ſancta Catharina laborauerit, ex hoc quod ſcriptum reliquit facilè cognoſcemus. Vidi ego (inquit ille) nõnunquam vel mille, & eo ampliùs vtriuſque ſexus homines ad eam videndam, & audiendam confluere, ſoloque eius aſpectu ita ob ſua malefacta animo compungi, vt lugentes properarent ad confeſſarios, quorum vnus ego eram, & cum ingenti contritione ſua peccata confiterentur, & id crebro ita contigit. Quam ob cauſam Gregorius eius nominis XI. Romanus Pontifex, mihi, & duobus ſocijs meis eam dedit abſoluendi omnes ad eam venientes, & confiteri volentes facultatem, quam habent Epiſcopi. Et certè multi venerunt ad nos immanibus implicati facinoribus, qui vel nunquam pœnitentiæ Sacramentum ritè ſuſceperant. Itaque non rarò vſque ad veſpertinas preces ieiuni permanſimus, nec tamen audire potuimus omnes confiteri volentes: ſed virgo ſancta ſine intermiſsione orabat, & ita victrix capta præda, exultabat mirum in modum in Domino. Ita Raymundus Pater, etſi non planè iiſdem verbis, tamen eadem ſententia. Puto autem hinc luce meridiana clarius perſpici, quo ſpiritu hæc virgo ſanctiſsima plena fuerit, quæ tot animas ad Chriſtum adduxit: ſed ad alia pergamus, quamquam *Raymundus* palam teſtatur, plurimas ſanctæ virginis res geſtas ſe in ſcripta non retuliſſe.

Anno ſalutis milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimoquinto, ditiones omnes *Romanæ* Eccleſiæ Pontifici Gregorio XI. rebellarunt. Per id tempus ſancta virgo Piſis erat in domo quadam hoſpitali. Superueniente autem rumore de ciuitatis Peruſinæ rebellione, Pater *Raymundus* multo animi dolore incitatus, quòd nullus eſſet in hominibus Dei timor, nullus horrendi anathematis metus, nulla erga *Romanam* Eccleſiam, Eccleſiarum omnium



Digitized by Google

matrem, & magiſtram, reuerentia, meſtus ijuit ad ſacram virginem, & lachrymabundus ei narrauit, quid audiuiſſet de Peruſinis: illa videns multas eius lachrymas, dixit: Noli Pater ante tempus flere: multa adhuc lachrymarum materia ſupereſt: quod enim nunc cernis, lac, & mel eſt, eorum comparatione, quæ ſequentur. Et poſſuntnè, inquit Raymundus, peiora his accidere, quando videmus chriſtianos tam nulla erga Matrem Eccleſiam eſſe deuotione, & reuerentia? Quid ſupereſſe poteſt niſi, vt ipſius quoq; Chriſti fidem negent? Reſpondit ſancta virgo. Quod modo fit, laici faciunt: paulò poſt deteriora videbimus in clero, cum Pontifex cœperit in eorũ prauos mores animaduertere: excitabunt enim immane ſchiſma, & totam ſcindent Eccleſiam. Præpara igitur te, Pater, ad patientiam: tu enim iſthæc viſurus es. Huius ſchiſmatis initia fuere ſub Vrbano VI. ſucceſſore Gregorij XI. & durauit illud in annos plurimos.

Anno Domini 1380. Magiſter Raymundus electus fuit Bononiæ in Generalem magiſtrum ordinis vigeſimumtertium pro obedientia Vrbani VI.

Et quoniam Ordinis diſciplina peſtilentiarum occaſione relaxata nimis erat, ad reformandum Ordinem conuerſus, effecit, vt in vnaquaque prouincia ſaltem vnus haberetur conuentus, in quo ordinis inſtituta adamuſsim obſeruarentur, ſupra quod fundamentum deinde Conradus Theutonicus, B. Ioannes Cardinalis, & S. Dominicus Feſulanus ſuperædificarunt.

Feruente ſchiſmate contra Vrbanum VI. ille Pontifex decreuit ipſum magiſtrum Raymundum ad Gallias deſtinare, ſi fortè Regem Franciæ poſſet ab errore ſchiſmatis reuocare: quod cum inſinuaſſet Raymundus Catharinæ, quamuis ſibi grauis abſentia ſua, tamen non quærens quæ ſua erant, confortauit eum ad obedientiam, &

labo-

Digitized by Google

laborem illum alacriter ſumendum, dicens: Habeatis pro certo hunc Vrbanum eſſe verum Pontificem, ſummum ſucceſſorem Petri, & Vicariũ Ieſu Chriſti, quidquid dicant calumniatores hæretici, & ita volo, quòd exponatis vos pro hac veritate defendẽda, ſicut pro veritate Catholicæ fidei. Et cũ iter aſſumeret Raymũdus ad Gallias, Virgo prius diù eum allocuta eſt, multa ei referens; & quòd eã amplius in præſenti ſæculo non videret, prænuncians, prout euenit. Profectus eſt vſque Genuam, ſatis laborauit, ſed nihil profecit: quia ſchiſma ſecutum eſt, & diù permanſit: aliquid verò profecit functus legatione pro Papa Bonifacio IX. nam profectus vſq; Genuam, diſſidentes Italiæ Princeps, & ciuitates conciliauit; illa tamen concordia diuturna non fuit.

His Beatus rexit Ordinem Dominicanum annos nouem, & in conuentu Nurib ergenſi prouinciæ Theutonicæ, totus contractus ad Dominum, migrauit anno 1399. *Hæc ex Chron. S. Antonini parte 3. tit. 23. cap. 14. ex his quæ Italicè ſcripſit Razius, & ex libro ſtatutorum ordinis, & ex Surio tom. 2. & Bzouio anno 1380. & 1392.*

*Quia de Raymundo Capuano, Beato Ordinis Dominicani, facta mentio eſt, nolo præterire, Ordinem Eremitarum ſancti Auguſtini inter ſuos Beatos annumerare Capuanum ciuem. Is eſt*

*Frater Ludouicus Baccalaureus, qui doctrina, & admirabili ſanctitate claruit circa ann.* 1406. *De quo Ioſeph Pamphilus in Chronicis Auguſtinianis.*

PON

# DE SANCTO BRVNONE.

QVoniam in ſancto Anſelmo, & infra in Vrbano Secundo Pontifice de Capuana obſidione habetur mentio, ratio poſtulat, ne prætermittatur quod in ea ſancto Bruno abſens corpore, ſpiritu præſens egit. Rem ipſam enarrat Rogerius Calabriæ Comes in priuilegio quod ſancti Brunoni conceſſit, quodq; ita ſe habet. 3

In nomine Dei æterni, & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti; Anno ab Incarnatione eiuſdem milleſimo nonageſimo (A) octauo Indictione ſep ima. Glorioſus Rex Dauid Spiritu ſancto præuentus, narrabo, inquit, omia mirabilia tua: propter quod ego Rogerius diuina miſericordia Comes Calabriæ, & Siciliæ nota eſſe volo omnibus Fidelibus Chriſtianis beneficia, quæ mihi peccatori conceſsit Deus orationibus reuerendi mei fratris Brunonis piiſsimi Patris fratrum, qui habitant in Eccleſijs ſanctæ Mariæ de Eremo, & ſancti Stephani Protomartyris, quæ ſitæ ſunt in terra mea inter oppidum quod dicitur Stilum, & Arenam; Cum eſſem in (B) obſidione Capuæ Calendis (C) Martij, & præfeciſſem Sergium natione Græcum, Principem ſuper ducentos armigeros nationis ſuæ, & exercitus excubiarum Magiſtrum: qui ſatanica perſuaſione, præuentus prius, ipſi (D) Principi Capuæ promittenti auri non modicam quantitatem, ad inuadendum me, meumque exercitum noctu aditum pollicitus eſt ſe præbere. Nox proditionis aduenit, Princeps Capuæ eiuſque exercitus iuxta promiſſum eſt paratus ad arma: Dumque me ſoperi dediſſem intericcto aliquanto noctis ſpatio adſtitit cubili meo quidam ſenex reuerendi vultus veſtibus ſciſsis, non valens lachrymas continere, cui cum in viſu dicerem, quæ cauſa

A *ſeptima*

*viri*

B

C *Maij*

D

 plo-

ploratus, & lachrymarum eſſet, viſus eſt mihi durius lachrymati. Iterato quærenti mihi, quis eſſet ploratus, ſic ait: Fleo animas Chriſtianorum, teque cum illis ſimul. Exurge quamprimum ſume arma, ſi liberare te Deus permiſerit, tuorumque animas pugnato um. Hic mihi per totum videbatur velut ſi eſſet per omnia venerabilis Pater (E) Bruno. Expergefactus ſum cum terrore grandi pro viſione pauefcens. Illicò ſumpſi arma clamans militibus, vt armati equos conſcenderent, viſionem, ſi vera eſſet ſatagens comprobare. Ad quem ſtrepitum, & clangorem fugientes impius Sergius, eiuſque ſequaces ſubſecuti ſunt Principem Capuæ ſperantes ſe in dictam ciuitatem confugium habuiſſe. Ceperunt autem milites inter vulneratos, & ſanos centum ſexaginta duos, à quibus viſionem fore veram comprobauimus. Reuerſus ſum Deo volente viceſima nona Iulij Menſis Squillacium (F) per habita Capuæ ciuitate, vbi fui per quindenam cõtinuam infirmatus. Venit verò iam dictus venerabilis Bruno cũ quatuor de fratribus ſuis, qui me ſuis ſanctis, deuotiſque colloquijs conſolati ſunt. Cui reuerendo viro viſionẽ retuli, & humiles gratias egi, qui de me etiam abſente ſuis in orationibus curam habuiſſet. Qui ſe humilians aſſeruit non ipſum fore, quem credidi, ſed Dei Angelum, qui adſtat Principi tempore belli, Rogaui quoque ipſum humiliter, vt propterea de rebus meis in terra Squillacenſi ſumere dignaretur largos reditus, quos donabam, Renuens ille, recipere nolle dicebat, Quod ad hoc domum ſui patris, meamque dimiſerat, vt omninò de rebus extraneis liber deſeruiret Deo ſuo. Hic fuerat in tota domo mea, quaſi primus, & magnus. Tandem vix ab eo impetrare potui, vt gratis acquieſceret ſumere modicum munus meum, donaui

enim

enim eidem Patri Brunoni *& infra* dono enim tibi patri Brunoni, & ſucceſſoribus tuis in ſeruos perpetuos, & villanos centum duodecim lineas ſeruorum, & villanorum eorum filios in perpetuum vbicumque ſint, & morentur, cum omnibus bonis eorum; quos ad tui, tuorumque ſucceſſorum obſequia reſeruaui, qui inuenti ſunt apud obſidionem Capuæ, & proditionis conſortio Sergij peſtilentis, hos morti obnoxios in reuerſione mea Squillacium ſeruaueram diuerſis mortibus puniendos, ſed tuis poſtulationibus liberatos: *& infra* Hoc priuilegium ſcriptum eſt ſecunda Auguſti ab Incarnatione Domini 1098. indictione ſeptima, & confirmante venerabile, & ſanctiſſimo Patre Ioanne Squillacenſis Sedis Epiſcopo reſidente ibi iuxta fores Eccleſiæ, & concedente Adelaide coniuge mea: reſidentibus quoq; mecum, & teſtibus huius donationis &c.

## NOTATIONES.

*HOc priuilegium quod ex parte habetur apud Surium die quinto Octobris, & apud Baronium anno* 1097. *integrũ exſcriptum ex actis Regiæ Cameræ legendum mihi pro ſua humanitate tradidit Dominus Chioccarellus.*

1098. *Lupus Protoſpata editus à P. D. Antonio Caracciolo ſcribit annum* 1098. *fuiſſe Capuæ obſidionis annum: ſed non eſt recedendum à computatione Baronij, qui iuxta Gaufredi narrationem obſidionis annum notat* 1097. *Cui Anonymus Caſſinenſis cum eodem Protoſpata impreſſus conſentit; imò & hoc priuilegium adſtipulatur. En Rogerius ab obſidione Squillacium redit viceſima nona Iulij. Idem ſecunda Auguſti priuilegium hoc ſancto Bru-* A

*noni concedit : At quia inter priuilegij conceſſionem, & Rogerij reditum multi intercedunt dies, præſertim illi quindecim, per quos Rogerius infirmatur, à ſancto Brunone viſitur, de facienda donatione tractat; idcircò Iulius, & Auguſtus nominati menſes ad eundem annum pertinere non poſſunt, ſed Iulius cum ſua viceſima nona eſt anni* 1097. & *Auguſtus cum ſua ſecunda die eſt anni* 1098. *Quare priuilegium datum eſt proximè ſequuto obſidionem anno. Inquies, Annus ab Incarnatione ſecundus, menſe Aprili, vel Auguſto, eſt idem qui primus à Natiuitate, & proinde videtur priuilegium eſſe datum anno Natiuitatis* 1097. & *obſidio contigiſſe anno* 1096. *Profectò iuxta rigoroſam, & ſtrictam, vt aiunt, verborum ſignificationem, annus ab Incarnatione computatus, nouem menſibus antecedit annum Natiuitatis: re tamen diligentius conſiderata videmus Maioribus noſtris annum ab Incarnatione computatum fuiſſe idipſum tempus, quod nobis eſt annus à Natiuitate: Hoc ſatis maniſeſtè patet ex indictionibus, quæ ſingula ſingulis annis adſcribuntur. Rogo te, Si anno Domini* 1066. *menſe Martio adſcribitur indictio* 4. & *anno* 1071. *Kalen. Octobris Indictio nona, & anno* 1093. *indictio* 2. *ſeu potius prima; & anno* 1110. *menſe Iunio ind. ct.* 3. *quos annos intelliges à Natiuitate, an ab Incarnatione numeratos. Certè a Natiuitate, quia nato Chriſto Domino poſt annum tertium Indictiones, ſcilicet currente Indictione quarta nominatæ indictionis competunt annis à Natiuitate; vt patet ex regulis, & Tabula P. Clauij in Apologia Kalendarij Gregoriani: Age nunc ſi indictiones nominatæ attribuuntur annis ab Incarnatione, vt in Chron. Caſſinenſi lib.* 3. *cap.* 28. & 30. & *lib.* 4. *cap.* 9. & 35. *quid iudicandum niſi maioribus noſtris idem omnino fuiſſe dicere annum ab Incarnatione,*

ac

*ac à Natiuitate; alioquin omnia inſtrumenta eorum ætate fuiſſent inconſiderate conſcripta. In Fulcone Beneuentano, annis ab Incarnatione menſe Martio 1116. attribuitur Indictio 9. & 1118. Indict. 11. & 1120. Indict. 13. & 1122. Indict. 15. quæ quidem indictiones ſunt annorum à Natiuitate. In hoc Sanctuario noſtro legitur inſtrumentum in feſto ſanctæ Catharinæ habens annum Incarnationis 1383. diem ſecundum Nouembr. & Indict. 7. Bulla Epiſcopi Caſertani habens annum Incarn. 1113. & Indict. 7. priuilegium Papæ Alexandri habens annum Incarnat. 1173. menſem Martium Indict. 7. ſeu potius ſextam. Taſſa decimarum habens annum Incarnat. 1375. menſem Decembrem Indict. 14. At Indictiones illæ, omnes conueniunt annis à Natiuitate: ex millibus hæc pauca ſufficiãt vt concludamus à Maioribus nomen Incarnationis, & Natiuitatis confuſum eſſe: Ideoque annum Incarnat. 1098. notatum in priuilegio eſſe annum 1098. Natiuitatis qui proximè ſequutus eſt annum obſidionis ideſt annum 1097. Cæterum vt ex inſtrumentis, quæ legi obſeruare potui; apud Nos Capuanos nominandi annos à Natiuitate Ladislao Rege eſt incoboatus, & poſt mortem Ioannæ Secundæ prorſus inualuit. legi inſtrumentum habens annum ab Incarnat. 1409. menſem Ianuarium, Indict. ſecundam, Ladislai Regis ann. 22. legi alterum habens eundem ſed à Natiuitate dictum annum, cum menſe Octobri, Indict. textia, & anno Ladislai 23. vtrumque ab eodem Notario Chriſtophoro Vinceguerra ſcriptum. Legi inſtrumentum habens à Natiuitate 1415. menſem Octobrem Indict. nonam, Reginæ Ioannæ annum ſecundum: alterum habens annum ab Incarnat. 1418. menſem Februarium, Indict. vndecimam, Ioannæ Reginæ annum quartum: igitur vſus nominandi*

annos

*annos à Natiuitate paulatim inualuit. Hactenus.*

B Obſidio. *Cauſam obſidionis narrat Gaufr. lib. 4. cap. 26. verba ſunt.* Accidit vt Richardus Iuuenis Iordanis Principis filius, Princeps & ipſe Auerſæ, defuncto patre, orbus pupillus ſuperſtes, fraude Longobardorum vrbe Capuana iniuſtè jam dudum priuatus, cum iam ad intelligibilem ætatem perueniſſet, damnum ſibi illatum videns, & dolens, ac de auctoribus vltionem petere diſponens ad conſanguineum Comitem prudentes viros ſupplex illorſum, vt ſibi auxilium laturus accelerare non differat. *id ipſum in Chronic. Caſſinenſ. lib. 4. cap. 10. narratur ita* Capuani autem vbi mortem Principis agnouere (*Iordani, qui apud Pipernum deceſſerat*) contra Richardum ſupradicti Iordani Principis filium eiuſq; matrem conſpirantes Capuanæ ciuitatis munitiones capiũt, Normannoſque omnes vrbe depellunt: Richardus autem Auerſam vna cum matre recedens Ducem Rogerium in ſuum auxilium euocat, qui æſtiuo adueniente tempore cuncta Capuanæ ciuitati adiacentia flamma, ferroque conſumpſit, & tandiù eos expugnauit vſque quo Capuani neceſſitate coacti prædicto Richardo munitiones redderent, cumq; recipientes ſibi in Principem conſecrarent. *Nunc partim ex Gaufredo, partim ex Chr. Caſſinenſ. agnoſcimus à Richardo conſanguineos ſuos Rogerium Apuleæ Ducem, & Rogerium Siciliæ Comitem pariter in auxilium conuocatos, id quod Anonymus Caſſinenſis habet.*

C Martij. *Protoſpata habet comprehenſam eſſe Capuam à Rogerio Comite menſe Martio; Nota marginalis apud Baron. reſtituit* Maij. *Profectò cum Caſſinenſe Chronic. habeat obſidionem contigiſſe æſtiuo tempore, & Caſſinenſis Anonymus ſcribat obſidionem duraſſe per quadraginta*

*dies*

Digitized by Google

*dies; videtur omninò legendum* Maij *non* Maij.

Principi Capuæ. *Qui vocaretur ille Capuani Principatus occupator non inueni. Fortaſſe Scriptores occupatoris nomen contempſerunt: mihi videtur in hoc priuilegio appellatus eſſe Princeps Capuæ, qui vrbis Capuæ nomine, Capuanis militibus imperabat: vt in hoc ipſo priuilegio, Sergius dicitur Princeps ſuper ducentos armigeros conſtitutus, & Rogerius Comes à ſancto Brunone dicitur Princeps, cui in bello Angelus adſtitiſſet.* D

Bruno. *Hæc hiſtoria paucis comprehenſa recipitur in officio ſancti Brunonis, quod à Sacra Rituum Congregatione recognitum, & approbatum, Vrbanus Papa VIII. Romano Breuiario nuper addidit. Officij verba ſunt.* E
Cum idem Rogerius Capuam obſideret, eumque Sergius quidam Græcus excubiarum Magiſter prodere ſtatuiſſet; Bruno adhuc in dicta Eremo viuens, in ſomnis illi omnia aperiens ab imminenti periculo Ducem liberauit.

Perhabita Capuæ ciuitate. *Chron. Caſſinenſe videtur innuere obitum Iordani Principis Capuæ, contigiſſe anno 1093. ſed Anonymus refert ad annum 1089. Richardus autem principatum recuperauit anno 1097. Sed quamquam ille tot annos ab obitu patris principatu caruit, tamen annos illos eius principatui adſcriptos obſeruare licet ex inſtrumento Theſauri: quod non mirum, quia veri domini occupatoribus expulſis, & recuperato dominio nomina inuaſorum è publicis monumentis eradi, & inſtrumenta iam conſcripta reformari mandabant.* F

Digitized by Google



PONTIFICES

# PONTIFICES ROMANI
## *qui Capuam aduenerunt.*

IOannes VIII. *qui fuit Pontifex ab anno* 873. *venit Capuam anno* 880. *De hoc aduentu, & eius occaſione diligenter actum eſt in catalogo Epiſcoporum.*

*Ioannes XIII. venit Capuam: de eius aduentu Chron. Caſſ. lib. 2. cap. 9. ſic habet:* Huius Abbatis nonodecimo anno Ioannes Papa, de Roma exiliatus, venit Capuam, & rogatus à præfato Principe Pandulfo, tunc primùm in eadem ciuitate Archiepiſcopatum conſtituit, conſecrato ibi Ioanne fratre eiuſdem Principis Archiepiſcopo. *M. S. Atinenſe conſentit, habet enim:* Sub huius temporibus (*id eſt Gaidulfi Epiſcopi Atinenſis*) Ioannes Papa XIII. de Roma proiectus, venit Capuam, & rogatus à Pandulfo Principe, tunc primùm in eadem ciuitate Archiepiſcopatum conſtituit; conſecrato ibi Ioanne fratre eiuſdem Principis Archiepiſcopo: cui etiam tradidit cum multis aliis ciuitatibus Epiſcopatum Atinenſem.

*Occaſio cur Ioãnes Papa expulſus ſit à Romanis, fuit, q Petrus Præfectus vrbis, Conſules, Tribuniq; plebis, qui Decarchones dicebantur, cum opes ſuas ab Imperatore Ottone magno Saxone fractas acerbè ferrent, varia moliri inſtituerunt ad libertatem recuperandam, & potentiam Pontificis; quæ Ottonis fauore creuerat, infringendam: quare in primis Ioannem ipſum antiqui exempli Pontificem, qui conatibus ſuis aduerſabatur, comprehenderunt, ac nihil de ſententia remittentem, vrbe depulerunt, Roffredo Comite, ſummæ potentiæ viro in auxilium aduocato. Ioannes Pontifex Capuam ad Pandulfum Principem adijt: Pandulfus non ſolùm Pontificem liberaliter habuit, ſed Ioannem Fratrem, vt Roffredum ſæuientem occideret, incitauit. Quo fa-*

*ſto Romani maximo, quo nitebantur, auxilio, ſpoliati, poſt decem menſes Pontificem ex Campania reuocarũt, & magno ſtudio in ſede ſua repoſuerunt:* Hæc acta ſunt ann.966. *Anno autem* 968. *vel iuxta recentiorem* Chron. Caſſinenſis *editionem anno nongenteſimo ſeptuageſimò primo, Ioannes cum Ottone iterum Capuæ manens, vt gratiam Principi Capuano referret, Archiepiſcopatum Capuanum inſtituit.*

Hinc prima omnium (*inquit Bar.*) quod inuenerim Eccleſia Capuana ea Archiepiſcopatus dignitate in Regno Neapolitano fuit illuſtrata.

*Sed profectò dicere poſſumus à Papa Ioanne XIII. non inſtitutam, ſed reſtitutam* Capuæ *Metropoliticam dignitatem: S. enim Athanaſius in epiſtola ad ſolitarios habet ita:* Miſſis enim à S. Concilio in legationem Epiſcopis, Vincentio Capuæ, quæ Metropolis eſt Campaniæ, & Euphrate Agrippinæ quæ eſt Metropolis ſuperioris Galliæ &c.) *Fortaſſe dices* Capuã *dici Metropolim à ſancto Athanaſio, quia illo tempore Metropoliticum ius laicum, & ſeculare habebat, non autem Eccleſiaſticum, & ſpirituale. At cupio recorderis, quæ S. Anacletus* Papa *vniuerſis Epiſcopis in Italia conſtitutis ſcribit:* diſtinctione 99.can. Prouinciæ to. epiſtolarũ primo, epiſt.2. Prouinciæ autẽ (*inquit ille*) multò ante Chriſti aduentum tempore diuiſæ ſunt maxima ex parte, & poſtea ab Apoſtolis, & B. Clemente prædeceſſore noſtro ipſa diuiſio eſt renouata; & in capite prouinciarum, vbi dudum Primates legis ſæculi erant, ac prima iudiciaria poteſtas, ad quos, qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis neceſſe erat, qui ad aulam Imperatoris, vel Regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus, vel iniuſtitijs ſuis: ipſoſq; appellabant quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat: ipſis quoque in

ciuita-

ciuitatibus, vel locis noſtris Patriarchas, vel Primates, qui vnam formam tenent, licèt diuerſa ſint nomina, leges diuinæ, & Eccleſiaſticæ poni, & eſſe iuſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi neceſſe fuerint, confugerent, eoſq; appellarent, & ipſi Primatum nomine fruerentur, & non alij, reliquæ verò Metropolitanæ ciuitates quæ minores iudices habebant (licet maiores Comitibus eſſent) haberent Metropolitanos ſuos, qui prædictis iuſtè obedirent Primatibus, ſicut & in legibus ſæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum nomine fruerentur: & licet ſingulæ Metropoles ciuitates, ſuas prouincias habeant, & ſuos Metropolitanos Iudices habere debeant Epiſcopos, ſicut priùs Metropolitanos Iudices habebant ſæculares, Primates tamen, vt præfixum eſt &c. *Hinc igitur conſtare poteſt, Capuam, quæ ius Metropoliticum ſæculare habuiſſe conceditur, Metropolitico Iure Eccleſiaſtico potitam quoque fuiſſe. Accedit ad hæc, quòd in vita S. Vuillibaldi apud Caniſium tom. 4. legitur apud Sur. nouiſſimè impreſſum, die 7. Iulij.* Et inde nauigantes (*inquit Auctor.*) venerunt ad vrbem, quæ vocatur Neapolis, ibi erant multos dies, & ibi eſt ſedes Archiepiſcopi, & magna dignitas eius illic habetur: & ibi propè eſt caſtellum, vbi requieſcit S. Seuerinus: & inde venit ad vrbem Capuam, & ille Archiepiſcopus miſit eum ad aliam vrbem ad alium Epiſcopum, & ille Epiſcopus miſit eum ad vrbem Tyanam ad illum Epiſcopum: & ille Epiſcopus miſit eum ad S. Benedictum: cúmq; S. Vuillibaldus, & Diapertus, qui cum eo pergebat per omnia, veniſſent ad ſanctum Benedictum, non reperiebant ibi niſi paucos monachos, & Abbatem nomine Petronacem, &c. *Hoc accidit poſt ann. 731. & ante 743. Ergo Præſul Capuanus ante tempora Ioannis XIII. jam pridem erat Archiepiſcopus, Metropoliticum verò ius amiſerat: & quid mirum ſi ciuitas à*



Digitized by Google

*Gothis, Longobardis & Saracenis afflicta, tandem tranſmigrare coacta eſt? Hoc tamen ingenue fateor ex epiſtola S. Athanaſij neceſſariò non concludi cunctas Eccleſias Campaniæ fuiſſe ſub vna Capua conſtitutas: nam ille Sanctus phraſi quadam ſibi conſueta vſurpat genitiuum pro ablatiuo loci, vt notat Bar. ann 355. num. 21. ideò appellare Capuam Metropolim Campaniæ, eſt eam in Campania Metropolim appellare.*

*Leo IX. Capuam venit anno milleſimo quinquageſimo primo & milleſimo quinquageſimo tertio, vt ſupra ex Chronico Caſſinenſi lib. 2. retulimus.*

*Alexander Secundus Capuæ mãſit anno milleſimo ſexageſimo octauo, & priuilegia vetera Eccleſiæ Salernitanæ confirmauit. Gaſpar Muſca in catalogo Epiſcoporum Salernitanæ Eccleſiæ.*

*Victor Tertius electioni pridem à Cardinalibus factæ, ab ipſo reiectæ, tandem Capuæ coacto Concilio anno 1087. conſenſit, & Pontificatum accepit: ſupra ex Chron. Caſſ. retulimus.*

*Vrbanus II. anno Dominicæ Incarnationis 1092. ſui Pontificatus anno 2. Kalendis Aprilis Indictione 14. Capuæ Caſſinenſi monaſterio diploma ſcripſit, in quo teſtatur ſe conjuncto lateris dolore tactum, à ſancto Benedicto ſanatum: refert Adnotatio ad Chronic. Caſſ. lib. 4. cap. 5. Idem Vrbanus II. anno 1097. Capuam venit. De hoc aduentu in vita ſancti Anſelmi Cantuarienſis: ſed Gaufredus monachus à Baron. relatus habet ita:* Cum iſta aguntur (*de obſidione ſcilicet Capuæ*) Papa Vrbanus colloquium Ducis, & Comitis deſiderans, à Roma progrediens, apud Capuam, vbi obſeſſionem tenebat, venit: Comeſq; (ex tento) ei liberalis ad hoſpitandum, ſumptus neceſſarios abundantiſſimè miniſtrauit. Porrò ille ſciens ſcriptum,

Beati pedes euangelizantium pacem: & Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur; & alibi ſcriptum eſt: Pacem habete, & Deus pacis, & dilectionis erit vobiſcum; & maximè quia ſciebat; totius Chriſtianitatis curam ſuæ prouiſioni delegatam; de pace inter ipſos reformanda, primo Ducem, & Comitem, Principemq; pariter conueniens, attentare cœpit. Qui conſilio Comitis, prudenti reſponſione vſi, in præſentia Apoſtolici, copia Beati Petri, dicunt ſe ius inire, ſi à Capuanis pari diſcrimine idem exequatur, concedunt. Papa infra vrbem idem de Capuanis reſcitum vadens, dum ab vtriſque partibus conceditur; ſpe conficiendæ pacis fruſtra gaudens, renunciat: dies diſputandi ſtatuitur. His opponentibus, & illis prout ſeſe res habebat, reſpondentibus, graui ſyllogiſmo Capuanis à Iudicibus legaliter concluſio determinatur; Capuani audientes, ſe iudicio prægrauati, vel oppoſitione, vel rationabili contradictione contra Iudices vſi, publicè ſe iniurioſos oſtentantes, exequi vel nolle, vel non poſſe denuntiant Quod audiens vir Apoſtolicus, & quia hæc ab illis exequendi internuncius fuerat; aliquantulum erubeſcens, gladio Beati Petri animaduertens, interminatur; parti noſtrorum ex toto fauendo ſe contulit; Conſtantiam Comitis in fortia exercendo perplurimum laudans, vitamque eius omni contra Romæ, & Italiæ pernecellariam aſſerens. Nam timor eius plures ab inſolentia pluſquam zelus honeſtatis compeſcebat. Apoſtolicus itaq; eccleſiaſticis negotijs, pluſquam expeditionalibus exercitijs intentus, totalibus tumultibus mente declinatis; his tribus Principibus, ſed & omni exercitui Apoſtolica benedictione conceſſa, Beneuentum receſſit.

*Paſchalis II. anno 1108. cum Capuam deueniſſet, rogatus ab Oderiſio Abbate Caſſinenſi, Eccleſiam Sancti Benedicti, quam Deſiderius Abbas intra eandem ciuitatem*

*renouauerat, ſolemniter dedicauit: in qua etiam de veſtimentis SS. P. Benedicti recondidit*, *Chronicum Caſſinenſe lib. 4. cap. 33.*

*Gelaſius Secundus, de quo Chronicum Caſſinenſe libro quarto capite ſexageſimo quarto*, Tunc tẽporis (*ideſt anno milleſimo centeſimo decimo octauo Papa Gelaſio, cuius etiã conſecrationi apud Caietam interfuit Sennes Archiepiſcopus Capuæ*) Capuanus Princeps Robertus, & Gulielmus Dux ad eumdem Pontificem in eadem ciuitate venientes, fidelitatem fecere; Deinde Capuam veniens vnà cum Epiſcopis, & Cardinalibus, excommunicauit eumdem Imperatorem, vnà cum prædicto inuaſore, eorumq; complicibus. In feſtiuitate autem Paſchali impoſito ſibi Romani Orbis diademate, cum magna laude, & gloria ad Patris Benedicti Monaſterium Capuæ ſitum venit, celebrataq; miſſa ſolemniter, ad Epiſcopatum ciuitatis rediji, ornatis plateis, & arcubus Romano more.

Honorius II. anno 1127. nihil vtilitatis, & virtutis erga ciuitatem Beneuentanam agere deprehendens, conſilio ſalutis accepto, 3 Kalendas Ianuarias Capuanam ciuitatem adiuit. Continuò prædictus Robertus Princeps officioſiſsimè illum excipiens, ad palatium Epiſcopij Capuani gaudio magno eum caſtrametari præcepit. Nec mora. Præfatus Pontifex Honorius Archiepiſcopos, & Abbates accerſiri præcepit, quatenus ad Principis vnctionem conuenirent: qui euntes die ſtatuto, exultatione ingenti ad Capuanam Eccleſiam conuenere. Archiepiſcopus itaq; Capuanus (O T O vocabatur) iuxta Prædeceſſorum ſuorum priuilegium, præſente tanto, ac tali Pontifice Honorio, cum turba virorum Religioſorum, quę conuenerat, & Epiſcoporum conuentu, prædictum Robertum in principatus honorem inunxit, & confirmauit. O quantus exultationis, & gaudij affuit affectus: cœlorum Regem reſta-

mur

Digitized by Google

mur viuentem, neminem Principum vetuſtorum tali iubilatione, & iucũditate nobilitatum fuiſſe. Audiuimus profectò ſicut ex eorum, qui interfuere comperimus teſtimonio, quinque millia virorum ad tanti Principis vnctionem conueniſſe. Pontifex autem Honorius tantam Epiſcoporum, & proborum virorum multitudinem aſpiciens, Principe illo ſacrato, eminentiori aſcendens loco, multa de S.R.E. hoſtibus, lachrymis irrigantibus, prædicat: Tunc vox militum, populiq; omnis, qui conuenerat, efficitur, & vna concordia clamauere ſe, ſuaque omnia pro Beati Petri fidelitate, & ſua tradituros. Nouiſsimè Robertus nouiter Princeps ſtatutus, coram omnibus taliter pollicetur: En Pater venerabilis, & perſonam, quam aſpicis, & totius Principatus mei, quem tradidiſti virtutem, tuæ committo ditioni, & ad tuum Imperium omnia ſubiacebunt. *Hæc ex Falcone Beneuentano nuper impreſſo fol. 239.*

*Bonifacius Papa VIII. electus Neapoli 1294. in peruigilio Natiuitatis Dominicæ, Romam ad conſecrationis, & coronationis munus accipiendum pergens, primo die Capuæ conſtituit: illumq; Campana Nobilitas Romam vſque deduxit, & in coronationis pompa ſolemni ſequuta, vt Iacobus Stephaneſcus Diac. Cardin. in ſuo poemate ſignificat, nam lib. 1. cap. 5.*

Et licèt hybernos cœlum diffunderet imbres,
Cœpit iter Præſul Capuam, Montemq; Caſinum,
Inde Ceperani tranſuexit flumina ponte:

*& lib. 2. cap. 9.*

Dum pergit ſacratus apex, quem circuit amplus
Miles, equus poſt terga ruens, feſtumq; decorans
Appulus, & Gallus, Romanus, & inclytus, omnis
Nobilitas Campana ſequens veſtigia ſummi
Principis.

*Vrba-*

*Vrbanus VI. Roma Neapolim veniens ann.* 1382. *Capuæ ab occurrente Carolo Rege ſalutatus, & ad pernoctandum Auerſæ deductus; ex Conſtantio lib.* 8.

SAN-

Digitized by Google

# SANCTVARII CAPVANI

## *PARS QVARTA.*

COLLECTORE

MICHAELE MONACHO
D. D. & Canonico Presbytero
Capuano.

In hac Quarta Parte ſunt nomina Sanctorum qui Capuæ culti fuerunt: & leguntur in Manuſcriptis, nempè

*In* Kalendario *præmiſſo paruo Codici Longobardo*
*In* Kalendario *præmiſſo alteri Codici variarum orationum, & Longobardo.*
*In* Kalendario *Theſauri.*



Digitized by Google

*In kalendario alterius Codicis Capuani, qui eſt ordinarium totius anni.*

*In Kalendario præmiſſo veteri Breuiario Capuano impreſſo.*

*Et in varijs monimentis.*

*In Bulla Conſecrationis Sancti Stephani Epiſcopi Caiacenſis.*

*In Bulla Epiſcopi Sueſſani.*

*In Bulla Epiſcopi Caſertani.*

*In Priuilegio Papæ Alexandri III.*

*In Taxa Decimarum antiqua.*

# PRIMVM

## KALENDARIVM PRAEMISSVM Pſalterio parui Codicis Longobardi, conſeruati in Monaſterio Monialium Sancti Ioannis.

*Hoc Kalendarium ſcriptum eſt caractere Longobardo, minuto, uniformi, & nigro: Pauca verba, quæ Solis motum notant, necnon Kalendæ, Idus, & Nonæ rubrica notantur.*

## IANVARIVS.

1 A Kal. Octaua Natiuitatis Domini. Eodem die Depoſitio erit ſancti Baſilij Archiepiſcopi.
2 B 4 N. Depoſitio S. Confeſſoris Macharij Abbat.
5 E N. Vigilia erit Epiphaniæ.
6 F 8 Id. Apparitio erit Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnẽ. Eod. die Paſſio erit SS. MM. Iuliani, & Baſiliſſæ.
8 A 6 Depoſitio erit ſancti Seuerini Confeſſoris.
10 C 4 Depoſitio erit ſancti Pauli primi eremitæ.
11 D 3 Depoſitio S. Leucij Epiſcopi, & Confeſſoris.
12 E 2 Paſſio erit ſancti Potiti M.
13 F Id. Octaua Epiphaniæ. Eodẽ die Depoſitio erit S. Yiari Pictaui Epiſcopi.
14 G 19 Kal. Feb. Depoſitio ſancti Felicis in Pingis, preſbyteri, & confeſſoris.
15 A 18 Depoſitio ſancti Mauri Abbatis, & Confeſſ.

16 B 17 Paſsio erit S. Marcelli PP.& S. Hermuli M.
17 C 16 Depoſitio S.Antonij Abbatis, & Eremitæ.
18 D 15 Paſsio SS. Speuſippi, Eleuſippi, & Meleuſippi.Eodem die Paſsio erit S.Priſcæ M.
19 E 14 Paſsio S. Modeſtini Epiſcopi
20 F 13 Paſsio SS. MM. Sebaſtiani, & Sociorum: & eod die Paſſ.S. Fabiani M.atq; Pontificis.
21 G 12 Paſsio erit S.Agnes Virg.& Mart.
22 A 11 Paſsio erit ſancti Vincentij Leuitæ, & Mart.
23 B 10 Paſsio erit ſancti Anaſtaſij.
25 D 8 Conuerſio erit ſancti Pauli Apoſtoli: & eod. die depoſitio S. Gregorij Nazianzeni Epiſ.& Conf.
26 E 7 Feſtiuitas erit ſanctæ Paulæ.
27 F 6 Depoſitio erit ſancti Iuliani Epiſcopi, & conf. eſſ.& eod. die Paſsio erit SS.MM.Marij Marthæ, Audifax, Abacuc.
31 C 2 Paſsio erit SS.Mart.Cyri,& Ioannis.

## FEBRVARIVS.

2 E 4 N. Purificatio erit S. Dei Genitricis,& Virg.M.
3 F 3 Paſsio erit S.Blaſij Epiſcopi,& M. & eod.die Paſsio erit ſancti Trifonis M.
5 A N. Feſtiuitas erit S. Agathes V.& M.
6 B 8 Id. Feſtiuitas erit S. Dorotheæ Virg.& Mart.
7 C 7 Veris initium: Ver habet dies. xc i. Paſsio s.Euboli M.
9 E 5 Depoſitio erit s.Sabini Canuſini Epiſcopi.
10 F 4 Feſtiuitas erit s. Scholaſticæ Virg.
12 A 2 Paſsio erit s.Modeſti Leuitæ M.
14 C 16 Kal.Mart.Paſsio s.Valentini Epiſcopi,& M.
15 D 15 Sol in Piſces.Paſſ.Sanctorum Martyr.Fauſtinæ,

næ, & Iouitæ.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 16 | E | 14 | Feſtiuitas s. Iulianæ Virg. & M. |
| 17 | F | 13 | Paſsio erit s. Cucufati M. |
| 19 | A | 11 | Depoſitio erit Barbati Beneuentani Archiep. |
| 22 | D | 8 | Cathedra s. Petri Apoſtoli apud Antiochiam. |
| 24 | F | 6 | Hic biſſext. Solemnitas erit s. Matthiæ Apoſt. |

## MARTIVS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 5 | A | 3 | Non. Endecades. Emboliſmus. |
| 6 | B | 2 | Ogdoades. Emboliſmus. |
| 7 | C | Non. | Feſtiuitas erit S. Perpetuæ, & Felicitatis. |
| 8 | D | 8 | Id. Prima incenſio Lunæ Paſchalis. |
| 9 | E | 7 | Paſsio Sanctorum Martyrum Quadraginta. |
| 12 | A | 4 | Depoſitio erit S. Gregorij Papæ. |
| 16 | E | 17 | kal. Aprilis S. Quiriaci Epiſcopi, & Mart. |
| 18 | G | 15 | Primus dies ſæculi. |
| 21 | C | 12 | Depoſitio erit S. Benedicti Abb. Aequinoct. |
| 25 | G | 8 | Annunciatio Sanctæ Mariæ. |
| 27 | B | 6 | Reſurrectio Domini. |
| 29 | D | 4 | Ordinatio S. Gregorij Papæ. |

## APRILIS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 5 | D | Non. | Depoſitio S. Ambroſij Mediolanenſis Epi. |
| 11 | C | 3 | Hic introiuit Noe in arcam. |
| 14 | F | 18 kal. Maij | Paſſio erit SS. MM. Tiburtij, & Valeriani. |
| 19 | D | 13 | Depoſitio erit S. Leonis Papæ. |
| 23 | A | 9 | Paſsio erit S. Georgij Mart. |
| 25 | C | 7 | Solemnitas S. Marci Euangeliſtæ. Eod. die Litania maior. |
| 28 | F | 4 | Paſsio erit S. Vitalis Mart. |

MAI-

Digitized by Google

# MADIVS.

1 B Kal. Initium prædicationis Domini noſtri Ieſu Chriſti. In Africa Ierapolim ſolemnitas erit Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

3 D 5 Non. Inuentio erit Sanctæ, & viuificæ Crucis: & eod. die paſsio erit Sanctorum M.M. Alexandri, Euentij & Theodoli: & eodem die Feſtiuitas erit S. Antoniæ

4 E 4 Letanias, ideſt rogationes, & ſupplicationes ante Aſcenſionem Domini ab omnibus Eccleſijs placuit celebrari, ita vt præmiſſum triduanum ieiunium ante Dominicæ Aſcenſionis diem.

5 F 3 Aſcenſio erit Domini N. Ieſu Chriſti ad cœlos ſecundùm carnem.

6 G 2 Tranſlatio erit S. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ, & Ioannis ad portam latinam.

8 B 8 Id. Inuentio erit S. Michaelis Archangeli in Monte Gargano.

9 C 7 Tranſlatio erit corporis B. Nicolai Archiepiſcopi de Mirea in Barum: & eodem die paſsio erit S. Barbati Mart.

10 D 6 Feſtiuitas erit S. Eufroſinæ.
Eſtas oritur à 5. Id. Madij vſq; in 5 Id. Auguſti. Tempus æſtatis ſunt dies cx 1.

11 E 5 Paſsio erit S. Gordiani Mart.

12 F 4 Paſsio erit Sanctorum Martyrum Pancratitij Nerei, & Achillei.

14 A 2 In Aegypto paſsio erit S. Pacomij monachi: & eodem die paſsio erit S. Victoris M. kal. Iunij.

Digitized by Google

19 F 14

19 F 14 kal.Iunij Paſsio erit Sanctorum MM. Felicis, & Fortunati.

20 G 13 Paſsio erit SS.MM.Euſtaſij, Agapiti, Theopiſti, ac Theopiſten: & eod. die Feſtiuitas erit S. Potentianæ virg.

21 A 12 Paſsio erit S. Eleutherij Epiſcopi, & M.

25 E 8 Paſsio erit S.Canionis Epiſcopi, & M.

29 B 4 Paſsio erit SS.Mart. Siſinni, & Alexandri.

31 D 2 Paſsio erit SS.MM. Cancij, Canciani, & Cancianellæ, & Proti.

## IVNIVS.

1 E Kal. Paſsio S.Nicomedi Mart.

2 F 4 N. Paſsio erit SS.MM. Marcellini, & Petri, & B. Candidæ, & Heraſmi Epiſcopi, & Mar.

6 C 8 Id. Paſsio erit S. Vincentij Epiſcopi, & Benigni Diaconi.

9 F 5 Paſsio Sanctorum Martyrum Primi, & Feliciani.

11 A 3 Solemnitas erit S.Barnabæ Apoſtoli.

12 B 2 Paſsio erit Sanctorum Martyrum Baſilidis, Cirini, Naboris, & Nazarij.

13 C Id. Depoſitio erit S. *M*arci Confeſſoris.

15 E 17 kal.Iulij Paſsio erit SS. *M*artyrum Viti, *M*odeſti: & eod. die Paſsio erit SS. *M*artyrum ſeptem Dormientium.

17 G 15 Sol intrat in Cancrum. Tranſlatio erit S. Bartholomei Apoſtoli ab India in Liparim: & eodem die paſſ. erit Sanctorum *M*art. Nicandri, & *M*arciani.

18 A 14 Paſs. erit S. Iſabri *M*. & *M*arci, & *M*arcelliani

19 B 13 Paſsio erit S. *M*ar. Geruaſij, & Protaſij.

20 C 12

20 C 12 Solſtitium ſecundùm Græcos Paſsio erit Sanctorum *Mart.* Iuſtini, Caritoni, & Ca Caritinæ.

21 D 11 Conſecratio S. Iacobi Apoſtoli fratris Dñi.

22 E 10 Depoſitio erit S. Paulini Nolani Epiſcopi.

23 F 9 Vigilia S. Ioannis Baptiſtæ.

24 G 8 Natiuitas eiuſdem.

25 A 8 Feſtiuitas erit S. Febroniæ Virg. & *Mart.*

26 B 6 Paſsio erit Sanctorum *Mart.* Ioãnis, & Pauli.

28 D 4 Depoſitio erit S. Leonis *Papæ*: & eod. die Vigilia Apoſtolorum *Petri*, & *Pauli.*

29 E 3 *Paſsio* erit eorundem Apoſtolorum.

30 F 2 Depoſitio erit S. *Marcialis* Epiſcopi, & Confeſſ.

## *IVLIVS.*

1 G Kal Octaua ſancti Ioannis.

2 A 6 N. *Paſsio* erit Ss. *M.* Proceſsi, & *Martiniani.*

4 C 4 Ordinatio, atq; conſecratio ſancti *Martini.*

6 E 2 Octaua Apoſtolorum.

7 F Non. Feſtiuitas erit ſanctæ *Marinæ* Virg. & *Mar.*

8 G 8 Id. *Paſsio* erit ſancti *Procopij Mart.*

9 A 7 Depoſitio erit S. Effrem monachi, & eremitæ.

10 B 6 Feſtiuitas ſanctæ Felicitatis, & Filiorum: & eod. die aſſumptio erit ſancti Heliæ prophetæ ad cœlos.

11 C 5 Paſsio SS. *MM.* Iaſonis & *Mauri*: & eodem die Conuerſio erit ſanctæ *Pelagiæ*, & Translatio ſancti Benedicti.

12 D 4 *Paſsio* Sanctorum *MM.* Naboris, & Felicis: & eod. die paſsio erit S. Ermagoræ Epiſcopi, & *Mar.*

13 E 3

Digitized by Google

13 E 3 Feſtiuitas erit S. *M*argaritæ V. & *M*.
14 F 2 Hinc incipiunt dies caniculares. *Paſsio* erit S. Focati Epiſcopi, & *M*.
15 G Id. *Paſsio* erit SS. *MM*. Quirici, & Iulittæ matris eius.
16 A 17 kal. Auguſti. Depoſitio erit S. Alexij Confeſſ.
18 C 15 Sol in Leonis ſignum.
20 E 13 Depoſitio S. Seueri Epiſcopi.
21 F 12 Feſtiuitas S. Euphraſiæ Virginis.
22 G 11 Feſtiuitas S. *M*ariæ *M*agdalenæ.
23 A 10 *Paſsio* erit S. Apollinaris Epiſcopi, & *M*art.
24 B 9 Feſtiuitas erit ſanctæ Chriſtinæ Virg. & eod. die vigilia s. Iacobi fratris Domini.
25 C 8 Solemnitas erit eiuſdem, & eod. die *Paſsio* s. Chriſtophori *M*art.
27 E 6 *Paſsio* s. *P*anteleonis mart.
28 F 5 *Paſsio* ss. *MM*. Nazarij, & Celſi.
29 G 4 *Paſsio* erit ss. *MM*. Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis.
30 A 3 *Paſsio* ſanctorum *MM*. Abdon, & Sennes.

## *AVGVSTVS.*

1 C Kal. *Paſsio* erit SS. *M*. VII. Fratrum *M*achabeorum, & eod. die ad vincula ſan Petrum.
2 D 4 N. *Paſsio* erit *S*. Stephani *P*apæ, & mart.
3 E 3 Inuentio erit corporis *S*. Stephani *P*rotomar. Nicodemi, & Gamaliel. & Bibonis.
6 A 8 Id. Trãsfiguratio erit Domini noſtri Ieſu Chriſti ſecundùm carnem: & eodem die paſsio erit *SS*. martyrum Xiſti *P*apæ, & Feliciſsimi, & Agapiti.
7 B 7 *Paſsio* *S*. Donati Epiſcopi, & mart.



Digitized by Google

8 C 6 Paſſio SS. MM. Quiriaci, Largi, & Smaragdi.
9 D 5 Vigilia erit S. Laurentij Leuitæ, & martyris. Hic incipit Autumnus: & finitur 5. Idus Nouemb. & ſunt dies xcı.
10 E 4 Paſsio erit eiuſdem Laurentij.
11 F 3 Paſsio erit S. Tiburtij M.
12 G 2 Paſsio erit Caſsiani M.
13 A Paſsio erit S. Hippolyti M.
Depoſitio S. Euſebij Confeſſ. & eod. die Vigilia erit S. Mariæ Virginis.
15 C 18 Kal. Sept. Aſſumptio erit S. Dei Genitricis: & V. Mariæ.
17 E 16 Octaua ſancti Laurentij.
18 F 15 Sol in Virginem. Paſsio erit S. Agapiti M.
19 G 14 Paſsio erit S. Magni Epiſcopi.
22 C 11 Octaua S. Mariæ: & eodem die Paſsio erit ſancti Timothei.
24 E 9 Paſsio erit S. Geneſij M. & S. Audeni Epiſcopi: & eod. die Vigilia ſancti Bartholomei Apoſtoli.
25 F 8 Solemnitas erit eiuſdem.
27 A 6 Paſsio erit S. Rufi M. & SS. MM. Fortunati, Gagi, & Anthes.

*Rufus quia notatur ſine Carponio, eſt Rufus antiquior, Epiſcopus Capuæ, & M. cuius Acta relata ſunt in prima parte, ſed quoniam ibi prætermiſſa ſuit notatio ad illa verba* Iura mihi per per ſalutem Cæſaris, *ideo hic eam collocamus.*

Per ſalutem Cæſaris. *Per Principis Genium, Caput, & ſalutem æquè ac per alios deos iurabant Gentiles. Quare Ouid. 3. de Pon. Eleg. 3. inducit Cupidinem ita iurantem.*

Per

Digitized by Google

Per mea tela faces, & per mea tela ſagittas
Per matrem iuro, Cęſareumq. Caput. *Imo peierare per Genium Principis grauius exiſtimabant, quam per Genium Iouis. Chriſtiani verò per Principis ſalutem, non autem per Principis Genium iuraſſe habet Tertullianus in Apol. cap. 30. Neque mirum: in Imperatoribus enim, vt Tertull. aduertit, iudicium Dei ſuſcipimus, qui gentibus illos præfecit, idque in illis eſſe ſcimus quod Deus voluit, ideoque iurando per ſalutem eorum proteſtamur nos velle ſaluum eſſe quod Deus voluit; Eſt profectò hoc iurare, execratio, qua Deo Principis Caput oppigneratur,* vt ſcilicet *( vtor verbis Auguſtini ſerm. 30. de verb. Apol. )* hoc in caput eueniat, quod exit de iurantis ore, ſi verum verum, ſi falſum falſum: *At iurare per Genium erat quid numinis, & diuinitatis extra verũ Deũ in Principe cõfiteri, ideoq; ab huiuſmodi iuramento abhorrebãt Chriſtiani, & mori potius eligebant, quã ita iurare. Bar. c. 2. an. 202. 297*

28 B 5 Depoſitio ſancti Auguſtini Epiſcopi. & Cõfeſſ. & ſancti Hermetis Mart.

29 C 4 Decollatio erit ſancti Ioannis Baptiſtæ, & ſanctæ Sabinæ Virg. & Mart.

30 D 3 Paſsio SS. MM. Felicis: & Audacti.

## *SEPTEMBER.*

1 F kalen. Paſsio SS. MM. XII. Fratrum: & eod. die Depoſitio erit ſancti Egidij Abbatis: & ſancti



Digitized by Google

ſancti Priſci Martyr.

2 G 4 Non. Paſſio erit S. Terentiani Epiſcopi, & M. & Zenoni, & Antonini Mart.

5 C Nonas Hic finiuntur dies caniculares.

8 F 6 Id. Natiuitas erit S. Dei Genitricis, & Virginis Mariæ: & S. Adriani Mart.

9 G 5 Paſsio erit Gorgonij Mart. & ſociorum eius.

11 B 3 Paſſio erit SS. Mart. Proti, & Iacinthi.

14 E 18 kal. Octob. Paſs. erit SS. M. Cornelij, & Cypriani

15 F 17 Paſsio erit ſancti Nicomedis M.

16 G 16 Feſtiuitas erit S. Euphemiæ V. & M.

19 C 13 Paſsio erit SS. Martyrum Ianuarij, Feſti, & Deſiderij.

20 D 12 Aequinoctium. Vigilia erit ſancti Matthei Apoſt. & Euangeliſtæ.

21 E 11 Solemnitas erit eiuſdem.

22 F 10 Paſsio erit S. Mauritij cum ſocijs ſuis.

23 G 9 Feſtiuitas erit S. Teclæ V. & M.

24 A 8 Conceptio erit S. Ioannis Baptiſtæ.

27 D 5 Paſsio erit SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani, & ſociorum eorum.

29 F 3 Dedicatio erit Eccleſiæ S. Michaelis Archãg.

30 G 2 Depoſitio erit S. Hieronymi presbyteri, & confeſſ. & eod. die Feſtiuitas erit ſanctæ Sophiæ, & filiorum eius.

## OCTOBER.

1 A Kal. Dedicatio confeſsionis B. Nicolai.

6 F 2 Non. Paſsio erit SS. MM. Marcelli, & Apolei.

7 G Non. Paſsio SS. MM. Sergij, & Bacchi.

9 B 7 Id. Paſsio erit SS. M. Dioniſij Epi Ariopagitæ, & Ruſtici: & Eleutherij, & Dõnini M.



Digitized by Google

13 F 3 Paſsio erit S. Athanaſij Epiſcopi, & M.
14 G 2 Paſsio erit ſancti Calixti Papæ, & Mart.
18 D 15 kal. Nou. Solemnitas erit S. Lucæ Apoſtoli, & Euangeliſtæ.
19 E 14 Depoſitio erit ſancti Zoſimi Epiſcopi.
21 G 12 Depoſitio erit S. Ilarionis monachi, & erem.
23 B 10 Paſsio erit ſancti Longini M.
25 D 8 Paſsio erit SS. Griſanti, & Dariæ M.
26 E 7 Paſsio erit S. Demetrij M.
27 F 6 Vigilia erit SS. Apoſtolorũ Simeonis, & Iudæ
28 G 5 Solemnitas erit eorundem Apoſtolorum.
30 B 3 Depoſitio erit S. Germani Capuani Epiſc.
31 C 2 Vigilia erit omnium Sanctorum.

## NOVEMBER.

1 D Kal Commemoratio erit Omnium Sanctorum. Et eod. die Paſs. erit S. Cæſarij M.
2 E 4 N. Paſs. erit SS. M. Achindini, Pigaſij, & Anepotiſti.
6 B 8 Id. Depoſitio erit S. Leonardi Abbatis, & Confeſſoris.
8 D 6 Paſsio erit SS. Quatuor Coronatorum, & S. Angeli in Chron. Ab hinc hyems vſq. in 5. Id. Feb. & ſunt dies x c.
9 E 5 Paſsio erit ſancti Theodori *M.*
10 F 4 Paſsio erit S. *M*enæ *M.*
11 G 3 Depoſitio erit S. *M*artini Turonenſis Archiepiſcopi.
13 B Idus Depoſitio S. Brici Epiſcopi, & Confeſſoris, & S. Ioannis Os Aurei.
17 F 15 kal. Decemb. *Sol in Sagittario.* Paſsio erit *S.* Laberij M. & eod. die Paſsio *S.* Gregorij Neoceſarienſis Epiſcopi.

19 A 13

Digitized by Google

19 A 13 Paſsio erit SS.MM. Samonæ : & Guriæ : & Abibus.
21 C 11 Paſsio erit ſancti Mauri Mart.
22 D 10 Feſtiuitas erit ſanctæ Ceciliæ V. & M.
23 E 9 Paſsio erit ſancti Clementis Papæ.
24 F 8 Paſsio erit ſancti Griſochini Mart.
25 G 7 Feſtiuitas erit ſanctæ Catharinæ Virg. M. & eod.die paſſ.erit ſancti Mercurij Mart.
26 A 6 Paſsio erit S. Petri Alexandrini Archiepiſc.
27 B 5 Depoſitio erit ſancti Valentini Epiſcopi, & Confeſſoris.
29 D 3 Vigilia erit S.Andreæ Apoſtoli : & eod.die paſſ.ſancti Saturnini M.
30 E 2 Solemnitas erit eiuſdem.

## DECEMBER.

4 B 2 Non.Feſtiuitas erit S.Barbaræ V. & M.
5 C Non. Depoſitio erit S.Fortunati Epiſcopi,& Cõ feſſoris.
6 D 8 Id. Depoſitio erit S.Nicolai Archiepiſcopi.
7 E 7 Conſecratio erit S.Ambroſij Archiepiſcopi
8 F 6 Paſsio erit S. Sabini Spolitini Epiſcopi : & eod.die Conceptio S. Dei Genitricis, & Virg.Mariæ.
10 A 4 Feſtiuitas erit S.Eulaliæ V.& eod.die Inuentio erit ſancti Sabini Archiepiſ.in Barum.
11 B 3 Depoſitio erit S.Damaſi Papæ.
13 D Id. Feſtiuitas erit ſanctæ Luciæ V. & M.& eod. die paſſ.erit SS.MM.Euſtaſij,& ſociorum eius.
18 B 15 kal.Ianuarij Sol in Capricornu. Feſtiuitas erit S.Eugeniæ V.& M.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 19 | C | 14 | Paſsio erit ſancti Ignatij Epiſcopi,& M. |
| 21 | E | 12 | Solſtitium. Solẽnitas erit ſancti Thomæ Ap. |
| 22 | F | 11 | Paſsio erit S.Gregorij Spolitini Epiſcopi. |
| 24 | A | 9 | Vigilia erit Natiuitatis D.N.I. Chriſti ſecundùm carnem:& eod.die Anaſtaſiæ V. |
| 25 | B | 8 | Natiuitas erit D.N. Ieſu Chriſti. |
| 26 | C | 7 | Paſsio ſancti Stephani Protomart. |
| 27 | D | 6 | Solemnitas erit ſancti Ioannis Apoſtoli: & Euangeliſtæ. |
| 28 | E | 5 | Paſsio erit ſanctorum Martyr. Innocentium. |
| 29 | F | 4 | Paſsio erit ſancti Primiani Epiſcopi. |
| 31 | A | 2 | Depoſitio erit ſancti Sylueſtri Papæ:& eod. die Feſtiuitas ſanctæ Columbæ V.& M. |

Omnes deuotè celebremus.

Digitized by Google

# SECVNDVM

## KALENDARIVM PRAEMISSVM

Diuerſis Orationibus, Letanijs, Officio B.Mariæ, atq; Defunctorum, Codicis parui, Chori Monialium Sancti Ioannis.

*Hoc Kalendarium ſcriptum eſt caractere Longobardo, partim nigro, partim rubro :* Huic *etiam videntur poſt primam ſcriptionem addita fuiſſe nonnulla nomina, quæ nos ita ſignamus* † *ad.*

## IANVARIVS.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | A | Kal. Octaua Natiuitatis Domini. *S.*Baſilij Epiſc. |
| 2 | B | 4 Non. Octaua *S.*Stephani. |
| 3 | C | 3 Octaua *S.*Ioannis. |
| 4 | D | 2 Octaua Innocentium. |
| 5 | E | Non. Vigilia Epiphaniæ. |
| 6 | F | 8 Id. Epiphania Domini. |
| 8 | A | 6 *S.*Seuerini Confeſſ. |
| 9 | B | 5 *SS.M.*Iuliani,& Baſiliſſæ. |
| 10 | C | 4 *S.*Pauli *P*rimi Eremitæ. |
| 11 | D | 3 *S.*Leucij Epiſcopi,& Confeſſ. |
| 13 | F | Idus Octaua Epiphaniæ. *S.*Hilarij Epiſcopi. |

14 G 19

Digitized by Google

| | | | |
|---|---|---|---|
| 14 | G | 19 | Kal.S.Felicis preſbyteri,& Felicis M. |
| 15 | A | 18 | S.Mauri Abbatis. |
| 16 | B | 17 | S.Marcelli Papæ, & M.& Temmarl Epiſcopi. |
| 17 | C | 16 | S.Antonij confeſſ. |
| 18 | D | 15 | S.Priſcæ V.& M. |
| 20 | F | 13 | S.Sebaſtiani, & Fabiani M. Marij, Marthæ, Audifax,& Abacuc. |
| 21 | G | 12 | S.Agnes V. & M. |
| 22 | A | 11 | S.Vincentij Leuitæ,& M.Anaſtaſij M. |
| 24 | C | 9 | Conuerſio ſancti Pauli. |
| 25 | D | 8 | Dedicatio huius Eccleſiæ ſancti Ioannis Baptiſtæ. |
| 26 | E | 7 | S.Policarpi Epiſcopi,& M. |
| 27 | F | 6 | Dormitio ſanctæ Paulæ. |
| 31 | C | 2 | S.Abaciri,& Ioannis. |

## FEBRVARIVS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 1 | D | | Kal.S.Ignatij Epiſcopi, & M.& Brigidæ V. |
| 2 | C | 4 | Non.Purificatio S.Mariæ,& s.Simeonis. |
| 3 | F | 3 | S.Blaſij Epiſcopi,& M. |
| 5 | A | | Non.S.Agathæ V. & M. |
| 7 | C | 7 | Id.S.Aſtobertæ Virg. |
| 9 | E | 5 | S,Sauini Canuſini Epiſcopi. |
| 10 | F | 4 | S.Scolaſticæ Virg. |
| 11 | G | 3 | S.Caſtrenſis Epiſcopi,& confeſſ. |
| 14 | C | 16 | kal.S.Valentini presbyt.& M. |
| 15 | D | 15 | S.Fauſtini, & Iobitæ. |
| 16 | E | 14 | S.Iulianes Virg.& M. |
| 22 | D | 8 | Cathedra S.Petri Apoſtoli. |
| 24 | F | 6 | S.Matthiæ Apoſtoli. |
| 28 | C | 2 | S.Romani Abbatis. |



Digitized by Google

## MARTIVS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 7 | C | | Non. S. Thomæ de Aquino † Ad. |
| 9 | E | 7 | Id. S. Mart. Quadraginta. |
| 12 | A | 4 | Id. S. Gregorij Papæ. |
| 20 | B | 13 | Kal. Vigilia ſancti Benedicti Abbatis. |
| 21 | C | 12 | S. Benedicti Abbatis. |
| 25 | G | 8 | Annunciatio S. Mariæ Virginis. |
| 28 | C | 5 | Octaua S. Benedicti. |

## APRILIS.

| | | | |
|---|---|---|---|
| 2 | A | 4 | Non. S. Mariæ Aegiptiacæ. |
| 14 | F | 18 | Kal. Mad. Tiburtij, & Valeriani. |
| 23 | A | 9 | S. Georgij M. & Adelberti Epiſcopi, & M. |
| 25 | C | 7 | S. Marci Euangeliſtæ. |
| 28 | F | 4 | S. Vitalis Mart. |
6. Lect.7. Lect.8. Iuſsit autem ſtatim eos catechuminos facere, & alia die ipſe eos baptizauit, & veſtibus monachijs eos veſtiuit, & præcepit, vt in ipſo monaſterio eos deportaret, vbi idem Beatus Leucius fuerat ad Eccleſiam Beati Hermetis confeſſoris Chriſti: & præcepit fratribus monaſterij, vt nimium diligerent Beatam Eugeniam Virginem Chriſti, & Protum, & Iacintum, & de fide ſancta eos docerent. Lect. IX. Fratres autem monaſterij dixerunt Beato Eleno Archiepiſcopo: ſcias Domine pater, quia ecce modo pluſquam ſeptem annos habemus, quibus ſine Abbate viximus, & vnuſquiſq; quomodo voluit, ſic egit: Nam cum habuimus virum ſanctum Eupreſcium, qui modo per voluntatem Dei Leucium ſe vocat, vt pater nobis erat, qui ab infantia ſua, à quo ibidem venit, nullus eum per obedientiam ſuperaret, ſed ſemper orantem, legentem ſcribentem, & in omnibus operibus bonis perſeuerantem, omnes eum ſedulè videbamus cum in tam bonis actibus ſequebamur veſtigia eius, Lect. X. Modo autem, pater, ſcias, quia ſi eum nobis non reddis, relinquimus omnes monaſterium illud. Beatus Elenus dixit: modo fratres mei nè iraſcamini nobis, quoniam ego habeo dirigere eum ad vos, & ſi ille vos diligit, per me ipſum ego veniam, & eum ordinabo Abbatem, Sin autem, ordinabimus alium. *Hactenus ex lectionario* M. S. *nunc ex Breuiario.* (C) Lect.7. Beatus itaque Leucius cum clericis ſuis veniens Brundiſiopolim, erat foris Ciuitatem contra portam partis Occidentis iuxta Amphiteatrum, & illic docebat & baptizabat eos, qui ad verbum eius credebant in Chriſtum: Tunc miſit Antiochus & fecit s. Leucium ad ſe cum manſuetudine vocare: qui cum veniſſet, dicit ei Antiochus: ſi vis vt faciam credulitatem iuxta tuam prædicationem, fac vt per tuam obſecrationem miſereatur nobis Deus tuus, & dones nobis pluuiam, quia C



Digitized by Google

ecce duobus annis ſine pluuia eſſe videmur. Lect. 8. Beatus igitur Leucius, conuocatis ad ſe clericis ſuis, & vniuerſis Chriſtianis, fecit letanias Domini: mox igitur, D vt eleuauit oculos ad cœlum, tanta pluuia (D) irrigata eſt, vt omnis terra Italiæ cognoſceret diuinitatem Dei, quæ oſtendebatur per Beatum Leucium. Interea credidit in D. I. C. Antiochus, & vniuerſa Ciuitas Brundiſiopolis, & baptizati ſunt omnes numero viginti ſeptem millia, ad laudem, & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, & fabricauerunt Eccleſiam in honorem Beatæ Dei Genitricis & Virginis Mariæ, & Beati Ioannis Baptiſtæ in media ciuitate, in loco, vbi ſanctum baptiſmum acceperant. Lect. IX. Tunc quidem confirmauit eos in fide, & doctrina E perfectiùs & ſic in pace (E) obdormiuit in Domino. Tunc quidam ſecundùm ſuam viſionem in eodem loco fecit ſepeliri corpus venerabile Beati Leucij, vbi nauis deſcenderat, quando de Alexandria adueniſſet. Dormitionis eius feſtiua ſolemnitas vndecimo die intrante menſe Ianuario celebratur. Amen.

## NOTATIONES.

A THeodoſio. *Quia ſanctus Leucius cooperatus eſt in conuerſione ſancta Eugenia, qua conuerſa, & baptizata fuit circa octauũ annum Commodi Imperatoris, id eſt Chriſti 189. Baron. tom. 2. anno 188. ideo dicendum eſt longè ante Theodoſij tempora vixiſſe Eudecium cum filio ſuo. Quod dicitur de Eccleſijs conditis, & de fidei Chriſtianorum intemerata cultura, &c. Intelligendum eſt de pace, qua, Commodo Imperatore, Eccleſia fruebatur. Tunc enim ſatis bono loco res noſtræ fuere, in dieſq; fidei profeſſio argumenta ſua cepit, Eccleſiaſticorum Doctorum ſcriptis, atq; doctrinis illã prouehentibus; idq; in maximis potiſsimum*

*vbiq;*

Digitized by Google

*vbiq; vrbibus, Alexandria, Antiochia, Aelia; & per Paleſtinam omnem, Epheſi, Cæſarea; & Occidentem verſus, Theſſalonycæ, Athenis, Corinthi; in Gallijs, & Romæ maximè. Vniuerſæ enim multitudines, & domus tota ad fidem accedebant, quoduis facere, & pati parata, quàm vt quidquam contra religionem noſtram agerent, aut nouarent. De his Bar. tom. 2. ann. 195. nu. 7.*

Leucius ſedens. *Ex his lectionibus clarè colligitur ſanctum Leucium ſeptem annis ante conuerſionem ſanctæ Eugeniæ ab Eleno Epiſcopo (erat enim Epiſcopus Aeliopolis) eductum è monaſterio, & aſſumptum ad presbyteratum, factumq; diuini Verbi prædicatorem.* B

Cum clericis ſuis. *Ergo S. Leucius antequam Brunduſium veniret, habebat clericos: erat ergo Epiſcopus, & fortaſſe Eleno ſucceſſerat. Sed quanam occaſione ab Eccleſia ſua diſceſſit? In hoc Acta noſtra diminuta ſunt: donec alia legam, arbitror id factum occaſione illius omnium ſæuiſſimæ à Seuero motæ perſequutionis anno 205. quãdo eos qui publicè diuinas literas in Alexandria profitebantur, & alios cæteros ſibi ipſis fuga conſuliſſe oportuit Baron. to. 2 anno 205. nu. 11.* C

Pluuia. *Hinc igitur ortum habuit antiqua illa noſtræ Capuæ conſuetudo, obliuioni tamen quaſi tradita, vt nimirum tempore magnæ ſiccitatis ad pluuiam exorandam, Capitulum, Clerus, & populus litanias faciant, ad Eccleſiam ſancti Leucij procedant, ſupplice ſque in ea Deo preces effundant.* D

Obdormiuit. *Sanctus Leucius in propria Eccleſia Brundiſina colitur Epiſcopus, & confeſſor; eodem titulo in noſtris Kalendarijs, & Officijs appellatur: quia verò ſanctus Gregorius appellat eum Martyrem beatiſſimum, verbum ſancti Gregorij accipiendum eſt, vt Martyr ſignificet virum qui fidem Chriſti interpellatus, aliquod genus tormento-* E



Digitized by Google

*rum ſit expertus, nec tamen in cruciatibus ipſis occubuerit: nam ſæuiente Seueri perſequutione par eſt credere ſanctum Leucium tormenta paſſum, mortem tamen euaſiſſe, & fuga lapſum adueniſſe Brudufium: multi ſiquidem in ea turbulenta perſequutionis tempeſtate poſt certamina pro fidei confeſſione ſuſcepta, integri, & incolumes diuina prouidentia reſeruati ſunt: tales fuere Alexander, qui deinde ordinatus eſt Epiſcopus Ieroſolymitanus, & Aſclepias ordinatus Epiſcopus Antiochenus. Bar. to. 2. an. 213. nu. 12.*

12 E 2 Idus. Hilarij Epiſcopi, & Confeſſ. & Doctoris. *De ſancto Hilario hac ipſa die quartum Kalendarium, & Martyrlol. Rom. ſed & primum, & ſecundum Martyrol. noſtrum agunt die ſequenti, id eſt tertiodecimo. Galeſinus*

14 *In officio Breuiarium habet tres lectiones acceptas ex actis ſcriptis à Fortunato presbytero, poſt Pictauienſi Epiſcopo. Apud Surium die 13. Ianuarÿ. Obijt anno 369.*

13 F Idus. Octaua Epiphaniæ ſemidup. & Potiti mart. *De Octaua Epiphaniæ noſtra MM. SS. Kalendaria, & Martyrol. De S. Potito Mart. kalendarium primum die ſuperiori, id eſt 12. Sed kalendarium quartum, & Martyrol. hac ipſa die, ſicut Martyrol. Roman. Breuiar. in Officio Octauæ habet de S. Potito quintam, & ſextam lectionem, quæ ſine dubio ſunt initium longioris textus. Lubet huc eas afferre, & aliqua annotare.* Regnante igitur quartodecimo Romanorũ Imperatore Marco Antonino (A) Vero, qui æquo iure primus regnauit cum Lucio (B) & Aurelio Commodo annis decem & nouem, (C) & menſe vno, regnantibus vſq; adhuc ſingulis Imperatoribus, currente ſcilicet ab Incarnatione Redemptionis noſtræ centeſimo ſexageſimoſexto anno, Imperij verò eius ſexto anno, orta eſt quarta (D) perſequutio, videlicet per totum orbem Chriſtianorum à Nerone Imperatore: maximè in Aſiæ (E) partibus ita exercuerat, vt iuſſu (F) nequiſſimi

A B C D E F

ſimi Imperatoris prædicti ſimulacra vbiq; poſita ſi quis adeſſet, qui non adoraret, vel ſacrificaret, eius facultas publicaretur, & qui in hoc ſacrificaturus deeſſet, nudatis proprijs rebus, morti traderetur. In hoc vero edicto B. Potitus in puerili (G) ætate iuri paterno ſubiectus, ardore Chriſti ſuccenſus, glorioſus effloruit, per quod non ſolùm ipſe, ſed multos alios prædicando, conſequi fecit regna cœleſtia, memorans illud &c. G

Marco Antonio Vero. *Hic imperare cœpit anno Chriſti* 163. *Hic variè nũcupari ſolitus eſt: dictus eſt enim Catilius Annius Verus, & Marcus Annius Verus, & Marcus Aelius Aurelius, & Marcus Aurelius Verus Antoninus. Hic ergo eſt Antoninus Philoſophus, non autem Antoninus* Pius. A

Lucio. *Marcus Aurelius Antoninus Verus ex* Senatuſ-*cõſulto ſolus declaratus fuerat Imperator, ipſe tamen Lucio nomen Veri communicauit, & Imperij collegam ſibi eum aſciuit, & tunc primùm duo ſimul regnare viſi ſunt Imperatores. Hic etiam dictus eſt Lucius Ceonius Commodus, necnon Aelius, & Aurelius: & Verus & Antoninus. De his Bar. ad ann.* 163. *itaq; in Breuiario non eſt legendum* Lucio, & Aurelio, *ſed* Lucio Aurelio. B

Decem & nouem. *Legendum eſt annis nouem, tot enim annos, & non amplius Lucius imperauit, qui enim imperare cœpit ab anno* 163. *obijt anno* 171. *vt Bar. habet.* C

*Chronologia Baronij, & Bellarmini aliter ſe habet: nam iuxta illorum computationem, annus Marci Aurelij sextus concurrit cum anno* Chriſti 168. *& annus* Chriſti 166. *cum anno Imperatoris* 4. *Perſequutio verò ponitur excita ab anno* Chriſti 164. *& Imperatorum* Secundo.

Quarta perſequutio. *Auctor ſequutus eſt illos, qui decẽ tm̃ perſequutiones putãt. Primã quæ facta eſt à Nerone, ſecundã à Domitiano, tertiã à Traiano, quartã ab* Antonino, *quintã à* Seuero, *ſextã à* Maximino, *ſeptimã à Decio, octauã à Valeriano* D

*leriano, nonã ab Aureliano, decimã à* Diocletiano, *&* Ma-*ximiano:* Hanc *numerationem quaſi decem plagis* Aegypti *respondentem, non probat* S. *Auguſtinus de* Ciuit. *lib.* 18. *cap.* 52. *& re vera plures paſſa eſt persequutiones Eccleſia, & quartam ab* Hadriano, *quintã ab* Antonino *Philoſophe.*

E Aſiæ partibus. *Hinc non obſcurè colligitur ſanctum Potitum fuiſſe origine Aſianum: quare hæc acta videntur conſentire vel Flaminio, qui vitam ſancti Potiti verſibus ſcripſit, & Sardos vrbem Lydiæ in Aſia patriam notat: vel Codicibus manuſcriptis apud Patrem Caracciolum Neapoli, qui Sardicam appellant: eſt autem Sardica & ipſa Aſiæ ciuitas Concilio Sardicenſi celebris. Doleo hæc acta Breuiarij non eſſe integra quò iudicium melius ferri poſſet. Cæterũ in Sardinia ciuit. Calari cõmuniter ſcribitur natus.*

F Iuſſu, &c. *Marcus Aurelius, & Lucius Commodus nullum contra Chriſtianos ſpeciale edictum promulgauerunt, ſed curantes ius vetus reſtituere ( erat enim Marcus Aurelius erga Deos præ ceteris affectus) dato edicto, iuſſerunt omnes Dijs ſacrificare, alioquin ſupplicio afficerentur. De hoc edicto fit mentio in Actis SS. Victoris, & Coronæ, S. Aberij, S. Iuſtini, & ſociorum S. Gliceriæ mar. cum autem Chriſtiani ſacrificare nollent, ea occaſione aperta eſt ad perſequutionem via.*

G Puerili ætate. *S. Potitum tempore ſui martyrij fuiſſe puerum teſtantur antiquæ litaniæ, quas habemus in Codice diuerſarum orationum: nam in litania Feriæ* 4. *inuocantur nomina cuiuſlibet chori, & in vltimo choro dicitur S. Vite intercede, &c. S. Potite intercede, S. Celſe intercede, S. Chorus Innocentum intercede: omnis chorum SS. intercede. Potitus ergo in ætate puerili, & innocenti martyrium ſubijt. In noſtra Capua cultũ fuiſſe S. Potitum certè conſtat: nam in loco, qui dicebatur Campo de Fenile, erat Eccleſia ſancti Potiti, vt in inſtrumento ſancti Ioãnis.*

Digitized by Google

14 19 Kalen. Febr. Felicis, & Felicis, & Felicis Nolani Epiſcopi. *Tres Felices lectionarium M. S. ſimiliter commemorat, duos verò Kalendarium ſecundum, & quartum & Martyrol. M. S. Magna propter nominis æquiuocationem confuſio; Breuiarium in officio habet tres lectiones, ſingulorum ſingulas. Prima lectio ſumpta ex Actis, quorum initium.* Cum feruor, &c. *& abſque dubio ſunt Felicis, de quo agitur die* 30. *Auguſti, & Acta integra, licèt breuia, refert Surius. Hic eſt ille Felix, qui ſtatu Serapidis, Mercurij, & Dianæ ſtatuas euertit: qui ſigno Crucis arborem, & templum deiecit: qui cum Audacto à Dracone capitalem ſententiam tulit, circa annum* 303. *Huius igitur commemoratio in Auguſti trigeſimum diem remittenda eſt: ſed excuſandus Breuiarij compilator cum hoc ipſo die* 14. *Ianuarij de hoc Felice presbytero, ſimulacrorum euerſore, agant non ſolùm lectionarium M. S. ſed etiam Maurolycus, & Galeſinus. Secunda lectio, videtur ſumpta fuiſſe vnde prima, & proinde textus exſcriptus à Surio* 30. *Auguſti, longior erat. Hic eſt Felix presbyter, frater modo dicti Felicis presbyteri: hic poſt fratris martyrium, in montem Circeum miſſus eſt exul, vt ibi lapides excideret: hic ibi Tribunum conuertit Ciuem Nolanum, cum quo Nolam abijt, & Nolæ poſt duodecim annos obijt, nempè circa annum* 315. *De hoc Felice agit etiam Ado, Maurolycus quoque, ſed confundit hunc, & ſequentem. Tertia lectio dicitur eſſe de ſancto Felice Nolano Epiſcopo, ſumpta ex Actis, quæ Leoni Epiſcopo ſcripſit Marcellus presbyter, quibus etiam vtitur Lectionarium M. S. ſed re vera Acta illa non ſunt Felicis Epiſcopi Nolani, ſed Felicis Nolani presbyteri, Felicis, inquam, toto orbe notiſſimi, & à ſancto Paulino maximè celebrati. Compilator Breuiarij falli potuit, quia Nolana Eccleſia habuit alios Felices Epiſcopos. Martyrologium Romanum commemorat Felicem Nola-*

*num*

Digitized by Google

*num Epiſcopum decimoquinto Nouemb. & Galeſinus decimoſexto Ianuarij habet, Felicem, Tubabocenſis Eccleſiæ Epiſcopum paſſum eſſe Nolæ: ſed fortaſſe hic eſt qui Venuſij paſſus aſſeritur ab alijs Baron. tom. 2. anno 302. numero 123.* Hic *tertius Felix dictus eſt Felix in* Pincis, *quia sepultus eſt propè Nolam in loco, qui dicebatur in* Pincis*: ita Breuiarium Romanum. In* Martyrologio M.S. *Felix in* Pincis *dicitur non qui Nolæ, sed qui Romæ colitur.* Habent *& alia* Martyrologia MM.SS. *ſimiliter Natalis libro 2. cap. 73. primum Felicem, ait dictum in Pincis, quia extra portam Pinciam sepultus. Standum eſt auctoritati Romani Breuiarij: & licèt de hoc loco qui dicitur in Pincis, nulla mẽtio apud* Ambrosium, *qui res Nolanas diligentiſſimè scripsit; tamen quia certum eſt fuiſſe Romæ familiam Pinciam, quid prohibet opinari aliquam villã à Pincijs Romanis poſſeſſam Nolæ & locum à Pincijs. Multò magis errare videntur qui appellant Felicem in Pincis Felicem quẽdam* Magiſtrum *puerorum, qui* Pincis, *ideſt subulis* (Pinca *enim subulam significat secundum ipſos) puerorum quos docebat, manibus occisus eſt. Cæterum* Capuæ *S. Felicem fuiſſe frequentiſſimè cultum patet ex Ecclesijs in partibus* Caſtelli *ad* Mare, *in* Murone, *propè* S. *Priſcum, in terra* Capuana *in partibus* S. *Clementis, & Bellonæ: nec opinari poſſum Felicem apud nos cultum eſſe alium, quàm illum presbyterum* Nolanum *toto orbe clariſſimum. Obijt* S. *Felix presbyter Nolanus longè poſt annum 312. quo data fuit pax Eccleſiæ.*

15 A 18 Kalen. Mauri Abbatis pſ. IX. *Concordant Kalendaria M.M.SS. &* Martyrologia. *In officio ſunt tres lectiones acceptæ ex vita ſcripta à Fauſto monacho apud Surium tom. 1. Obijt anno* 584.

16 B 17 Kalen. Marcelli Papæ, & mart. & Tammari

Epi-

Digitized by Google

Epiſcopi, & confeſſ. *Conſonat Kalendarium ſecundum & quartum. De Marcello Papa, & mart. Kalendaria, & Martyrologia. In Breuiario ſunt tres lectiones, acceptæ ex actis, quorum exordium* Tempore, quo Maximianus Auguſtus rediijt de partibus Africæ, &c. *Surius to. 1. & Bar. to. 2. ann. 298. Obſeruat verò Bar. priora hæc acta non Marcello, ſed Marcellino Papæ tribuenda eſſe: nam Maximiano Herculeo Imperatore, qui Thermas extruxit, Marcellinus Pontificatum geſſit ab anno 297. vſq; ad annum 304. quo itidem anno Marcellus ſucceſſit. De S. Tammaro Kalendarium (vt diximus) ſecundum, & quartum. In officio nihil de eo. Hic eſt vnus ex Epiſcopis Africanis, qui cum S. Priſco tempore Vuandalicæ perſequutionis in Campaniam venit. Hic habet pagum, & Parochialem Eccleſiam ſui vocabuli, à ciuitate mille paſſibus in via Regia noua Neapolitana.* Habuit *olim Eccleſiam propè villam, quæ dicebatur S. Nazarius in terra Lanei, & in villa, quæ dicebatur Antignano in terra Canciæ, & in Diœceſi Caluenſi Eccleſia S. Tammari de monte erat ſubdita Archiepiſcopo Capuano anno 1173. Hac ipſa die in Dioceſi Auerſana, loco, qui dicitur Vico de Pantano, colitur S. Tammarus, qui ibi traditur mortuus, & ſepultus.*

17 C 16 Antonij Abbatis ſemiduplex. *Concordant Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lectiones, acceptæ ex vita ſcripta per ſanctum Athanaſium, & latinè redditam ab Euagrio, qui fuit Antiochenus Epiſcopus, apud Surium tomo 1. Quod in quinta Lectione legitur (* Rure autem trecenti iugeres erant, & valde optimi *) apud Surium eſt,* Trecentæ palmæ vberes, & valde optimæ. *Apud alios eſt,* Auræ trecentæ vberes: *erat autem Aura menſuræ genus apud Aegyptum, continens cubitos centum. Obijt anno 358. ſeù 355.*

18 D 15 Priſciæ V.& Mart. *Concordant Kalendaria, & Martyrologia. In officio nihil eſt proprium, ſed habet lectiones ex communi. Obijt anno 271. Nota Chatedram ſancti Petri, qua primùm Romæ ſedit, Capuæ non conſueuiſſe celebrari.*

19 E 14 kalendas Marij, Marthæ, Audifax, & Abacuh mart. pſ. IX. *Concordat Martyrolog.* Roman. Kalen*darium quartum* in kalendario *ſecundo, & in Martyrol. noſtro agitur de his die ſequenti, in Kalendario primo die 27. In officio ſunt tres lectiones, acceptæ ex Actis apud Surium 14. Februarij. Et licet Baron. anno 270. acta illa correxerit; tamen quæ habentur in lectionibus, ſincera noſcuntur. Putat Boronius lingua Perſica dictos Maris, & Marthas, ſed inflexione latina factum Marius, & Martha. Quod verò in Actis fit mentio de Tellude, ſciendum eſt, Telludem ſignificare Templum Telludis, ſeù Telluris Deæ, in quo* Senatus *cogi ſolebat, &* SS. *Martyres cauſam dicere cogebantur, vt in actis* S. *Cornelij Papæ, Bar. an. 255. & in Actis* S. *Paulinæ, Bar. anno 259.*

20 F 13 Kalend. Fabiani, & Sebaſtiani Mart. ſemidupl. *Conſentit* Kalendarium *quartum, & Martyrologia: at in primo, & ſecundo* kalendario *nomen ſancti Sebaſtiani præponitur: In officio ſunt nouem lectiones, prima de ſancto* Fabiano, *reliquæ de ſancto* Sebaſtiano: *prima lectio ſumpta fuit ex Anaſtaſio. In ea quod legitur ſanctum* Fabianum *ſediſſe annos quatuordecim, menſes vndecim, dies vndecim, ex computatione Baronij, & Ciacconij corrigendum, & computandi ſunt anni quindecim, & dies quatuor.* Obijt *anno 250. Reliquæ lectiones de ſancto Sebaſtiano ſumptæ ſunt ex Actis apud Surium, & Baronium anno 286. Ex illis corrigenda ſunt aliqua in Breuiario, vbi legitur.* Et inueniens *(ideſt Hyrene)* eum viuentem, adduxit in domum ſuam in Inſula excelſa, vbi manebat

in

Digitized by Google

in Palatio, *legendum eſt, & inueniens eum viuentem, adduxit in domum ſuam per ſchalam excelſam. Vbi legitur,* Iuſsit eum Diocletianus in Epidromium Palatij duci, *legendum eſt*, iuſsit eum in hyppodromum Palatij duci *nempè in locum palatij, in quo equi exercebantur ad curſum: Vbi legitur*, inuenies corpus meum pendens in gunpho, *legendum eſt*, pendens in vnco. *Vbi legitur*, Et leuãs eum inde, poſuit in pauone ſuo, *legendum eſt*, poſuit in Pilento ſuo, *ideſt in rheda, qua ipſa vehi ſolebat. Nomen Zetarij quod inibi legitur ſignificat præpoſitum Zetis, ideſt igneis cubiculis vnius, vel alterius lecti capacibus. Cæterum in hac vrbe noſtra habentur reliquiæ ſancti Sebaſtiani, olim inuentæ in Eccleſia ſancti Ioannis ad* Curtim, *& in Theſauro repoſitæ. Memoriæ proditum eſt nullum Parochianum ſancti Ioannis ad Curtim à graſſante peſte læſum fuiſſe: ſunt quoq; reliquiæ in monaſterio ſancti Ioannis, vbi benedicitur aqua tactu vaſculi ſanctæ reliquiæ, & conſeruatur pro infirmis, quæ tam frequenter peti ſolet vt inter annum neceſſe ſit aliquando iterum benedici, & in Eccleſia ſancti Eligij reliquiæ ſunt inſignes, necnon pulcherrima ſtatua lignea, quam hoc ipſo die presbyteri* Sanctiſſimæ *Annunciatæ ab Cathedralem adducunt, & inde à Capitulo, & à Clero per Vrbem circumfertur. Introductam eſſe conſuetudinem tradunt tempore peſtis, quæ interceſſione ſancti* Sebaſtiani, *inuentis reliquijs, ceſſauit. Quonam anno hoc acciderit, mihi non conſtat: quia verò in Breuiario hoc Feſtũ colitur officio ſemiduplici, mihi perſuadeo tempore, quo Breuiariũ impreſſũ eſt, ideſt anno* 1489. *huiuſmodi conſuedinẽ non extitiſſe, vt ſolẽnis eſſet* S. *Sebaſtiani feſtiuitas. Cũ ergo recens ſit ſolẽnitas ꝙ de peſte traditur, nõ eſt intelligẽdũ de illa peſte, quæ per multos, & multos annos perdurauit, vt ex ſcripturis* S. *Ioannis, &* S. *Eligij colligere potui, nẽpè ãte an.* 1383. *& circa* 1400. *ſed intelligẽdũ de peſte, quæ fuit*



Digitized by Google

*circa annum* 500. *qua peſte infecti* ( *vt aui noſtri narrabant* ) *amandabantur propè montem ſancti Angeli ſupra antiqua Cryptoporticu quadra, conſtructa iuxtà Fontem A Peſciariello: at fuiſſe Domum illam pro infectis constructa à tempore illius prioris, & tam longæ peſtis, ruinæ perſuadente.*

21 G 12 Kal. Agnetis V. & Mart. ſemidupl. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lectiones ex ſancto Ambroſio: eadem vita apud* Surium *Paſſa eſt circa annum* 304. *Olim, & ferè anno* 1201. *extra Capuam in ſuburbio Pontis Caſilini fuit Eccleſia cum hoſpitali, ſub titulo ſanctæ Agnetis: erat in Parochia omnium Sanctorum domus quædam propria illius Hoſpitalis, eſt in Eccleſia ſancti Priſci eiuſdem Virginis imago in opere teſſellato.*

22 A 11 Kalend. Vincentij Mart. ſemiduplex, & Anaſtaſij mart. *Conſentit* Kalendarium *ſecundum, & quartum, & Martyrologia, ſed Kalendarium primum de ſancto Anaſtaſio die ſequenti. In officio ſunt nouem lectiones de ſancto Vincentio. Lect.* 1. Cum apud Cæſarauguſtanam Ciuitatem, &c. *Prologus Actorum eſt:* Probabile ſatis eſt ad gloriam Vincentij, &c. *Habemus eadem (etſi mutila) in lectionario M. S. Extat Capuæ Eccleſia ſancti Vincentij, de qua plura in ſecunda parte. Obijt anno* 303. *Extat etiam ſub inuocatione ſancti Vincentij mart. Cappella intra fines Parochiæ ſancti Rufi in Curti nobiliſſimorum de Balzo. Eſt Beneficium ſimplex in Iurepatronatus hæredis primogeniti deſcendentis à Domino Vincentio del Balzo primo patrono. Nunc is eſt Dominus Scipio Domini Veſpeſiani filius, Domini Vincentij modo dicti Nepos, qui tenet locum ſui primogeniti fratris Domni Aloyſij Clerici Regularis; hodie tamen viuit in vrbe Neapoli cum Patribus Oratorij ſegregatus à ſæculo. De ſancto Anaſta-*

*ſio*

*ſio Perſa primùm mago, deinde Chriſtiano, tùm monacho, tandem Martyre, in officio ſunt tres lectiones compendioſæ nimis, acceptæ ex ſinceris Actis apud Surium, & Baronium anno 614. 621. & 627. quo Martyrium ſuſtinuit Capuæ. Sancto Anaſtaſio eadem, quæ ſancto Vincentio, dicata eſt Eccleſia.*

23 B 10 Kalen. Emerentianæ V. & Mart. *Concordat Kalendarium quartum, & Martyrologia. In officio tres breuiſſimæ lectiones, ſumptæ ex textu ſanctæ Agnetis, qui attribuitur S. Ambroſio.*

24 C 9 Kalend. Feliciani Epiſcopi, & Mart. *De hoc Kalendaria, & Martyrologia tacent: loquitur de eo Martyrologium Romanum, & Epiſcopum Fulginantem appellat. Huius reliquias in Galliam tranſportatas eſſe Baronius ſcribit anno 969. cum reliquijs ſancti Vincentij, aliorumq; Sanctorum.*

25 D 8 Kalen. Conuerſio ſancti Pauli Apoſtoli dup. *Conſonant kalendaria, & Martyrologia Conuerſio ſancti Pauli Apoſtoli Apoſtoli anno poſt Aſcenſionem Domini ſecundo. In officio nouem lectiones ex ſermone ſancti Auguſtini. In palatio Archiepiſcopali extat Cappella ſub titulo Conuerſionis S. Pauli.*

26 E 7 kalend. Policarpi Epiſcopi, Mart. & Paulæ Virginis. *Concordat Kalendarium primum, & Martyrologium Romanum: at in kalendario ſecundo, & in Martyrologio noſtro de ſancta Paula agitur die ſequenti. In officio ſunt tres breuiſſimæ lectiones, exceptæ ex Actis, quæ ſunt apud Surium. In prima vero lectione corrigendum eſt quod dicitur,* Temporibus Marci Aurelij Antonini, qui Pius cognominatus eſt: *nam Antoninus, cuius anno 7. ideſt Chriſti ann. 169. Policarpus martyrium fecit, non eſt Antoninus Pius, qui imperauit ab anno 140. ad 163. ſed eſt Antoninus* Philoſophus, *qui Pio ſucceſſit. De ſancta Paula*



Digitized by Google

*ſunt tres lectiones acceptæ ex vita ſcripta per ſanctum Hieronymum: eſt in Surio. Quare quod in Kalendario dicitur Paulæ Virginis, corrigendum eſt, & dicendum Paulæ Viduæ. Obijt anno 404.*

27 F 6 Kalend. Iuliani Epiſcopi, & confeſſ. & Doct. *Concordat Kalendarium primum, & quartum, ſed in primo Doctoris nomen non habetur. In Martyrol. Roman. & Galeſino, & Maurolyco, & Natal. lib. 3. cap. 35. hac die ponitur Iulianus, qui fuit primus Epiſcopus Cenomacenſis, & Apoſtolorum diſcipulus, qui inter ſcriptores Eccleſiaſticos non inuenitur eſſe numeratus. Fortaſſe Breuiarij Compilator hunc credidit Doctorem, qui tamen fuit Iulianus Pomerius Epiſcopus Toletanus, qui viuebat anno 686. In officio ſunt tres lectiones, quæ ex aliquo longiori, & integro textu ſumptæ videntur.*

28 G 5 Kalend. Agnetis 2. *Concordat* Kalendarium *quartum, &* Martyrol. *noſtrum. In Breuiario tres lectiones ex textu* S. *Ambroſij ſupra citato.*

29 A 4 Kalen. Sabiniani mart. & Sabinianæ Virg. *Concordat Kalendarium quartum: ſed in Martyrol. noſtro, & in Martyrol. Rom. de* Sabiniano *tantùm: at verò de ſorore* Sabiniana *hac ipſa die Maurolycus, & Ferrarius in Topographia. In officio ſunt tres lectiones: quod verò dicitur in tertia* Sabinã *baptizatã fuiſſe Romæ ab Euſebio* Papa, *puto corrigendũ: quia tẽpora Euſebij PP. nõ cõueniunt annis Aureliani, quo imperante Sabinianus martyrij coronã accepit.*

30 B 3 Kalen. Valerij Epiſcopi, & confeſſ. *Kalendaria tacent, ſed* Martyrologium *agit de eo die ſuperiori, id eſt 29. ſicut in Martyrol. Rom. & alij. De hoc in Officio nihil: fuit autem Epiſcopus Triuerenſis, B. Petri Apoſtoli diſcipulus.*

31 C 2 Kalen. Abacyri, & Ioannis mart. *Concordat kalendarium ſecundum, & quartum. In* 1. *kalen. & in Martyrolog. & in Martyrol.* Rom. *eſt.* Cyri, & Ioannis. *In officio*

*tres*

tres lectiones, quæ videntur exceptæ ex actis relatis à Sur. Et planè innuunt ipſæ lectiones, alibi, quā Romæ paſſos eſſe: id quod Baron. probat. Ceterùm quod legitur in 3 lectione, Ioannes Ciuitate Meſſana ortus, legendum eſt Ciuitate Edeſſena: Nam Cyrus natus eſt Alexandriæ, & Ioannes Edeſſæ. Nomen Abacyri eſt nomen compoſitum, id eſt Abbas Cyrus: ipſe enim monaſticum habitum induit: tempus Martyrij creditur circa annum 280.

## FEBRVARIVS.

1 D Kal. Februarij. Ignatij Epiſcopi, & mart. & Brigidæ Virg. pſ. 1 x. Concordat Kalēdarium ſecundum, & quartum, & Martyrologia. De S. Ignatio ſunt in officio tres lectiones, quæ conſonant Adoni, & Martyrologio noſtro: quare in his corrigenda ſunt nonnulla ex Bar. anno 110. Quod dicitur Martyrium S. Ignatij contigiſſe anno vndecimo Traiani, Attico, & Marcellino Conſulibus, corrigendum eſt: nā Traiani vndecimo anno non Atticus, & Marcellinus, ſed Gallus, & Bradua Conſules aſſignantur. Et quod dicitur S. Ignatium prouocatum à leonibus, ſed carnes eius ab illis nō fuiſſe tactas, diſſentit ab alijs, aſſerentibus leones dilaceraſſe, & deuoraſſe martyrem pro martyris voto: abſtinuiſſe verò ab illius aſperioribus oſſibus. Et quod dicitur S. Ignatium conſummaſſe martyriū præſente Traiano, neq; conſentit: Traianus enim anno vndecimo in Oriente agebat: quare ſi Adonem, & Martyrol. noſtrum ſequentes, & Breuiarium dicere volumus martyriū S. Ignatii cōſummatum præſente Traiano, dicendum erit, contigiſſe anno eius ſeptimo, quando Dacico bello confecto, Romam rediit, Surano, & Marcello Conſulibus, id eſt anno Chriſti 106. & hoc probat Galeſinus. De S. Brigida Virgine ſunt in officio tres breues lectiones, quæ non ſententia, ſtylo tamen maximè differunt

runt ab actis relatis à Surio; nomen quoq; parentum variè ſcribitur: Duptachus pater, Brotſech mater à Surio: Duptochus, & Brocca in margine Surii: Dabtoch, & Crocba in Breuiario noſtro. Obiit anno 518. vel 522.

2 E 4 Non. Februarij. Purificatio Beatæ Mariæ Virginis dupl. & ſolemne. Conſentiunt kalendaria, & Martyrologia.

3 F 3 Non. Blaſii Epiſcopi, & Mart. dupl. Conſonant kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lectiones. Beatiſsimus Blaſius Sebaſtes Ciuitatis Cappadociæ Epiſcopus, pœnales expaueſcens inflictus &c. Sine dubio ſunt accepta ex aliquo textu longiori, antiquo, qualem reperiri teſtatur Baronius. Hic habetur ſanctum Martyrē paſſum circa ann. 288. ſed Baronius refert ad annum 316. ſub Licinio. Ceterùm ſanctus Blaſius Capuæ ſingulari deuotione ſemper cultus fuit, & colitur: nam præter Cappellam, & pignus ſancti brachij in Cathedrali, habuit paſsim Eccleſias in Diœceſi. In Diplomate Alexandri III. fit mentio de Eccleſia ſancti Blaſij in territorio Arnonis, & de altera in Caſtello ad mare.

4 G 2 Non. Gilberti Conf. De hoc tacent noſtra. Kalendaria, & Martyrologia, & officium: agunt de eo Martyrol. Roman. Galeſinus, Molanus, Natalis, lib. 3. cap. 83. Sed Molanus refert ad 23. Maij. Hic fuit fundator Monaſterij, Gemlacenſis in Belgio, tempore Primi Ottonis, & anno 962. obijſſe ſcribitur. Fuit igitur Abbas, non Epiſcopus. Acta apud Sur. 23. Maij.

5 A Non. Agathes Virg. & Mart. Solemne maius. Consonant kalendaria, & Martyrologia. In officio hac die, & per octauam ſunt diſtributæ lectiones ex integro vitæ ſuæ textu, cuius initium eſt: Paſsionis Beatiſsimæ Virg. & Mart. Agathes, &c. Habemus illum in Codice Longobardo. Profecto de ſancta Agatha cultu apud Capuam tria

certò

Digitized by Google

*certò ſcimus. Vnum haberi tantæ Virginis papillam in Theſauri Capuani diuitijs. Alterum, eſſe quoque nomen eius Eccleſiæ Capuanæ vocabulum. Tertium S. Nicolai montem, Capuæ proximum, antiquitùs montem ſanctæ Agathæ nuncupatum. Sed qua occaſione, quoue tempore, & à quonam viro S. papilla Capuam adducta ſit, habetur ex Heremperto citato in vita ſancti Ruſini: adduxit illam ſanctus Germanus, functus Apoſtolica legatione apud Conſtantinopolitanum Imperatorem, quo tempore vnà cum ſancto Stephano facta eſt ſancta Agatha Eccleſiæ Capuanæ titularis. Illud verò certa traditione refertur, nempè fuiſſe papillam per aliquod tempus in ſummo campanili collocatam, & diuturnitate factam incognitam: tandem campanilis vertice ictu fulminis in terram decuſſo; repertam, recognitam, & in Theſauro reconditam: Neque mirum ſi tam inſignis reliquia in campanili poſita fuerat, hoc enim erat antiquitus in more poſitum, vt ex Caſſinenſi Chronico manifeſtè colligitur lib. 3. cap. 30. De montis nuncupatione incertum habemus quis, vel quando Eccleſiam ibi ædificarit, vnde mons totus vocabulum acceperat Sanctæ. Porrò conſpicitur etiam hodie Eccleſia vetus propè Eccleſiam ſancti Nicolai, & conſpiciuntur in illa picturæ Virginis, & Martyris, & ſi propter antiquitatem, vix earum vna, vel altera dignoſci poteſt: optimè dignoſcitur illa, quæ Virginem pectore, dorſoque nudam, taurinis loris flagellatam repræſentat. Præter Cathedralem, & Eccleſiam montis, inuenimus anno 1363. fuiſſe in terra Lanei vnam, & in terra Capuana alteram S. Agathæ Capitulo Capuano ſubditas, & annexas.*

6 B 8 Idus. Februarij Sothetis, & Dorotheæ mart. *Concordat Kalendarium quartum. In primo de Dorotheа tantum: de Sothere hac die Martyrologium noſtrum, Beda, Molanus ad Vſuardum, Maurolycus, & Galeſinus: ſed Martyro-*

*tyro-*

tyrologium Romanum, & Vſuardi agunt decimo die menſis huius: at eodem decimo die noſtrum Martyrologium. Maurolycus, & Galeſinus item de Sothere. Molanus dubitat vnane ſit, an duæ: Galeſinus vnam eamdemque ſcribit, & & Baronius quoque. De Dorothea Kalendarium primum, & quartum & Martyrol. conſentiunt alij. In officio nec de Sothere, nec de Dorothea quidquam.

7 C 7 Idus. Auſtrobertæ Virginis. De hac Kalendarium ſecundum, & quartum & Martyrologium: ſed Martyrologium Romanū, Vſuardi, Maurolyci, & Galeſini agunt decimo die. In officio ſunt tres lectiones, breue elogium continentes, excerptum ex actis, quæ habemus in C. Longobardo M. S. & eorum initium eſt, Beatiſsima Virgo Auſtroberta Domino priùs quàm naſceretur nota, &c. Notatur obitus 7. Idus Februarij. Apud Surium acta ſanctæ Auſtrobertæ ponūtur die decimo: ſunt ſcripta quaſi totidem verbis, quibus noſtra: ſtylus tamen eorum eſt abundantior: ſed in noſtris eſt textus miraculorum poſt mortem.

8 6 Idus. Dionyſij, Aemiliani, & Sebaſtiani mart. De his tacent Kalendaria, loquitur Martyrol. conſentit Martyrol. Roman. & cæteri. In officio nihil. Paſſi ſunt autem in Armenia minori.

9 5 Idus Sauini Epiſcopi, & Apolloniæ Virg. & mart. Concordant Martyrologia; ſed Kalendaria de Sabino tantùm. De S. Apollonia in officio nihil. Nomen ſancti Sabini Maurolycus, & Natalis lib. 3. cap. 133. referunt ad diem decimumſeptimum. De eo Breuiarium habet in officio tres lectiones, acceptas ex vita, quam habemus in C. Longobardo M. S. Acta huius Sancti habentur impreſſa, ſed emendatiora habentur in noſtro Codice: Impreſſa in lib. 4. die 4. habent ita: Nam gentium Italia direptione non paucis temporum curriculis premetur, ita quod vt rura abſque agricolis ob gentium terrorem relicta videantur: diuturnè

etiam

Digitized by Google

etiam abſque adminiculo paſtorum Eccleſia inculta retinebitur; nullus clangor laudautium, ſiue canentium ſonora mea voce audietur, relicta ab hominibus loca hæc tantummodo beſtiæ tenebunt. Quis ignoret Anibalis Cartaginenſis aduentu cunctam Auſoniam deuaſtatam? *In noſtro* C. *poſt verba* relicta videatur, *addendum*, Qua cauſa membrorum meorum tumba incognita relinquetur: *Vbi legitur* ſonora mea voce, *legendum* ſonora in ea voce. *ſcilicet in ea Eccleſia. Illa clauſula* Quis ignoret, *omninò tollenda, & pro ea reponendum:* Quod quidem reperimus iuxta vaticinium profetantis. *Planè quod hic habetur de aduentu Animabilis in Italiam, eſt omninò abſonum: nam Italiæ deuaſtatio à* S.*Sabino prædicta, euenit à Longobardorum irruptione, quando & monaſterium Caſſinenſe diruptum fuit iuxta factam* S. *Benedicto reuelationem. Fuit autem* S.*Sabinus* S. *Benedicto coæuus. In lib.6. die 6. vbi legitur.* Venerabilis agebat, *legendum,* Venerabilis aiebat, ideſt Primicerius venerabilis narrabat. *In fine legitur in illis.* Hæc principante viro glorioſiſsimo Ermenrich pro Legrimoalt ſcripta ſunt, *noſtra habent* Hermenrich filio Grimoalt: *& ideo ibi legendum erat* prole Grimoalt. *Scio fuiſſe qui voluerint ſuſtinere lectionem* pro Legrimoalt, *quaſi* Legrimoalt *fuerit nomen dignitatis, vel officij tempore Longobardorum. Mihi videtur omninò vera lectio noſtri C. nam Longobardi (vt ſæpe meminit* S.*Gregorius in ſuis epiſtolis) non habuerunt niſi Regem, Duces & Comites, habuerunt deinde Principes, miniſtri vocabantur Caſtaldi, ſeù Caſtaldei, & Iudices, vt ex Chr. Caſſ. licet agnoſcere.*

10 4 Idus. Scholaſticæ Virg. ſemidup. *Conſonant Kalendaria, & Martyrol. In officio ſunt nouē lectiones: acceptæ ex Dialogis* S. *Gregorij Papæ: Circa annum* 1231. *in ſuburbio quod erat propè portam* S. *Angeli, extabat Eccleſia* S. *Scholaſticæ: ſed vrbe in arcis formam redacta, & ſublato*



Digitized by Google

*ſuburbio, titulus trãſlatus eſt intrò, & factũ Oratoriũ propè domũ S. Ioãnis Gieroſolomytani, quod tñ hodie dirutũ cernitur.*

11 3 Id. Caſtrenſis Epi, & Cõfeſſoris, & Deſiderij Epiſcopi. *De Caſtrenſe kalendaria ſecundũ, tertium, & quartũ Martyrologia quoque. Nos de eo ſatis in prima parte. De S. Deſiderio Martyrol. tantùm fuit Epiſcopus Viennenſis, ſed occiſus Lugduni vt notat Baron. De eo nihil in officio.*

12 2 Idus. Octaua ſanctæ Agathæ Virginis, & mart. *Concordant Kalendarium tertium, & quartum.*

13 Idus. Tranquillini mart. & Licini mart. *Tacent kalendaria, & Martyrologium. De Tranquillino hoc ipſo die Maur. & Gal. ſed Martyrol. Roman. Vſuard. & Natal. lib. 6. cap. 61. & Martyrol. M. S. agunt die 6. Iulij. De Licino, alias Lucinio, hoc etiam die Martyrol. Rom. & cæteri: fuit patria Andagauenſis, & Epiſcopus Turonenſis.*

14 16 Kalend. Valentini Epiſcopi, & Mart. *Conſonant Kalendaria primum, tertium, quartum Martyrol. Roman. In kalendario ſecundo, & Martyrol. dicitur Valentinus presbyter, & alter Valentinus Epiſcopus Interamnenſis: & de hoc Epiſcopo ſunt in officio tres lectiones, acceptæ ex longioribus actis, quorum tertium* Propheta loquitur ad Deum. *Hæc habemus in noſtro* C.M.S. *& ſunt in Surio.*

15 15 Kalend. Decoroſi Epiſcopi Capuani duplex, & Fauſtini, & Iouitæ mart. *Concordat kalendarium tertium, & quartum, & Martyrol. Roman. ſed Kalendarium primũ, & ſecundũ. & Martyrol. tantùm de Fauſtino, & Iouita. De Decoroſo ſatis in prima parte. De ſanctis Martyribus in officio ſunt tres lectiones* Ex actis Beatiſsimi viri Fauſtini, & Iouitæ, &c. *Habemus in noſtro* C.M.S. *& ſunt in Surio.*

16 14 Kalen. Iulianæ Virg. & mart. *Concordant kalendaria, & Martyrologia in officio ſunt tres lectiones acceptæ ex actis ſcriptis ad* Petrum *Epiſcopum Neapolitanum. Has habemus in noſtro* C.M.S. *& ita ſe habent:* Egregio Patri Domino Petro, &c.

*In*

Digitized by Google

*In his Actis habetur anno 2. decimæ perſequutionis Diocletianum feciſſe ſibi conſortem Imperij Maximianum Galerium, cognomento* Herculeum: *ſed re vera duo fuerunt* Maximiani, *alter dictus* Maximianus *Valerius* Herculeus; *alter dictus* Maximianus *Galerius: vtrumq; Diocletianus* Cæſarem *fecit: ſed Herculeum anno 3. ideſt anno Chriſti 286. Galerium ann. 9. ideſt anno Chriſti 292. In eiſdem actis habetur anno ferè 290. Euſebium geſſiſſe Papatum: ſed re vera Euſebius ſedit circa annum 309. & circa annum 296.* Caius, *& deinde 297.* Marcellinus, *ex Chron. Bell. & Baron. (Eccleſia ſanctæ Iulianæ eſt in* Marcianiſo, *& Airola; fuit in territorio* Cancielli, *& propè villam Herculem.*

17 F 13 kal. Policronij Epiſcopi, & mart. *Tacent Kalendaria, & officiũ; loquuntur* Martyrologia. *Fuit Epiſcopus Babyloniæ.*

18 G 12 Pantaleonis mart. & Simonis Epiſcopi, & mart. *In Kalendario 3. & 4. de Pantaleone tantùm:* Mar*tyrol. de Simone tantùm. Hoc ipſo die de Simone communiter omnes: at de Pantaleone die 27. Iulij. Breuiarium noſtrum conformat ſe Eccleſiæ Colonienſi: nam vt* Molanus *ad Vſuardum* ait: Coloniæ 12. Kalen. Mart. Commemoratio oſsium ſancti Pantaleonis mart. quando caput eiuſdem mart. per Henricum de Vlmine militem de Conſtantinopoli ad nos tranſlatum eſt. *In officio ſunt tres lectiones, fortaſſe ſumpta ex Actis quæ ſe* MM.SS. *legiſſe Baronius dicit: pauca, quæ ſunt in Breuiario conſentiunt ſcriptis à* Meta*phraſte, & relatis à Surio: in eo ſolo differunt, quòd noſtra habent* Pantaleonem *liberaſſe puerum viuum à ſerpente detentum; ſed in Surio eſt puerum ſerpentis morſu iam occiſum, à* Pantaleone *reuocatum in vitam.*

19 A 11 Kalen. Barbati Epiſcopi, & Confeſſ. & Gabini mart. *Conſonant tantùm* Martyrologia: *nam Kalen-*



Digitized by Google

*daria de Gabino tacent. In officio ſunt de S. Barbato tres lectiones, acceptæ ex Actis, quæ* MM.SS. *habemus in C. Longobardo, & ita ſe habent.* Sicut euidentiſsimè fidelium relatione comperimus, &c.

20 B 10 kal. Galli presbyteri, & Confeſſ. *Tacent Kalendaria, & officium. In Martyrologio* Alemanniæ S. Galli Abbatis diſcipuli S. Columbani. *Planè Galeſinus agit de Gallo hoc ipſo die. Sed Maurolycus die ſuperiori: dicunt fuiſſe presbyterum in Germania: ſed de Gallo diſcipulo S. Columbani agunt die 16. vt Octob. Romanũ Martyrologium, & alij; Quare hic Gallus, de quo Kalendarium, eſt alter ab illo, iuxta Galeſ. & Mauroly. ſed eſt idẽ iuxta noſtrũ Martyrol. in quo de eodem agitur, & hoc die, & Octobris decimoſexto.*

21 C 9 Kal. Septuagintanouem mart. *Tacent Kalendaria, & officium, ſed notantur in Martyrologijs apud Siciliã ſub Diocletiano per diuerſa tormenta feciſſe martyrium.*

22 D 8 kal. Cathedra S. Petri dupl. *Conſonant kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt ſex lectiones hiſtoriales, & tres de homilia: initium primæ eſt ex initio ſermonis S. Auguſtini; cætera, quæ ſequuntur, videntur accepta ex Actis Apochriphis, vnde ſumptæ ſunt lectiones feſti eiuſdem Apoſtoli menſe Iunio. Hoc obiter annotamus à ſancto Petro fundatam Eccleſiam Antiochenam anno 39.*

23 E 7 Kalen. Policarpi presbyteri, & Confeſ. Vigilia. *De vigilia nihil in Kalendarijs. De Policarpo Kalendarium quartũ, & Martyrolog. ſed Kalendariũ tertiũ de eo die 21.*

24 F 6 Matthiæ Apoſtoli dupl. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lectiones ſub titulo,* Paſsio S. Matthiæ Apoſtoli: *ſed in C. Longobardo* M. S. *præfixus eſt Titulus,* Sermo Domini Berthaiij Abbatis: Inclytam, & glorioſam feſtiuitatem.

25 G 5 kalen. Victorini, & ſociorum eius. *De his in Kalendarii 3. & 4. In officio nihil. Agit Martyrol. & conſonat Martyrologium Romanum.*

26 A 4 Kalen. Neſtoris Epiſcopi, & mart. & Fortunati

mart. *De Neſtore tacēt* kalendaria, *& officium : loquitur Martyrologium, & conſonat* Martyrologium *Romanum, & reliqui. De Fortunato* Kalendarium *tertium, & quartum.*

27 B 3 Kalen. Iuliani mart. *Tacent Kalendaria, & officium: agit* Martyrol. *& Kalendarium tertium cōmuniter.*

28 C 2 Kalen. Romani Abbatis. *Agit de Romano Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum, & Martyrologium. In Breuiario ſunt tres lectiones, quæ pertinent ad Romanum S. Benedicti coæuum, & noſtro* Martyrologio, *& Breuiario concordat lectionarium S. Ioannis* M. S. *At verò de hoc Romano S. Benedicti coæuo agitur ab alijs die 22.* Maij, *& hac die poſtrema Febr. agitur de altero Romano.*

# *MARTIVS.*

1 kal. Martij, Albini Epiſcopi, & Cōf. & Herculani Epiſcopi, & mart. *Concordat* Kalendarium *quartum. In tertio de Albino tantùm. In officio de neutro, nec in Martyrlog. Albinus fuit Epiſcopus Andegauenſis, & Herculanus Epiſcopus Peruſinus : de his Martyrologium Romanum, & alij.*

2 6 Non. Iouini, & Baſilei mart. *Tacent Kalendaria, & officium; loquitur* Martyrologium, *& fuerunt* Martyres *paſſi* Romæ *ſub Galieno: agit de his* Martyrologium. Rom. *& alij.*

3 5 Non. Simplicij Papæ, & Conf. *Nihil in officio: Kalendarium tertium, & quartum, &* Martyrol. *agunt die ſuperiori, & ita quoq;* Martyrol. Romanum, *& alij. Natalis lib. 11. cap. 5. nullam certam aſſignat diem ann. 1418. circa villam Curtium locus ad S. Simbricium. Puto Simbricium pro Simplicio dictum.*

4 4 Non. Lucij Papæ, & mart. *Nihil in officio, notatur in* kalendario *tertio, & quarto, & in* Martyrol. *quibus conſentit Martyrologium Romanum, & alij.*

5 3 Non. Focæ mart. Euſebij, & aliorum nouem mart. Concordat *Martyrol. &* kalendarium *tertiū, & quartum in officio nihil notatur in* Martyrologio Romano, *& in alijs.*

6 2 Non.

6 II Non. Victoris, & Victorini mart. Zacchariæ Papæ, & Confeſſ. *Concordat Kalendarium quartum in tertio de Zaccharia tantùm: In Martyrol. De Victore, & Victorino tantùm: in officio nihil Ado, & Vſuard. de Zaccharia die 14. vt etiam Galeſ. & Maurol. ſed Martyrologium Romanum, & Martyrologium noſtrum die 15.*

7 Non. Thomæ de Aquino Confeſſ. ſemidupl. Perpetuæ, & Felicitatis mart. *Concordat Kalendarium quartum Martyrol. In primo* Kalendario *de Perpetua, & Felicitate tantùm, & in ſecundo, & tertio, & in* Martyrologio *eſt nomen ſancti Thomæ ſuperadditum. In officio nouem lectiones de eius vita. Pietas Capuanorum erga ſanctum Thomam de Aquino antiqua eſt, quandoquidem & ſanctum eius nomen ſtatim poſt canonizationem* kalendarijs *Eccleſiaſticis Capuanæ Eccleſiæ inuenitur adſcriptum: Et Feſtum eius ex præcepto ſanctificatum: Et in ipſo Feſto ad eius altare ſitum in Eccleſia ſancti Dominici, concurri, oblationes cereorum à Scholaſticis fieri, & encomium aliquod tanti Doctoris publicè recitari conſueuit. Neque mirum, quia (vt diximus in tertia parte) hic Angelicus Doctor licèt Capuæ non ſit ortus, Capuæ tamen eſt oriundus: Et ſoror eius natu maior, quam ipſemet monitionibus, & exemplo ad mundi contemptum adduxerat, in Capuanum ſanctæ Mariæ monaſterium intrauit: & Angelicæ ſuæ doctrinæ riuus deriuatus ad* Capuanam *Eccleſiam quando ipſo viuente Marinus Filimarinus Neapolitanus, qui fuerat diſcipulus eius, factus Archiepiſcopus* Capuæ, *coram quo & ipſe Sanctus aliquando fuit in extaſi: Et tandem eius Canonizationi Ingerannus Stella Archiepiſcopus Capuanus interfuit, & quartus orauit. Quibus omnibus piè recogitatis, nuper adducta eſt Ciuitas, vt ipſum S. Thomam de Aquino in* Patronum *acciperet, & accepit hoc anno* 1628. *die 6. Ianuarij inſtrumento publicè confecto in Eccleſia*

*ſan-*

*ſancti Dominici. In Academia Raptorum acta quoque ſolemnitas Ego minimus ibi hæc pauca.*

## *Sanctus Thomas Aquinas oriundus Capua nunc Capuæ Patronus.*

*GEns ab Aquinatum longa ditione celebris*
*Angelicum ſydus lætior illa tulit.*
*Illa ſed ex Capua traxit primordia ſtirpis*
*Vrbs Capys hæc Thomam prædicat ergo ſuum.*
*Ergo ſuum recolant ab origine feſta Patronum,*
*Et Thomæ laudes in Capys Vrbe ſonent.*

## IMAGO SANCTI THOMAE habet Solem in pectore.

*QVàm benè Sol Thomæ radias in pectore? pectus*
*Fons eſt luciſluæ, fons ſapientis aquæ.*
*Scilicet in pectus Sapientia fluxit ab alto*
*Qua mens ægra ualet noſcere magna Dei.*
*Sic nobis memorant ſacrata volumina Fontem*
*Solis, vbi cerni Solis imago poteſt.*

8 8 Id. Philomenis, & Polomij mart. *Concordat Kalendarium quartum, & Martyrol. ſed Martyrol. habet Polonij, ſed Martyrologium* Romanum: *& alij habent Apollonij. In officio nihil. Paſſi ſunt in Aegypto.*

9 7 Id. Quadraginta Mart. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologia: in officio ſunt tres lectiones, excerptæ ex Actis. In* C. M. S. *ſunt Acta ſcripta à Ioanne Diacono Eccleſiæ ſancti Ianuarij, rogante Ioanne Abbate* S. *Seuerini in ciuitate Neapoli: & omiſſo prologo, ita ſe habent.* Temporibus Licinij, &c.



Digitized by Google

10 *6* Id. Alexandri, & Gaij Mart. *Concordat Kalendarium quartum, & Martyrologia, ſed Martyrol. pro Gaio, habet Gaudium.* Natale *(inquit)* S. M. Alexandri, & Gaudij de Eumenia, qui apud Apameam, &c. *De his in officio nihil.*

11 5 Id. Quadraginta duorum militum. *In* Kalenda*rio quarto tantùm. De his nihil in officio. Martyrologium Romanum, & alij agunt die ſuperiori. Maurolycus hac die iterat commemorationem* SS. *Quadraginta, de quibus die nona.*

12 4 Idus Gregorij Papæ, & Doct. dupl. & Bernardi Epiſcopi. *Concordat Kalendarium quartum in tertio nomen Bernardi eſt ſuperadditum: nos de eo in prima parte. De ſancto Gregorio ſunt in officio lectiones nouem ex eius vita, quæ incipit.* Gregorius Vrbe Romulea patre Gordiano, &c. *eſt in noſtro* C. M. S. *textus integer.*

13 3 Id. Macedonij, Patricij, & Modeſtæ mart. *Concordat* Kalendarium *quartum: in Martyrol. habetur,* Apud Nicomediam ſancti Macedonij presbyteri, & Patritiæ vxoris, & filiæ Modeſtæ. *Ita quoque habet Maurolycus. In Martyrologio Romano non eſt nomen presbyteri. In Galeſino tacetur nomen vxoris, & filiæ. In officio nihil.*

14 2 Idus. Quadraginta ſeptem Mart. & Eufroſij mart. *Concordat* kalendarium *quartum. De* 47. *Martyribus baptizatis à ſancto Petro in carcere Mamertino, Martyrologium noſtrum, & communiter omnes. Quod attinet ad Euphroſium* Martyrologium *Romanum, & Galeſ. & Vſuar. appellant Aphrodiſium:* Maurolyc. *Euphraſium. In Martyrologio noſtro eſt* Depoſitio S. Eufroſiæ Virginis. *In officio nihil.*

15 Id. Matronæ Mart. *Concordat* kalendarium *quartum. In tertio eſt* Matronæ *Virginis: hac die* Martyrologium *Romanum, & alij communiter habent de ſancta Ma-*

*trona*

Digitized by Google

*trona Virgine, & M. Theſſalonycenſi. Item Barcinonæ in Hiſpania de Matrona Virgine, & M. ſed alias eſſe à Matrona, quam colimus in Via Aquaria, in ſecunda parte monſtrauimus. In officio nihil.*

16 17 Kalen. Aprilis. Ciriaci mart. *Solum kalendarium quartum & Martyrologia. ſed communiter alij.*

17 16 Kalen. Patricij Epiſcopi, & Confeſſ. *Solum kalendarium quartum, & Martyrologia: concordant alij. Fuit Epiſcopus in Scotia, ſeù Hybernia.*

18 15 Alexandri Epiſcopi, & Confeſſoris. *Concordat kalendarium quartum, & Martyrologia. Is, e Capadocia Ieroſolymam perrexit deuotionis cauſa, & ibi à Narciſſo Epiſcopo in coadiutorem aſſumptus eſt.*

19 14 Ioannis Anachoritæ, & Potentianæ Virginis, & Ioſeph Confeſſ. *Concordat ſolum Kalendarium quartum. In Martyrologio tantùm de ſanćto Ioanne. Martyrologium Romanum, & cæteri de ſanćto Ioanne, & ſanćto Ioſepho Sponſo Sanćtiſſimæ Virginis. De Potentiana Virgine qui agat hoc ipſo die, mihi non occurrit: dicerem hanc eſſe Potentianã, de qua communiter agitur die decimonono Maij: ſed Breuiarium illo ipſo die habet officium: fortaſſe hic dies eſt obitus, & ille contumulationis eiuſdem Potentianæ: at repugnat Breuiarium quod habet, contumulationem contigiſſe poſt diem vigeſimumoćtauum ab eius obitu. Fortaſſe eſt aliqua alia.*

20 13 Pauli, Cyrilli, Eugenij, cum alijs Quatuor mart. *De his tantùm in Kalendario quarto, & in Martyrol. ſed Martyrologium Romanum, & alij communiter.*

21 12 Benedićti Abbatis ſemidupl. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lećtiones, acceptæ ex Dialogo ſanćti Gregorij Papæ. Sanćtus Benedićtus intra Capuam nouã habet inſignem Eccleſiam: habet Oratorium quod nunc eſt in clauſura Monialium Ieſu: habet in*



Digitized by Google

*Diœceſi Caſertana, olim Capuana, pagum ſui vocabuli, & anno 1291. erat Villa ſancti Benedicti in pertinentijs Capuæ: habuit olim monaſteria ſuæ regulæ ſub vocabulo ſancti Benedicti, ſancti Vincentij, ſancti Laurentij, & Trinitatis, & ſancti Angeli ad formas.*

## De Monaſterio Monialium ſanctæ Mariæ.

TEmporibus Giſulfi Iunioris Beneuentani Ducis (ſcilicet circa annum Domini 750.) quidam Sculdais Beneuentanus, Saracenus nomine in loco, qui Cingla vocatur, territorio Aliphano, Eccleſiam in honore sācti Caſſiani à fundamentis conſtruxit: eâque ex permiſsione præfati Ducis, cum omnibus, quæ ibi acquirere potuit, ſimul etiam cum omni ex integro ſubſtantia, & hæreditate ſua præter ſeruos, & ancillas, quos omnes libertate donauit, quoniam filium non habebat, in monaſterio Beati Benedicti obtulit. Qui locus cum oculis venerabilis Petronacis valde vtilis viſus fuiſſet, cum conſenſu, & maximo adiutorio eiuſdem glorioſi Ducis Giſulfi, & Scauniperge vxoris eius; conſtruxit ibidem monaſterium puellarum Dei, ad honorem Beatæ Dei Genitricis, & ſemper Virginis Mariæ. Conceſſa inſuper ibi à prædicto Duce, Eccleſia ſanctæ Crucis cum omnibus territorijs, & pertinentijs eius, quam Giſelpertus Præpoſitus Caſsinenſis, a quodam Abbate Deusdedit nomine emerat, cum conſilio, & adiutorio eiuſdem Ducis: Necnon & alijs Eccleſijs, & Curtibus non paucis in circuitu, iuxta quod munimina eiuſdem monaſterij continent. Quod videlicet ſanctæ Dei Genitricis monaſterium, annuente præfato Abbate, idem Dux Giſulfus tunc confirmauit tribus ancillis Dei, idest Gauſani Abbatiſſæ, Pancritudæ, & Garipergæ, quæ poſt poſitis parentibus, & vniuerſis opibus ſuis, peregrina-

ri

ri pro Deo in partibus iſtis elegerant. Eo vtique tenore, vt quamdiù quælibet earum aduiuerat loci ipſius regimẽ ſine alicuius contradictione teneret: poſt illarum verò exceſſum & poteſtas,& ordinatio eiuſdem loci ad monaſterij ſancti Benedicti Caſsinenſis ditionem rediret. *Ex Chr. Caſs.lib.1.cap.6.*

Temporibus *Marini* Papæ (circa annum 943.) cum Cinglenſis Eccleſia à Saracenis deuaſtata fuiſſet, Ioannes eiuſdem Cellæ Præpoſitus quidquid ſuppellectilis, vel Theſauri quoquomodo ſurripere potuit, aſſumens, cum conſenſu Abbatis Caſsinenſis Capuam pergit, atque ibi monaſterium conſtruere cœpit. Quo etiam tempore venerabilis Papa *Marinus* eandem Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Capua cum omnibus poſſeſsionibus ſuis Caſsinenſi cœnobio per priuilegium ex integro confirmauit. *Ex Chr.Caſſ lib.1.cap.56.*

Poſt annum 952. Temporibus Landulfi, & Pandulfi filij eius,cognomento Capiteferreo, Principibus Capuæ, Aligernus Abbas Caſsinenſis,ad Principes iam dictos accedens rogauit, vt darent Cellæ Cinglenſi locum foris portas ſancti Angeli ad monaſterium conſtruendum ancillis Dei,quia monaſterium,quod intus erat,nimium ſtrictum,& incompoſitum habebatur ancillis Dei, ibi manentibus. Illi verò concedentes ſtatuerunt locum foris murum Ciuitatis, vbi Caſtrum, & monaſterium conſtruerentur: cuiq; conceſſerunt foris murum qualiter vadit vſque in flumen. *Ex Chr. Caſſ.lib.2.cap.2.*

*Nomina Abbatiſſarum ex M. S. Kalendario mortuorum aſſuto Martyrologio quoq; M.S.eiuſdem Monaſt.*

*In Monaſterio Cinglenſi.*

Glauſa Paſcettuda Adeltruda



Digitized by Google

Acetruda
Panchitruda
Galetruda
Gaitruda
Anſelanda

Scauniperga
Alderona
Iedeleupa
Sichelenda
Aurona

Rottiperga
Vuadelgrima
Adelgiſa
Radelchiſa
Roſsinda
Bona.

*In Monaſterio Capuano.*

Anno
942 Carda ſedit ann. 30.
Adelgrima ob. 18. Maij. ſederunt
Alferada ob. 18. Iunij. per annos
Sichelgaita ob. 25. Aug. 60.
1032 Maria ob. 6. Apr. ſed. an. 42.
1074 Orania ob. 5. Decemb. ſed. an. 5.
1079 Altruda ob. 6. Decẽbr. ſed. an. 9.
1088 Gemma ob. 5. Apr. ſed. an. 15. menſ. 4. dies 9.
1103 Altruda ob. ſed. an. 2. menſes 9.
1106 Ageltruda ob. 26. Ian. ſed. an. 7.
1113 Alferada ob. ſed. an. 11. menſ. 4. dies 25.
1124 Gemma ob. 18. Iulij. ſed. an. 11. dies 28.
1134 Ata ob. 16. Decemb. ſed. an. 33.
1167 Matthia ob. 17. Ianuarij ſed. an. 46. dies 23.
Tempore huius Abbatiſſæ Archiepiſcopus Capuanus ſubegit ſibi monaſterium cognita cauſa, & lata ſententia à Papa Alexand. ann. 1171. fuit is Archiepiſcopus Alfanus.
1213 Sichelgarda de Petruro ob. 15. Iun. ſed. ann. 32. menſ. 5. dies 15.
1246
1253 Ob. Altruda de Petruro ob. 20. Decemb.
1253
1291 Ob. Theodora. ob. 14. Nouemb.
1291

1322

Digitized by Google

1322 Ob. Catarina Pandona ob. 18. Decemb.
1322
1363 Ob. Maria Carrafa ob. 28. Septebr.
1363
1389 Ob. Catarina Pandone. ob. 28. *Mart.*
1389
1402 Ob. Lucania de *Monte Marano* ob. 28. Ian.
1402
1428 Ob. Brita de Azia ob. 20. Apr.
1428
1467 Ob. Maria Dentice ob. 17. Octob. ſeù Maura 1465
1467
1493 Ob. Fiella de Angelis ob. 5. Nouemb.
1494 Ob. Sara de Antignano. ob. 23. Auguſti hæc reperitur Abbas 1475. dicendum eſt Fiellam viuentem renunciaſſe.
1507 Veronica de Archiepiſcopo.
1511
1512 Catarina Ferrara.
0000 Antonetta tempore Leonis IX. poſt 1113. ante 1121.
1540 Spolita *Marchesia.*
1553 Antonia de la Rath. ob. ann. 1574. menſ. Ianuarij hæc fuit vltima Abbatiſſa perpetua, ſeù vita durante.

*Reperiuntur in Kalendario mortuorum nomina quarundam Abbatiſſarum, quarum nec ordo ſucceſſionis, nec tempus ſedis, nec annus obitus ſciri potuit.*

Agneſſa ob. 18 Ianuarij.
Gatelgrima ob. 7. *Martij.*
Rigale Pandone ob. 18. Aprilis.
Agneſa ob. 10. Iulij.
Ioanna de Fiando ob. 22. Iulij.

Albe-

Digitized by Google

Alberada 2. Auguſti.
*M*aria Spāli 11. Auguſti.
Fenicia 11. Nouemb.
Lauenia 23. Decembris. *Hæ fuerunt Abbatiſſæ poſt Sichelgardam de Petrulo 1217. nam vſque ad illam ordo ſucceſſionis certus eſt; ideo dicendum eſt fuiſſe Abbatiſſas intra illos annos, qui notati ſunt intra obitus Abbatiſſarum, v. g. à 1246. ad 1253. & à 1253. ad 1291. & ita deinceps.*

1574 Placida Bruna Neapolitana per triennium à die ſancti Vincentij.

1577 Loyſia de Azia per triennium. *Archiepiſcopus Coſta, conſentiente hac Abbatiſſa, & Capitulo monialium, decreuit, vt monaſterium vetuſtate collapſum, & non benè tutum, inſtauraretur; & interim moniales eſſent in ſancto Marcello maiori.*

1580 Calidonia de la Rath. *menſe Ianuarij ex more: ſequenti Martio moniales tranſlatæ ſunt ad ſanctum Marcellum maiorem: & quia domus illa inuenta fuit incommoda, anno 1581. die 2. Iulij diuiſæ fuerunt moniales, & earum quinque tranſlatæ ad monaſterium ſancti Ioannis, & quatuor ad monaſterium Ieſu, & vacauit Abbatiſſatus.*

*Inſtaurato monaſterio ſanctæ Marthæ, Sixtus Papa V. pro nouella plantatione miſit Roma ex monaſterio ſanctæ Annæ quatuor monachas, quarum ſingulæ iuxta gradum profeſſionis eſſent Abbatiſſæ vita durante: non triennales, fuerunt illæ Donna Benedicta de Benedictis, Vincentia Magalotta, Innocentia de Ferreris, Franciſca Pancaldi.*

1588 Benedicta de Benedictis Romana per annos tres,
1591 & menſes decem, obijt die . .

1591 Vincentia *M*agalotta Romana per annos trede-
1604 cim, & menſes tres, obijt die . .

1604 Catharina de Graſſijs Capuana per triennium, nep
1607 tis ex fratre Abbatis Domni Iacobi de Graſſijs

Calſi-

Caſsinenſis.

1607 Laura de Azia per triennium.

1610

1610 Victoria Manna per triennium.

1613

1613 Catharina de Graſſijs ſecundò per triennium.

1616

1616 Laura de Azia ſecundò per triennium.

1619

1619 Maura de Nouellonibus per triennium.

1622

1622 Catharina de Graſſijs tertio per triennium, poſt

1625 completum officium obijt die . . anno

1625

1628 Maura de Nouellonibus ſecundò per triennium.

1629 Victoria Manna iterum.

## De Monaſterio ſancti Ioannis.

*LAndolfus Caſtaldus Capuæ poſt vxoris Aloaræ, filiorumque Landolfi, & Adenolfi mortem, morti & ipſe proximus teſtamentum condidit, ſcriptiſque in eo legatis Turturellæ libertæ ſuæ, & Offæ naturali filiæ ſuæ, & Atæ filiæ legitimæ, & naturali, nuptæ iam Vxoni filio Sadelfridi Iudicis; Hæredes inſtituit duos qui ſibi ſupererant, filios, Landonem Diaconum, & Paldulſum: expreſsè tacuit, vt ſi fortè inſtituti heredes abſque legitimis liberis deceſſiſſent, Abbas monaſterij ſancti Benedicti ſiti in monte Caſſino, in illa ipſa domo, in qua teſtator ipſe tunc reſidebat, monaſterium ſub vocabulo ſancti Ioannis Baptiſtæ conſtrueret, cui ſua teſtatoris omnia bona, quæ & Capuæ, & extra, & vbique erant, eſſent addicta: monaſterium verò cum bonis in Caſſinenſis Abbatis dominio, & poteſtate permaneret,*

Caſus

Digitized by Google

*Caſus euenit: Landolſus, & deindè inſtituti hæredes filij liberis non ſuperſtitibus obierunt: Quare Aligernus Abbas Caſsinenſis monaſterium puellarum ſancti Ioannis Baptiſtæ nuncupatum, erexit, Sichelgardam in eo Abbatiſſam ordinauit, & anno viceſimoquarto Principatus Domini Paldolfi Capoſerrei menſe Martio decimæ Indictionis, qui erat annus Christi 967. omnia, quæ fuerant Landolfi Caſtaldi bona ſancti Ioannis monaſterio recuperauit.*

967 Sihelgarda prima Abbatiſſa ob. 16. Martij, ſeù tertio Nouemb.

Gemma Abbatiſſa ob. 13. Ianuarij.
Alferada ob. 13. Februarij ſeù 24. Iulij.
Gaitelgrima ob. 4. Martij.
Maria ob. 27. Apr.
Maegailda ob. 10 Iulij.
Subtiſta ob. 16. Iulij.

} *harum Abbatiſsarum ordo ſucceſsionis penitus ignoratur, ideo nomina ſcripta ſunt ordine, quo in Kalendario mortuorum inueniuntur.*

1051 Alferada ſecunda, quæ ob. vel 24. Iulij, vel 13. Februarij.
1053 Sihelgarda ſecunda, quæ ob. vel 3. Nouemb. vel 16. Martij.
1079 Sichelgailda ob. 27. Octob. an.
1085 Riccha ob. 12. Apr. an.
1105 Imilia ob. 25. Septembris an.
1108
1115 Gemma ſecunda, Monaſterij renouatrix, fuerat vi-
1130 dua. obijt 26. Ian. an.
1132 Ecaterina filia Gemmæ renouatricis ob. 23. Feb. an.
1149 Maria ob. 12. Ianuar. ann.
1152
1156 Luſiza, hæc erat Agnata, vel cognata Strambonæ
1174 Genti, Capuæ degenti, ob. 27. Februarij

Oooo

0006 Maria de Roccaromana, ob. 7. Ianuar. anno.
1181 Pelagia, obijt 17. Apr.
1184
1186 Marta de Caianello. ob. 25. Septembris anno
1227
1230 Matthia de Roccaromana. ob 6. Ian. 1250.
1249
1250 Rogaſia de Padula, ob. 19. Feb. 1277.
1276
1277 Aldiarda Pandona, ob. 26. Aug. 1286.
1286
1286 Galgana Græca, ob. 9. Septemb. 1339.
1339
1340 Ioanna de Aquino, ob. 20. Aug. 1348.
1348
1348 Margarita Pandona, ob. 24. Iunij 1361.
1361
1361 Marcheſana Comite Salernitana profeſſa mona-
1364 ſterij electa, non confirmata; Interim adminiſtran-
te Galgana Græca procuratrice monaſterij.
1364 Gemma Tocco Capuana, obijt 11. Apr. 1410.
1410
1410 Iſabella de Toro Neapolitana profeſſa monaſterij,
1434 cara Reginæ Margaritæ Regni Vicariæ.
1434 Bianca de Azia, ob. 17. Feb. 1453. cum anno 1452
1452 renunciaſſet.
1452 Franciſca de Vineis, ob. 25. Iul. an. 1459.
1459
1459 Magdalena de Vineis, ob. 1503. 10. Nouemb. an.
1502 1502. habita a Sede Apoſtolica coadiutrice
cum futura ſucceſsione.
1502 Anella Riccia Neapolitana profeſſa Neapolitani
1526 monaſterij ſancti Agnelli, ab Alexãdro Papa VI.



Digitized by Google

data coadiutrix Magdalenæ; mox Abbatiſſa, ob. 28. Aug. 1526.

1526 Vrſulina de Maio vltima Abbatiſſarum ad vitam:
1553 confecta ſenio ſpontè depoſuit Abbatiſſatũ menſ. Ianuarij, an. 1553. & eodem anno ob. 11. Iunij.

*Sequuntur Abbatiſſæ electæ per triennium.*

1553 Catharina de Vineis a die 27. Ian.
1556
1556 Virgilia Pretamala a die 24. Nouemb.
1559
1559 Hieronyma Clauella, a die 12. Decembris.
1562
1562 Laura Sanſeuerina a die 20. Decembris.
1565
1565 Placida Falca, a die 12. Decembris.
1568
1568 Hieronyma Clauella iterum.
1571
1571 Ioanna Clauella Vicaria.
72
73 Benedicta de Thomaſio Vicaria.
1574 Theodora Lanza a die 11. Ian. *Sub hoc triennio monaſterium à Caſsinenſibus commendatum eſt Archiepiſcopo Capuano: erat is tunc Ceſar Coſta.*
1577 Hieronyma Clauella tertiùm, ob. 20. Aug. 1578.
1578
1578 Ioanna Clauella Vicaria, ob. 3. Ian. 1579.
1579
1582 Theodora Lanza iterum a Ianuario.
1582 Euſtochia Protamala.
1585

1585

1585 Adriana Clauella ob cœcitatem ſuperuenientem
1588 non exacto triennio, ſpontè deponit Abbatiſsatũ.
1588 Theodora Lanza Tertiùm.
1594
1595 Iubente ſummo Pontefice nulla creatur Abbatiſſa,
1602 nulla recipitur in monialem. retinebat nomen Vicariæ Iſabella de Maio.
1602 Iuſtina Molignana Surrentina, profeſſa Surrentini monaſterij ſancti Pauli, vocata à monialibus, conceſſa à ſacra Congregatione, procurante Archiepiſcopo Domino Cardin. Bellarmino à die 17. Decembris 1602.
1605 Cornelia Spaſiana Surrentina profeſſa Surrentini monaſterij ſancti Pauli, vocata, & conceſſa ſimul cum Iuſtina præfata a die 19. Decembris 1605.
1608 Iuſtina Molignana iterum a die 19. Decembris.
1611
1611 Cornelia Spaſiana iterum a die 19. Decembris.
1614
1614 Iuſtina Molignana iterum a die 9. Decembris.
1617
1617 Iuſtina Molignana (nam Cornelia viuens redierat Surrentum) petentibus monialibus, a ſacra Congregatione confirmata per biennium.
1619 Iuſtina iterum confirmata per aliud biennium a die 22. Decembris.
1622 Iuſtina iterum confirmata per triennium a die 26. Febr. eodem anno die 19. Iulij ob.
1622 Camilla Palmeria Neapolitana, ex antiquiſsimis Palmerijs Monopolitanis, profeſſa monaſterij ſancti Ioannis a die 24. Iulij, eodem anno, ob. die 3. Septembris.
1622 Maria Lanza a die 8. Septembris.

1625 Dianora Palmeria Neapolitana, ex antiquiſsimis Palmerijs Monopolitanis profeſſa monaſterij ſancti Ioannis a die 10. Decembris.

1628 Maria Larza iterum.

22 11 Aphrodiſij Epiſcopi, & Confeſſ. *De hoc ſolùm Kalendarium quartum Maurolyc. Galeſ. & Natal. Appellant hunc Epiſcopum Bituricenſem, alij Biterenſem, ſeù Betterenſem: ſunt autem Betere Ciuitas Epiſcopalis in Gallia Narbonenſi. Concordat Vſuardus.*

23 10 Kalend. Victoriani, & ſociorum eius. *Kalendarium quartum, & Martyrologia; fuerunt Martyres Africani de quibus Martyrologium Romanum, & alij.*

24 9 Kalend. Pigmenij mar. *Kalendarium quartum, & Martyrologia, in quibus appellatur presbyter, paſſus à Iuliano Apoſtata, cuius magiſter fuerat.*

25 8 Annunciatio Beatæ Mariæ Virginis duplex, & ſolemne. *Conſonant Kalendaria, Martyrologia, & cæteri omnes, in officio lectiones ex Iſaia, ex ſermone ſancti Auguſtini, & eiuſdem Homilia; Extat inſignis Eccleſia Sanctiſſimæ Virg. Annunciatæ ſub patrocinio ciuitatis: habet Hoſpitale cuius reperi mentionem in inſtrumento anno* 1384.

26 7 Kalen. Caſtoli mart. & Theodori Epiſcopi. *De his tantùm in Kalendario quarto, & in Martyrologijs, ſed in Theodoro ſupplendum eſt Epiſcopi, & mart. & ſociorum, ideſt Irenei Diaconi, Serapionis, & Ammonij lectorum.*

27 6 Kalen. Martiani Epiſcopi, & mart. *Tacet Martyrologium; tantùm de eo in Kalendario quarto. Concordat Vſuardus, Maurolycus, & Galeſ. dicit tamen Galeſinus hunc eſſe, de quo Martyrologium Romanum agit die ſexto menſis huius. Fuit autem Epiſcopus Durtonenſis.*

28 5 Kalend. Marci, & Alexandri mart. *Ita in Kalendario quarto. In Martyrologio additur Priſci. Fuerunt*

*Mar-*

Digitized by Google

*Martyres in Cæſarea Paleſtina. De his Martyrolog. & alij.*

29 4 Kalend. Armogaſti, & ſociorum eius. *Ita in Kalendario 4. In Martyrol. exprimuntur nomina ſociorum Archimimi, & Satiri: additur ab alijs Maſcula: fuerunt martyres in perſecutione Vuandalica. De his Martyrologium Romanum & alij.*

30 3 kalend. Quirini mart. *Ita in Kalendario quarto, & in Martyrol. & concordant Martyrologium Romanum, & alij. Paſſus eſt Romæ.*

31 2 kalend. Balbinæ Virg. *In kalendario quarto, & in Martyrol. dicitur filia ſancti Quirici, & concordant alij omnes.*

## APRILIS.

Kalend. Aprilis. Venantij Epiſcopi, & mart. & Theodoræ mart. *Ita in kalendario quarto, & Martyrolog. concordant Martyrologium Romanum, & alij omnes,*

2 4 Non. Theodoſiæ Virg. & Mariæ Aegyptiacæ. *Ita in Kalendario quarto, & in Martyrol. ſed in kalendario primo, ſecundo, & tertio de Aegyptiaca die ſuperiori. De Theodoſia Martyrologium Romanum, & alij.*

3 3 Non. Pancratij mart. *kalendarium quartum, & Martyrologia. Dicitur Epiſcopus Tauromenij in Sicilia non in Cicilia, vt habet Galeſ. In territorio Calenenſi fuit Eccleſia ſancti Pancratij, quæ erat ſubdita Archiepiſcopo Capuano anno 1173.*

4 2 Non. Iſidori Epiſcopi, & Confeſſ. *Tantum in Kalendario quarto. Fuit Epiſcopus Hiſpalenſis, de quo Martyrol. Romanum, & alij communiter.*

5 Non. Vincentij Confeſs. Ordinis Prædicatorum. *Tantum in Kalendario quarto. Sanctus Vincentius obijt anno*



Digitized by Google

1419. *fuit canonizatus à Caliſto III. qui morte præuentus Bullam canonizationis minimè ſcripſit: ſcripſit eam verò Pius II. eſt in Bzouio anno 1419. Martyrologium Romanum & recentiores.*

6 8 Idus Sixti Papæ, & mart. *In kalendario quarto, & Martyrol. & in alijs communiter.*

7 7 Id. Epiphanij Epiſcopi, Donati, & aliorum 13. mart. *In Kalendario quarto, & Martyrol. in Martyrolog. Roman. dicitur Donati, Rufini, & aliorum. In Galeſ. dicitur Donati presbyteri. Fuerunt martyres Africani.*

8 6. Id. Cœleſtini Papæ, & Confeſs. *in kalendario quarto, ſed in Martyrol. de eo ſupra die ſexto, & concordant Romanum Martyrologium, & Vſuard. & Maurolyc. & Galeſ. ſed Ado agit die ſeptimo.*

9 5 Id. Procori Diaconi mart. *In Kalendario quarto, & in* Martyrol. *& conſentiunt communiter omnes.*

10 4 Id. Ezechielis Prophetæ, & martyrum plurimorum. *In kalendario quarto, & in Martyrologio: conſentit* Martyrologium Romanum, *& alij.*

11 3 Id. Leonis Papæ, & Confeſs. *In Kalendario quarto, & in martyrologio. Fuit is Leo Primus, &* Magnus, *de quo hac item die* Martyrologium Romanum *& veteri: ſed Natalis refert obitum ad diem vigeſimum ſecundum, & in Kalendario primo die 19.*

12 2 Id. Iulij Papæ, & Confeſs. *Ita in Kalendario quarto, ſed in* Martyrol. *ſancti Iulij Epiſcopi: ſed ibi apparet eſſe Epiſcopum Romæ, id eſt Papam,* Martyrolog. *Romanum.*

13 Id. Hermengildi Regis mart. *Ita in* Kalendario *quarto & in* Martyrol. *& conſentit Martyrologium* Romanum *cum alijs.*

14 18 kalend. Maij Tiburtij, Valeriani, & Maximi mar. *Kalendaria, &* Martyrologia. *In officio ſunt tres lectiones, acceptæ ex actis: quorum initium eſt,* Temporibus Marci

Aurelij,

Aurelij, & Commodi Imperatorum. *Habemus integrum textum in C.M.S. qui tamen eſt impreſſus apud Surium die 22. Nouembris.*

15 17 Olimpiadis, & Maximi mar. *In Kalendario quarto, & in Martyrologio dicuntur paſſi in ciuitate Corduba; alij legunt Corduena, alij Chorodona fuerunt martyres in Perſide; De his hoc die communiter.*

16 16 Kalen. Calixti, & ſociorum eius mart. *De his in Kalendario quarto, & in Martyrol. Apud Corinthum in mare merſi ſunt. Conſonant alij communiter.*

17 15 Kalen. Petri, & Hermogenis mart. *In kalendario quarto, & in Martyrologio. Petrus erat Diaconus,* Hermo*genes miniſter eius: paſſi ſunt Antiochiæ. De his communiter alij.*

18 14 *Kalend.* Præfecti presbyteri, & mart. *kalendarium quartum. Martyrol. agit de Perfecto, ſeu Præfecto presbytero Cordubenſi, Martyrol.* Rom. *& alij.*

19 13 Kalend. Apollonij Senatoris mart. *kalendarium quartum, ſed Martyrologium, cui conſonat Martyrologium* Romanum, *& alij de hoc die ſuperiori, ideſt* 18.

20 12 *Kalend.* Victoris Papæ, & mart. *Kalendarium tertium, & quartũ, & Martyrologium quibus conſentit Maurolij. At Martyrologium* Romanum *agit de eo Iulij die* 28.

21 11 *Kalen.* Simeonis Epiſcopi, & mart. *Kalendarium quartum, & Martyrologium: de hoc martyre in Perſide agit Martyrologium* Romanum; *& alij.*

22 10 *Kalend.* Sotherij Papæ, & mart. & Gai Papæ, & mart. *Kalendarium quartum, & Martyrologium* Roma*num, ſed* Martyrologium *noſtrum de ſancto Gaio hoc die, de Sothere autem die ſuperiori, ideſt* 21.

23 9 Gergoij mart. ſemidupl. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt tres lectiones, acceptæ ex actis, quorum textus integer eſt in* C. MS. *& ab actis Apocryphis,*

pluri-

plurimum diſtat. Hac ætate ſanctus Georgius eſt titulus Parochialis in Villa Cuzuleo: ſed olim plures habuit Eccleſias in territorio Capuano. Eccleſia ſancti Georgij fuit propè montem ſancti Angeli ad formam. Fuit in partibus Cancielli anno 1173. Fuit in loco Partignanu ad ſilicem anno 1130. Fuit in villa, quæ dicebatur alli Longhi. Frequens quoque fuit huiuſce nominis impoſitio: quod ergo celebris fuerit eius cultus dubitare non poſſumus.

24 8 Kalen. Longini mart. *Kalendariũ tertium, & quartum. Martyrologium Romanum, & Galeſin. & Maurol. commemorant Leoncinum Martyrem cum Euſebio, & alijs ſex. At in Breuiario noſtro ſunt tres lectiones, quas totidem verbis habemus in lectionario M. S. & habetur in ipſis, Longinum fuiſſe, qui Domini noſtri Ieſu Chriſti lanceâ latus aperuit. Videntur lectiones apocryphæ; habent enim Longinum vulneraſſe Chriſti latus, & exclamaſſe*, Verè Filius Dei erat iſte: *hoc enim ſacro textui contradicit, aſſerenti vnum militum lancea latus aperuiſſe.*

25 7 Kalend. Marci Euangeliſtæ duplex. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres (more paſchali) lectiones, acceptæ partim è ſancto Hieronymo de ſcriptoribus Eccleſiaſticis; partim ex Metaphraſte; partim ex alijs. Quod verò eſt in prima ſanctum Marcum digitum ſibi præcidiſſe, in apocryphis cenſeri debet, vt notat Galeſinus. In Diœceſi paſſim cernuntur Eccleſiæ dirutæ ſub nomine ſancti Marci: propè Caturanum vna, propè Curtes altera, propè Bellonam alia, in monte ſancti Nicolai alia; & olim intra Capuam propè murum ſupra flumen vna, e qua dicebatur portus ſancti Marci, vbi nunc eſt Molendinum ſancti Ioannis.*

*Hac ætate in feſto ſancti Marci fit proceſſio, & extra portam pontis benedicuntur Campi. At olim proceſſionis ritus longè alius erat. Lubet huc afferre ex antiquo M. S.*

Rituali

Digitized by Google

Rituali. Finita (A) tertia incipiatur proceſſio. Exurge Do- A
mine adiuua nos. Exurge quia &c. Oſtende nobis &c. Oratio. Actiones noſtras &c. qua finita Cantor incipiat hanc Antiphonam: Ego ſum Deus Patrum &c. & proceſſio cum toto clero vadat ad portam pontis: ſequitur alia Antiphona Populus Syon. Antiphona Exclamemus omnes. Antiphona Parce Domine. Antiphona Rogamus te Domine. Antiphona pro pace Regum: Antiphona Timor, & tremor. Finitis Antiphonis incipiatur Letania ad portam, & cantetur vſque vbi dicitur ſancte Petre ora pro nobis, & ſacerdos dicit: Ora pro nobis S. Dei Genitrix. Oremus. Mentem familiæ tuæ &c. Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus vt ad te corde clamantes, &c. Oratio. Domine Ieſu Chriſte, qui in introitu portarum Ieruſalem, &c. Finitis orationibus Presbyter ponat
(B) Crucem ad portas, & cantores incipiant Litaniam. B
Kyrie &c. Euntes ad Eccleſiam ſancti Petri ad pontem,
propè Eccleſiam Cantor incipiat Antiphonam; Quod- A
cumque ligaueris &c. Presbyter dicit: Annunciauerunt &c. Oratio: Deus qui Beato Petro &c. Finita oratione, intrent Eccleſiam, & Cantor incipiat introitum Protexiſti me Deus. Kyrie de Apoſtolis. Gloria in Excelſis. de Martyribus. Præfatio de Paſcha. Finita Miſſa, Cantores incipiant Litaniam Sancta Maria ora pro nobis, & dicatur
vſque ad portam (C) Capuanam, & presbyter dicit An- C
tiphonam de ſancta Maria, & Ora pro nobis S. Dei Genitrix. Oratio. Deus qui pro incomparabilibus meritis. Ad portam Capuanam Oratio. Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt qui noſtra &c. Oratio omnipotens ſempiterne Deus, te ſupplices deprecamur, &c. Dictis orationibus, iterum incipiendum eſt, vbi dimiſſum
fuit: Euntibus ad portam (D) nouam presbyter ponat D
cruces ad portas, & dicat Orationes quas vult. Euntibus

ad Caſtrum Cantor incipiat hoc ℟. Ciuitatem iſtam tu circunda. ℣. Auertatur obſecro. Presbyter ponat Cruces, & dicat Orationes, quas vult, & poſtea canendæ ſunt hæ Antiphonæ circa Caſtellum. Antiphona Quam pulchra ès. Antiphona Alma Redemptoris. Antiphona Salue Regina. Euntibus ad portam ſancti Angeli presbyter dicat, ℣. In conſpectu Angelorum. Oratio. Deus qui miro ordine. Oratio. Praeſta populo tuo. Alia oratio. Ciuitatem iſtam omnipotens Deus. Redeuntibus ad maiorem Eccleſiam incipiant Cantores *Kyr.* cum verſibus Qui pretioſo ſanguine mundum. ℣. Sancta Maria quæſumus al-

E mum. Ad portã (E) Fauzanã. Oratio Porrige nobis Deus dexteram tuam Oratio Protege Domine omnipotentia tua, &c. Ad ſextam Antiphona. *Hactenus Rituale.*

## NOTATIONES.

A Finita tertia. *Omnibus Dominicis, & feſtis, completa Tertia fiebat proceſſio, & circuibant porticum atrij, quod atrium, & porticus nominabatur Paradiſus, ut patet ex quadam rubrica dicti Ritualis, & ex Kalendario mortuorum; & ex inſtrumento anno* 1409. *more quidem Romano, ut ex Chron. Caſſ. patet. Proceſſione peracta cantabatur Miſſa.*

B Ponat Crucem. *Ritus ponendi Cruces in portis Ciuitatis, & priuatorum vel in feſto ſancti Marci, vel in Rogationibus ante Aſcenſionem, præcipuus fuit in noſtra Campania, ut innuit Cardinalis Sanctorius in Rituali. Fiebant Cruces ex cera Paſchalis cerei, quæ ſuperfuerat anno ſuperiori, vel ſaltem illa cera alteri ceræ nouæ commiſcebatur. Retinet hunc uſum ex magna parte monaſteriũ S. Ioannis.*

C Portam Capuanam. *Erat abſque dubio porta, quæ noſtra ætate dicebatur porta ſancti Eligij, ut poteque domui,*

vel

*vel horto ſancti Eligij proxima erat: erat forſitan quæ antiquiori tempore dicebatur porta ſancti Victoris.*

Portam nouam. *Porta noua, quæ nunc extat, & dicitur porta Neapolis.* D

Ad Caſtrum. *Fuit Caſtrum ubi eſt monaſterium monialium ſanctæ Mariæ: ſed quia Caſtrum illud præcedebat loco porta ſancti Angeli, propterea dicendum eſt Caſtrum, de quo fit mentio in hoc ritu, eſſe Caſtellum, quod nunc eſt Palatium Dominorum de Capua, dictum in inſtrumentis monialium ſancti Ioannis, Caſtellum nouum, & ab alijs capuana lingua* lo Caſtiello delle prete, lo Caſtiello della Maddalena, *ſcilicet propter Eccleſiam ſanctæ Mariæ Magdalenæ, cui hærebat.*

Portam Fauzanam. *Erat in muro Ciuitatis porta Fauzana ab illa parte, in qua eſt Parochialis ſancti Andreæ, & Eccleſia ſanctæ Catharinæ: inde ſiquidem dicebatur Eccleſia S. Andreæ ad portam Fauzanã, ut legimus in multis inſtrumentis: Et ſi legimus in multis alijs Eccleſia S. Andreæ de porta Fluuiano, & aliquando de porta Flaueiano, uel Flauiano, & aliquando de porta Sauchana, erat enim Sauchanus locus habitatus propè Capuam ab illa parte, ut ex inſtrumento an. 1267. ego putaui aliquando dictum fuiſſe Eccleſiam S. Andreæ de porta Fluuiali; ſed nunc magis probo primam, & antiquiorem nuncupationem: porta Fauzana, ut nos hodie dicimus porta Fauza, ideſt porta non principalis, ſed poſticum potius, quam porta: ſed quamuis in muro Ciuitatis eſſet huiuſmodi porta; in hoc tamen ritu porta Fauzana intelligitur fuiſſe porta maioris Eccleſiæ non principalis, per quam egreſſa erat proceſſio: ſed altera parua in latere aquilonari, per quam regreſſa proceſſio introgrediebatur.* E

26 6. *Kalen.* Cleti Papæ, & mart. & Marcellini Papæ, & mart. *Ita in Kalendario quarto, & Martyrologijs, ſed in*



Digitized by Google

kalendario tertio de Marcellino, Cleti verò nomen ſuperadditum. In officio tres lectiones; vna de Cleto; duæ de Marcellino, lectio ſancti Cleti ſumpta eſt ex Anaſtaſio: ſed vbi textus noſter habet annos ſeptem, menſem vnum, & dies vndecim, Anaſtaſius habet annos duodecim: ſed Martyrologium habet annos nouem, recentiores Chronologici annos duodecim, & menſes ſeptem, & dies vndecim, ideſt ab anno Chriſti 81. ad 92. Lectiones Marcellini ex Anaſtaſio quoque: ſed vbi textus noſter habet dies 25. Anaſtaſius habet dies 22. ſed recentiores computant Sedis Marcellini annos octo, minus dies ſeptem.

27 5 kalend. Anaſtaſij Papæ, & mart. kalendariũ quartum, & Martyrologia, in kalendario tertio die ſequenti, ideſt 28. In officio nihil.

28 4 Kalend. Vitalis mart. Concordant kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones, ſumptæ ex longiori textu quem habemus in C. M. S. Incipit Sancti Vitalis militans conſulari Paulino.

29 3 kalend. Petri mart. Ord. Prædicatorum. kalendarium quartum: in 3. nomen additum: Martyrolog. Roman. & alij. In Breuiario tres lectiones ex vita.

30 2 Kalend. Sigiſmundi Regis, & Mariani lectoris, & Iacobi Diaconi mart. Concordat Kalendarium quartum; in tertio de Sigiſmundo die ſequenti, ideſt Kalendis Maij. In officio tres lectiones de ſancto Sigiſmundo: habetur in his, Sanctum, nè in manus inimicorum incideret, aſſumpſiſſe monaſticum habitum, ſed à monaſterio dolo eductum, & inimicis traditum: ſed apud Surium Kalend. Maij, & apud Baron. anno 526. habetur fugientem à conſpectu inimicorum in ſaltus, inibi captum eſſe, & occiſum, & deinde proiectum in puteum. Hic Sigiſmundus frigoreticis, & quartanarijs, teſte ſancto Gregorio Turonenſe opem fert inuocantibus.

MAIVS

Digitized by Google

# MAIVS.

*CApuæ prima Dominica Maij Tranſlatio ſancti Stephani celebratur. Hæc eſt Tranſlatio, de qua Romanum Martyrologium Nonis Maij*, Romæ translatio corporis ſancti Stephani Protomartyris, quod Pelagio ſummo Pontifice, è Conſtantinopoli ad Vrbem allatum, atque in ſepulchro ſancti Laurentij martyris in agro Verano poſitum, ibidem magna piorum religione colitur.

*Acta translationis habentur in Breuiario noſtro, ſed mutila, quibus, licet apocryphis, conſentit Natalis lib. 4. cap. 139. & Iacobus de Voragine, & manuſcriptum, quod legi. Illa verò ita ſe habent Lect. 1.*

Temporibus (A) Theodoſij Imperatoris, cum apud *Bizantium*, quæ nunc Conſtantinopolis appellatur, ipſe Imperator habitaret, diuina prouidentia diſpenſante, factum eſt, vt filia eius (B) Eudoſia nomine, quæ Romæ in Regis Palatio morabatur, à dæmonio correpta, grauiter vexaretur: ducitur interea ſupradicta Regis filia ad Apoſtolorum limina, ad ſanctorum monaſteria, ad ſeruorum Chriſti ſuffragia: ſed cum malignus ille ſpiritus, qui eam torquebat, ipſe quoque grauiter torqueretur, iam quidem & quid diſponeret, & à quo eijci deberet, fateri compellitur. Ait ergo: ego quidem ab ea nullatenus ſeparari potero, niſi mihi præſenti, præſens Stephani corpus Protomartyris adſit: quo dicto ſiluit. *Natalis ſequitur.* A B

Quod Imperator audiens, à clero, & populo Conſtantinopolitano obtinuit, vt corpus Stephani Romanis daretur, & corpus Laurentij Græcis traderetur. Hoc Imperator (C) Pelagio Papæ ſcripſit, qui, de conſenſu Romanorum, petitioni Imperatoris conſenſit: miſſi igitur Cardinales Conſtantinopolim, corpus ſancti Stephani Romam deferunt, & Græci pro accipiendo corpore ſancti Laurentij C

Digitized by Google

rentij cum eis Romam perueniunt. *Breuiarium* Lect. 2. Pergunt interea gaudentes Epiſcopi, Beati Stephani reliquias Conſtantinopoli Romam ſecum deferentes: Poſtquam autem Capuæ appropinquarunt, tota Ciuitas ſimul D cum (D) Epiſcopo in occurſum ruunt. Quo in loco, quia per triduum morati ſunt, multi ibi paralytici ſunt curati, & quicunque ſanitate indigens aduenit, lætus, & incolumis ad propria remeauit: Epiſcopus autem, & populus Capuanus tandem magnis precibus obtinuerunt, vt eius E martyris (E) brachium concederetur. Inde verò cepto itineri inſiſtentes, tandem Romam veniunt. Lect. 3. Sed dum hæc ita aguntur, ecce Regis filia, magna comitante caterua, miſera, & miſerabilis, plena dæmone, & plus ſolito vexata, vix à multis detenta, ad martyrem trahebatur: cui neque color erat idem, nec facies eadem, nec vox hominem ſonat, flebat populus, lugebat familia, omneſque vna, & conſona voce beatum Protomartyrem Stephanum pro ea rogabant: Succurre miſeræ, adiuua infelicem, viſitatam oſtende virtutem. Confeſtim malignus ille ſpiritus, qui eam torquebat, per os virginis declamans, Non hic, inquit. *Natalis*. Cum corpus ad Eccleſiam ſancti Petri ad Vincula deferre diſpoſuiſſent, vectores ſubſiſtunt, nec vltra procedere poſſunt: Dæmon autem in Regina clamabat. *Breuiarium*. Non hic, ſed cum Laurentio foris murum Stephano dabitur locus. His dictis, obmutuit, & continuò liberata eſt puella. *Natalis*. Illuc ergo corpus defertur, cumque ſepulchrum adeo arctum eſſet, quòd vtraque corpora capere non potuiſſet, Laurentius, aduentui fratris quaſi congratulans, in alteram partem ſepulchri, verſus ſuper latus, receſſit, & medietatem vacuam Stephano dereliquit. Sicque Stephanum ſimiliter ſuper latus, verſa facie ad conſocium collocarunt. Græci verò, dum manus apponunt, vt Laurentium auferant, ad

terram

Digitized by Google

terram velut exanimes corruerunt; ſed orantibus pro eis Papa, & clero, & populo, vix ad ſe ad Veſperam redierunt: omnes tamen infra decem dies mortui (F) ſunt. Latini verò, qui eis conſenſerant, in phrenesim verſi, ſanari non poterant, quoad vſque amborum corpora, vt dictum eſt, in ſimul ſunt tumulata. Hæc autem coniunctio facta eſt nonis Maij, vt dicit frater Bartholomæus. *Hactenus de Translatione Breuiarium noſtrum & Natalis, quibus conſentit de Voragine, & M. S. quod apud Bartholomæum Chioccarellum legi. Narratio quidem in multis corrigenda.* F

## NOTATIONES.

THeodoſij. *Tempora Theodoſij Iunioris longè diſtant à temporibus Pelagij Papæ I. Theodoſius enim vixit ad annum vſque 451. Pelagius autem aſſumptus eſt ad Pontificatum anno 555. Igitur manifeſtus eſt error in narratione.* A

Eudoſia. *Eudoxia Theodoſij, & Eudociæ filia nupta Valentiano, qui occidentale regebat Imperium, ſemper non venit Romam anno 437. & poſt aliquot annos à Genſerico in Africam captiua ducta fuit; ſed tandem honorificè anno 461. dimiſſa Conſtantinopolim, illam in vrbe ſue vitæ periodum adimpleuit. Igitur manifeſtus eſt error in narratione, quæ habet Eudoxiam fuiſſe virginem, in Palatio Regis Romæ commorantem.* B

Pelagio. *Hic fuit Pelagius Primus, vt docet Romanum Breuiarium in Inuentionis feſto. Quia verò Pelagij tempora tàm longè diſtarunt à temporibus Theodoſij; manifeſtè apparet non occaſione liberandi puellam energumenam; ſed alia reliquias ſancti Stephani adductas eſſe Romam. Sed quænam alia potuit eſſe occaſio? Profectò Pelagius, cùm eſſet Papæ Vigilij Archidiaconus, cum illo Pontifice ad Iu-* C

ſtinia-

Iuſtinianum Imperatorem Conſtantinopolim acceſſit, ibique
moratus, Imperatori chariſſimus fuit, adeo ut non recuſaſſet
I ipſe Imperator etiam viuente Vigilio ſibi infeſto, ipſum ad
ſummum Pontificatum extollere, ſi Romano clero placuiſſet.
Igitur poſſumus credere Iuſtinianum Imperatorem diſce-
denti Pelagio anno 554. ſanctas reliquias dono dediſſe.
Conſueuerant Imperatores cum magnis viris occidentali-
bus ita ſe gerere. Ita quippe Iuſtinianus ipſe, de Spina Sal-
uatoris, & ex reliquijs SS. Innocentium, & brachium ſancti
Georgij Pariſienſi Epiſcopo Germano pro magno munere
contulit anno 561. Ita quoque Iuſtinianus ſancti Andreæ
Apoſtoli, & ſancti Lucæ Euangeliſtæ reliquias Gregorio
Magno donauit anno 586.

D Cum Epiſcopo. Nomen Epiſcopi Capuani non habemus
expreſſum: attamen fuiſſe Victorem ſanctitate, & doctri-
na perinſignem virum, inde mihi perſuadeo, quia, cum Pe-
lagius Papa, qui ſedit annos quatuor, menſes decem, dieſ-
que decem & octo, ex hac vita migrarit, anno poſt Conſu-
d latum Baſilij decimo octauo, nempe Chriſti 559. oportet il-
lum incohaſſe Pontificatum ab anno 554. die Aprilis duo-
decimo; Et Conſtantinopoli reuertentem tranſiuiſſe Capu-
am eodem menſe Martio, quo tempore ſanctus Victor erat Epi-
ſcopus, qui tamen non multos dies ſuperuixit, mortuus enim
eſt ille ipſo anno 554. die tertio eiuſdem Aprilis. Neque
nobis obijciatur translationem celebrari Romæ die ſeptimo
Maij, & Capuæ Maij quoque Dominica prima: non enim
quam hoc obijciatur, quia translationis feſtum dicitur agi
die, quo translatæ reliquiæ reconduntur, etſi iam pridem
peruenerunt. Optime ergo dicitur Pelagio Papa Conſtan-
tinopoli Romam facta eſſe translatio; quando ipſe Pelagius
Archidiaconus adduxit reliquias, & ipſe mox Papa menſe
nondum elapſo, adductas recondidit honorificè: Eccleſia verò
noſtra Capuana potuit ad primam Dominicam Maij tranſ-
ferre

Digitized by Google

*ferre tranſlationis officium, vel ob Eccleſiæ Romanæ imitationem, vel ob ſynodi, nunc Diœceſanæ, olim prouincialis quoque maiorem opportunitatem, vel ob aliquam aliam cauſam.*

Brachium. *Apud* Natalem, *& M. S. habetur:* Capuæ igitur ſancti Stephani corpus recipitur, & à ciuibus illis dextrum brachium ſummis precibus obtinetur, & Metropolitana Eccleſia eius nomini fabricatur. *Cæterùm Breuiarium noſtrum in hymno non ſolùm de brachio, ſed de coſtis, & dentibus quoque meminit, inquiens:* Cum tranſiuit, hic dimiſit dentes, coſtas, brachium. *Nos hodie brachium habemus, & coſtam internoſcimus & dētem vnum. At verò Herempertus ſcriptum reliquit ſanctum Germanum apud Iuſtinum pro Hormiſda Papa legatione functum, ab illo Imperatore ſancti Stephani reliquias obtinuiſſe: vtra narratio vera? mihi Heremperti narratio ſemper placuit: tum quia acta relata in Breuiario tot erroribus conſarcinata, manifeſtè apparent apocrypha: tum quia Imperatores, vt modo diximus, dono Sanctarum reliquiarum Legatos, & Apocryſarios Apoſtolicos honorare ſolebant. An fortaſſe ſanctus Germanus dentes, & coſtas attulit, & in tranſlatione Romam facta brachium obtentum eſt?* E

Mortui ſunt. *Quid ſimile, quod accidit tempore Pelagij II. Auctor noſtræ narrationis ad tempora Pelagij I. retulit. Accipe rei veritatem ex ſancto Papa Gregorio Magno:* Sanctæ memoriæ deceſſor meus *(inquit ille lib. 3. epiſtola 30. ad Conſtantiam Auguſtam)* itidem ad corpus ſancti Laurentij martyris, quædam meliorare deſiderans, dum neſcitur vbi venerabile corpus eius eſſet collocatum, & effoditur, exquirendo, ſubitò ſepulchrum eius ignoranter apertum eſt, & ij, qui præſentes erant, atque laborabant, monachi, & manſionarij, qui corpus eiuſdem martyris viderunt, quod quidem minimè tangere præſumpſerunt, F



Digitized by Google

omnes intra decem dies defuncti ſunt, ita vt nullus ſupereſſe potuiſſet, qui ſanctum, & iuſtum corpus illius videret. *Hæc ſanctus Gregorius.*

*Supereſt annotandum Feſtum Translationis Beatiſſimi Stephani Capuæ ſolemniſſimo ritu ſemper cultum, & appellatum* la Domenica delle girlande: *nam ob memoriam translationis cum ingenti lætitia factæ, ſingulis annis iterata pompa, roſarum, aliorumque fiorum coronæ, vel manibus appenſæ, vel brachijs inſertæ, vel capitibus impoſitæ à clero geſtabantur: neque iam pridem prætermiſſa conſuetudo eſt: nouimus enim ſacerdotes, qui ſua ætate huiuſmodi morem viguiſſe confitebantur. Illa ipſa die comprouinciales omnes Epiſcopi cum mitris, & baculis ad ſynodum accedebant, quos tandem Cæſar Coſta in poſtremo prouinciali Concilio, iuxta Tridentini decretum, à tali onere liberauit. Illa ipſa die brachium ſanctum ab Archiepiſcopo, & Arcula argentea cum reliquijs ſancti Priſci, Diaconorum humeris per Ciuitatem ante Miſſarum ſolemnia circunferuntur. Piè meditor ſanctum Stephanum, qui, Ieroſolymis viuens, cum ſancto Priſco verſatus erat, voluiſſe apud eiuſdem Priſci ſui conciuis, & condiſcipuli Epiſcopium commorari, & illius oſſibus inſignem ſui reliquiam, ideſt dextrum brachium aſſociare.*

1 Kalen. Maij, Philippi, & Iacobi Apoſtolorum, duplex. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt tres lectiones, prima de ſancto Philippo: habetur etiam in M.S. cuius caput eſt:* Cum in ipſis initijs, &c. *Quod habetur ibi, ſanctum Philippum habuiſſe duas filias ſacratiſſimas virgines, res eſt incerta apud Baron. anno 58. cum ſancti Philippi vnius ex ſeptem primis Diaconibus filiæ videantur. Et quod habetur, ſanctum Philippum occiſum cum eſſe annorum ſeptuaginta ſeptem, ex Natali, & Abdia, & noſtro manuſcripto corrigendum eſt octoginta ſeptem. Secunda, & tertia*

Digitized by Google

*tia lectiones de ſancto Iacobo, ſumptæ ex Aegeſyppo, & Euſebio. Quod habetur ibi, ſanctũ Iacobum occiſum anno Epiſcopatus ſui tregeſimo, Baron. ad annum 63. corrigit anno vigeſimonono. Sub horum Apoſtolorum titulo extat hodie Parochialis, ſed pauper Eccleſia.*

2 6 Non. Athanaſij Epiſcopi, & Confeſſ. *Concordat Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum, & Martyrologia. In officio ſunt tres lectiones, quarum initium,* Temporibus Conſtantij, & Conſtantis. *Integrum textum habemus in C. M. S.*

3 5 Non. Inuentio S. Crucis duplex. Alexandri, Euentij, Theodoli mart. *Concordant Kalendaria, & Martyrol. In officio ſunt tres lectiones, continentes hiſtoriam apparitionis ſanctiſſimæ Crucis: & ſimiles habemus in lectionario M. S. Ipſa autem inuentionis hiſtoria Antiphonis, & reſponſorijs continetur. Quod dicitur in lectionibus Crucem apparuiſſe noctu Conſtantio, regni eius anno ſexto, & Chriſti 233. corrigendum eſt. Crux enim non Conſtantio, ſed eius patri Conſtantino Magno apparuit anno 312. Imperij ſeptimo, nempè in Italia contra Maxentium dimicaturo: tempore verò Conſtantij, ideſt anno 353. fuit Ieroſolymis altera Crucis apparitio. Cæterum inuentio Crucis per ſanctam Helenam Conſtantini matrem contigit anno 326. ex Baronio tom. 3. Extitit Eccleſia S. Crucis Parochialis, vnita monaſterio ſanctæ Mariæ, nunc diruta, ſed per Preſbyterum ſancti Thomæ exercetur cura. Eſt propè Bellonam Mons è ſancta Cruce nuncupatus. In Eccleſia ſancti Eligij, Feſtum ſanctæ Crucis ab Electis, nomine Ciuitatis vniuerſæ, cæptum eſt agi hoc anno 1628. viſum eſt enim maximè conſentaneum, vt Ciuitas, quæ pro ſuo inſigni vtitur Cruce, Crucis Feſtum ſpeciali honore proſequeretur. Eſt Capuanæ ciuitatis antiquum inſigne (ſtemma, vel symbolum dixeris) Crux aurea coronata in rubro Campo: Eſt &*



Digitized by Google

vas ſeptem habens viperas alterum. De cauſa, & tempore quærunt noui Ciues: Nonnulli cenſent Crucem acceptam pro Ciuitatis inſigni à tempore Cruceſignatorum militantium in terra ſancta, vbi Robertum Principem Capuæ militaſſe dicunt; Dictum plauſibile, antiqua tamen auctoritate nonſultum. Alij acceptam quando Paldolphus Capoſerreus Princeps Ioannem XIII. Papam Roma expulſum Romanæ Sedi reſtituit: Et hoc plauſibile, ſed æquè ſcriptoris auctoritate deſtitutum: quid ergo? Opinemur à Capua factum, quod communiter fieri conſueuerat: Circa tempora Caroli Magni cum vſus huiuſmodi ſtemmatum introductus, & iam tum ab omnibus ferè Chriſti fidelibus Crux accipiebatur in ſymbolum: Crucis tamen forma pro cuiuſque perſonæ, Gentis, & Ciuitatis varietate, variebatur. En apud Ciacconium in vitis Pontificū innumeræ Cruces, ſigna Cardinalium antiquorum: En paulò infra leges de Principe Beneuentano ſculpente Crucem in nummis: Hodie nos intra Parochiam ſancti Ioannis nobilium in porta priuatæ domus cernimus Crucem ex opere cęmentino, frondoſa vite cinctam: & in porta ænea ſancti Ioannis monialium Crucem æquilateram cum A. & ω. Et in marmorea Cathedra ſancti Vincentij Crucem Cardinalis Amici: opinandum igitur Crucem acceptam à Capua non propter ſpecialem rei alicuius euentum, ſed propter Chriſtianæ Fidei Religionem, quapropter eius antiquitatem à primis temporibus Apoſtolorum, inter primores Italiæ Ciuitates iure optimo gloriatur: Cruci verò eſt datus aureus color propter agrorum diuitem vbertatem, ex qua Diues Capua merito nuncupatur; & ſubiectus rubeus Campus propter ſanguinolentas clades, quibus afflicta ipſa Ciuitas eſt, & tamen euaſit incolumis: & ſuperaddita corona propter inuiolatam Regiæ Maieſtati fidem omni tempore conſeruatam, ex qua Fideliſſimæ titulum à Regibus ſibi promeruit. Nunc de

Digitized by Google

de Viperarum ſymbolo quid? hoc longè poſterius Cruce mihi videtur, & ipſo fortaſſe non ante, vel parum ante annum ſeſquimilleſimum Ciuitas vti cæpit: Nuper cum Domino Camillo Peregrino obſeruaui in quodam marmore, propè ſculptum inſigne Regum Aragoniæ, ſculptam ab vtroque latere Crucem inſigne Capuæ: inde argumentamur illo tempore ſignum Viperarum in Ciuitate non extitiſſe, nam ſi extitiſſet, ipsum Ciuitas (vt obseruat) ab altero latere sculpi mandaſſet: & profectò quotquot cernuntur Crucis, & Viperarum coniuncta symbola, vt in porta Hoſpitalis Annunciatæ in Icone de ſuccurſu, in choro ſancti Dominici, in vitreis ſupra frontem Eccleſiæ ſancti Petri, & ſicubi, omnia sunt poſt annũ sesquimilleſimum; quid Viperarum ſymbolo voluerunt? An ſignificare Capuam in ciuibus suis per omnes ætates agnoſcere illa fortiora pectora, quæ etiam veneno spontè sumpto, vt fecerunt antiqui, mori non trepidant? An ſabuloſo monſtro Lærnæ, cui secta capita renaſcuntur, Vrbem cladibus toties afflictam, & oppreſſam extingui non potuiſſe? An potius ſeptem viros, nempè ſex, qui dicuntur Electi, & vnum qui dicitur Syndicus ſaluti Ciuitatis inuigilare? vt Electi Neapolis quinque ex nobilitate, & vnus ex populo, Cythara ſex cordarum in manu Syrenes creduntur aliquando ſignificati? hic numerus Capuæ videtur inſtitutus, vel confirmatus ab anno 1488. antequod tempus hoc symbolum Viperarum extitiſſe non inuenimus.

De Ss. Alexandro, & ſocijs sunt in officio tres lectiones, & ſimiles in lectionario M. S. sumptæ quidem ex longiori textu, quẽ integrum habet C. M. S. & Surius. In noſtro Breuiario dicitur Alexander baptizaſſe Hermetem cum vxore, & filijs, & ingenti familia. In Surio legitur 250.

Quòd verò in his habetur, Alexandrum fuiſſe Quintum Pontificem à ſancto Petro, conſonat noſtro Martyrologio

M. S.

*M. S. ſed corrigendum eſt: fuit enim Sextus, nam ſucceſſit Euariſto, qui ſucceſſit Anacleto, qui ſucceſſit Cleto, qui ſucceſſit Clementi, qui ſucceſſit Lino, qui ſucceſſit Petro. Sed erroris illa cauſa redditur, quia plerique Cletum, & Anacletum confundunt. Illud etiam notandum eſt pro Traiano Hadrianum legendum eſſe, vt in Romano quoque Martyrologio emendatum fuit.*

4 4 Non. Quiriaci Epiſc. *De Quiriaco Epiſcopo, & Iuuenali item Epiſcopo in Kalendario tertio die ſequenti. Quiriacus dicitur etiam ab Vſuardo; Cyriacus ab alijs. Nihil in officio. Sub Iuliano Apoſtata Ieroſolymæ paſſus eſt, ipſe tamen non fuit Epiſcopus Ieroſolymæ.*

5 3 Non. Euthimij Diaconi mart. *Nihil in kalendarijs, nec in officio. De eo Martyrologium Romanum & Martyrol. noſtrum, & alij. Fuit Diaconus Alexandrinus, & in carcere vitam conſummauit.*

6 2 Non Ioannis ante portam latinam, duplex. *Conſonant kalendaria, & Martyrolog. In officio tres lectiones ex Procoro citato per Baronium anno 92.*

7 Non. Domitillæ V. & M. Iuuenalis mart. *Tacent kalendaria, ſed loquitur Martyrologium, cui conſentit Martyrologium Romanum, & alij.*

8 8 Inuentio ſancti Michaelis Archangeli, Victoris M. *De Inuentione ſancti Michaelis Kalendaria, & Martyrogia. De ſancto Victore Kalendarium quartum die ſequenti, & Kalendarium primum die 14. ſed Martyrologium noſtrum hoc ipſo die. De inuentione ſunt in officio tres lectiones, & habetur in his apparitionem Archangeli contigiſſe anno 536. vt habent manuſcripta citata per Baron. in notationibus: at ipſe Bar. in annalibus refert ad annum 493. Feſtum apparitionis celebratur in Eccleſia ſancti Angeli ad Oialdiſcos, ſic appellata ab antiquiſſima Oialdiſcorum familia. De hac Eccleſia legi in inſtrumento ſancti Angeli ad*

For-

Digitized by Google

*Formam, & exſcripſi hæc verba*: Frater Azo monachus Caſsinenſis, & Præpoſitus monaſterij ſancti Angeli in formis, propè Capuam, & Conuentus eiuſdem, Reuerendo in Chriſto Thomæ de Crema, monacho eiuſdem monaſterij, ſalutem in Domino. Inuenimus Eccleſiam ſancti Angeli Oiadiſcos de Capua immediatè ad nos, & ad noſtrum monaſterium pertinere: & quod Princeps Richardus Capuanorum Princeps, data venerabili Patri Domino Hidelbrando Archiepiſcopo Capuano Eccleſia ſancti Ioannis Arepaldi, quæ nunc dicitur NOBILIVM, accepit dictam Eccleſiam in commutationem ab eodem domino Archiepiſcopo, cuius oblationem conceſſerunt, & confirmauerunt Iordanus, & Secundus Riccardus, necnon & cæteri Principes Capuani, & Sanctiſſimus Papa Gregorius *hæc inſtrumentum*: *ſed Chronicum Caſſinenſe lib. 3. cap. 37. narrat ita*. Per idem tempus (*id eſt circa annum* 1073.) Richardus Princeps per præceptum obtulit Beato Benedicto Eccleſiam ſancti Angeli, quæ nuncupatur ad Formas, de qua ſuperius, tempore ſcilicet Baldoini Abbatis, qualiter à Marino Papa conceſſa ſit, plenius ſcripſimus. Sed quia Capuanus Archiepiſcopus illam eo tempore retinebat, præfatus Princeps cupiens ibidem facere monaſterium, ante ſeptem circiter annos, cum eo concambium fecit, data pro ipſa alia Eccleſia, vocabulo ſancti Ioannis de Landepaldi, quæ tunc temporis palatio pertinebat, cum ornamentis, & libris non paucis; & vniuerſis rebus, ac pertinentijs eius. Receptis ab eodem Archiepiſcopo prædicta Eccleſia ſancti Angeli cum tribus alijs Eccleſijs iam vetuſtate conſumptis, ideſt ſancti Saluatoris, ſancti Ioannis, & ſancti Hilarij; & cum omnibus ad eaſdem Eccleſias pertinentibus, ſexaginta auri librarum pœna appoſita, ſi aliquando Archiepiſcopus, vel alius ſucceſsorum id remouere voluiſset. Quo facto conceſsit

in

Digitized by Google

in eodem loco Eccleſiam ſancti Angeli de Fàldiſcos intra Capuam cum omnibus pertinentijs ſuis: necnon, & quicquid palatio pertinebat in toto Sarzano, cum vniuerſis ibi habitantibus villanis, & omnia, quæ ibi pertinerent Gregorio Comiti Palatij, & Petro filio Doſerij in loco ſancti Eraſmi. Cum omnibus itaque his, & cum vniuerſis pertinentijs ſuis ſimul, & cum chartula cõmutationis, quam à prædicto Archiepiſcopo exinde receperat, in hoc Caſſinenſi cœnobio prædictam Eccleſiam obtulit. Et quoniam locus idem valdè amœnus, & ſatis aptus monaſterio erat, rogauit humiliter Deſiderium, vt pro amore ſuo ſpecialiter inde ſtuderet, quod, & fecit, de monaſterio Albanetæ integram omnium mobilium medietatem etiam eiuſdem loci monachorum illuc tranſmittens: cæpitq; Deſiderius illud ædificare ex integro, tam ſpatioſè quemadmodum hodie cernitur: vbi etiam intra breue tempus quadraginta, & eo amplius monachos regulariter victuros aggregauit. *Hoc idem Feſtum celebratur in nominata Abbatia ſancti Angeli ad formas. Eccleſia ſancti Angeli in formis, vt ex Chronico Caſſinenſi conſtat, iam pridem ante annum 943. erat ibi: quando conſtructa fuerit, ignoratur: ſicut Eccleſia noua ad nouam Capuam proſpicit, ita vetus Eccleſia ad veterem Capuam proſpiciebat; itaque florente Capua veteri conſtructa fuit; fortaſſe quando Dedicationis Eccleſiæ ſancti Michaelis in monte per occidentem diffuſa eſt fama, & cum fama ſolemnitas, tunc Capua Religione Chriſti florens Eccleſiam ſancti Michaelis in mõte inſtar Gargani, habere voluit, qua magis, quàm arce bellica defenderetur: vel fortaſſè conſtructa fuit à Longobardis, quorum erga ſanctum Archangelum tanta erat deuotio, vt in nummis ab vna parte Crucem, & per girum ſancti Michaelis nomen, ab altera nomen Principis Longobardi, diſpoſitis literis in formam Crucis, exculperent: talis*

*num-*

Digitized by Google

*nummus inuentus eſt in agro propè Amphiteatrum, quem in ego Theſauro conſeruandum tradidi. Deuotio autem Longobardorum fortaſſe nata eſt ex eo; quòd illi hoc die inſignem quamdam victoriam obtinuerunt, vt Herempertus meminit. Hoc idem feſtum celebratur in Eccleſia Marcianiſij antiquitus parochiali; ſed centum ab hinc annis incollegiatam euecta.*

*De ſancto Victore Mauro, Mediolani paſſo, ſunt in officio tres lectiones ſumptæ ex actis, quæ recitat Surius. Cum in kalendario noſtro die ſexto Martij notetur Victor martyr cum Victorino, & die vigeſimo Aprilis Victor Papa, eumque de neutro habeatur officium, venio in hanc opinionem, vt Eccleſia, quæ olim fuit ſancti Victoris, & dedit nomen Campo non longè à Ciuitate poſito; necnon & portæ Ciuitatis, exiſtenti vbi nunc eſt flexus viæ propè Caſtellum, fuerit Eccleſia huius Victoris, cuius habetur officium trium lectionum.*

9 7 Id. Quarti, & Quinti Capuanorum Epiſcoporum mart. dup. *De his in tertio, & quarto Kalend. ſed habent illa:* Quarti, & Quinti Confeſſorum. *Nos plura in prima parte.*

10 6 Id. Cordiani, & Epimachi mart. Cataldi Epiſcopi. *Concordant Martyrologium, & Kalendarium ſecundum. De Gordiano, & Epimacho. Sed Kalendarium primum de Gordiano die ſequenti, & Kalendarium tertium, & quartum addunt ſocios Petrum, & Cyrillum. In officio tres lectiones ex actis relatis à Surio. De ſancto Cataldo additio ad Kalendarium ſecundum die ſequenti. In officio tres lectiones, & conſonant Natali lib. 4. cap. 143. De Cataldo agunt alij die octauo, ſed ille octauus dies eſt obitus hic aũt Inuẽtionis. Nos acta Inuentionis habemus in M.S. eorum initiũ eſt.* Fr agcni Archiepiſcopo viro religioſo &c. *Videntur acta illa in fine mutila, & ideo deſideratur in illis ãnus*



Digitized by Google

*inuentionis. Inuentum eſt corpus à Fragone Archiepiſcopo, volente nouam Eccleſiam, antiqua diruta, reædificare: conuocatis ſuffraganeis Epiſcopis, Leo Caſtalanenſis ſenior, tumulum aperuit: Raynaldus Archiepiſcopus Tarentinus ſæculis ante actis ſub altari maiore collocauerat.*

11 5 Id. Antimi presbyteri, & mart. *Kalendaria tacent. In officio nihil: ſed de Antimo hoc ipſo die Martyrologium Romanum, & alij, & Martyrologium noſtrum.*

12 4 Id. Nerei, Archilei, Pancratij mart. *Conſonant Kalendaria, & Martyrologium: in officio prima, & ſecunda lectio de Nereo, & Archileo: tertia de ſancto Pancratio: ſunt excerptæ lectiones ipſæ ex longioribus actis, quæ habemus in noſtro C. M. S. & referuntur à Surio. In territorio Calenenſi fuit Eccleſia ſancti Pancratij, & illa ſubdita Archiepiſcopo* Capuano, *vt ex Bulla Alexandri anno* 1173.

13 3 Id. Seruantij Epiſcopi, & confeſſ. Mutij presbyteri, & mart. *Tacent* kalendaria, *& officium; de his tamen Martyrologium Romanum, & alij; ſed Martyrologium noſtrum de* Seruantio *tantum.*

14 2 Id. Bonifacij mart. Conſtantij Epiſcopi, & Confeſſ. *De Bonifacio mart.* kalendarium *ſecundum, & quartum, & Martyrol. ſed additio ad tertium die ſuperiori. In officio tres lectiones ex textu, cuius initium.* Temporibus Diocletiani, & Maximiani impijſſimorum Imperatorum, orta eſt ſeditio &c. *habemus in noſtro C. M. S. De ſancto Conſtantio Epiſcopo tacent* kalendaria, *& officium: ſed is eſt Conſtantius Epiſcopus Inſulæ Caprearum, de quo Epiſcopus Vici Aequenſis, & ex eo Ferrarius.*

15 Id. Iſidori mart. *Nihil in Kalendarijs, nec in officio; de eo tamen Martyrologium Romanum, & alij, & Martyrologium noſtrum; ſed Galeſinus die ſuperiori.*

16 17 Kalen. Iun. Aquilini, & Victoriani mart. *Tacent Kalendaria, in officio nihil. De his Martyrologium* Romanum

num, & alij, & Martyrologium noſtrum. Galeſinus nominat Aquilinum, & Victorinum, additque ſocios Heraclium, & Paulinum.

17 16 kal. Eraclij, & ſociorũ eius mar. Nihil in kalendarijs, nec in officio: ſed Romanũ Martyrologium, & Martyrologium noſtrum, de Heraclio, ſeu Heratio, & Paulo, & Aquilino. Galeſinus his addit Victorem, Primum, Liberium, & Peregrinum.

18 15 Kalend. Dioſcori mart. Felicis Epiſcopi, & mart. Nihil in Kalendarijs, nec in officio. De his Martyrologium Romanum, & alij, & Martyrologium noſtrum. Apud Maurolycum dicitur Dioſcurus: fuit is Lector, & Martyr in Aegypto: Felix fuit Epiſcopus, & Martyr Spoleti.

19 14 Kalen. Petri Cœleſtini Confeſſ. ſemiduplex Potentianæ Virg. Concordant Kalendaria ſecundum, tertium, & quartum: ſed perperam in ſecundo dicitur Petri presbyteri de Morono. In officio ſunt nouem lectiones, ſumptæ ex Bulla Canonizationis eius, facta per Clementem Quintum anno 1313. Habemus eandem Bullam in altero lectionario M. S. ſed illam edidit Bzouius tom. 14. De ſancta Potentiana ſunt tres lectiones, & ſunt Epiſtola Paſtoris presbyteri, cuius textum habemus etiam in C. M. S. In primo Kalendario die ſequenti; ſed in Martyrologio hoc ipſo die.

20 13 Euſtachij, & ſociorum mart. Bernardini Conf. De Euſtachio ſeu Euſtaſio concordant Kalendaria, & Martyrologium noſtrum, & lectionarium, ſed Martyrologium Romanum, & alij agunt die 20. Septembris. Nomen Bernardini 4. Kalendario additũ eſt. Sed Euſtachius habet in officio tres lectiones, excerptas è textu, cuius initium: In diebus Traiani Imperatoris. Habemus in C. M. S. De ſancto Bernardino in officio nihil; is eſt Bernardinus Senenſis.

21 12 Politi, Victorij, & Donati mart. Tacent Kalen-



Digitized by Google

*varia, Martyrologium habet* Poliecti *; ſed Martyrologium Romanum, & alij* Polyeucti. *Maurolycus* Polioti. *In officio nihil. Fuerunt hi Martyres apud Cæſaream Cappadociæ.*

22 11 kalend. Caſti, & Caſsij mart. & Iuliæ mart. *De Caſto, & Caſsio Kalendarium tertium, & quartum: ſecundo ſunt nomina ſuperaddita. De Iulia tacent kalendaria, & officium, de illa tamen Martyrologium* Romanum, *& alij, & Martyrologium noſtrum.* Martyrologium Romanum *hoc die agit de Caſto, & Aemilio martyribus* Africanis*: non eſt ergo idem* Caſsius *cum nominato à Breuiario noſtro. In officio ſunt tres lectiones, quæ potius encomium, vel prologum actorum, quam acta continent. Habemus illa in lectionario* M. S. *afferamus huc omnia.*

*Breuiarium.* Lect. 1. Hodierna die ſolemnitatem Beatorum martyrum, fratres cariſsimi, Caſti, & Caſsij celebrantes, debemus potius imitari quos colimus: Hi ſunt namque viri triumphatores, qui terrena cordis deſideria reſpuentes, ad æterna præmia peruenire meruere gaudentes. Sufficiant ergo nobis ad profectum noſtræ ſalutis exempla Sanctorum Caſti, & Caſsij, qui propter adipiſcendum cœleſte regnum, omnibus ſe Dominicis mandatis ſpontè ſubdiderunt, & ita cunctis ſe legibus deuinxerunt Redemptoris, vt propter almificam vitam, quam ante uixerant, meruerint ad martyrij gloriā peruenire. Lect. 2. Non enim tantùm in illo tempore perfecerunt præceptum dominicum, quo pertulerunt confeſsionis ſupplicium; ſed optimū illis viſum eſt, ſecundùm Chriſti Euangelium viuere, vt Chriſti paſsionibus potirentur. Valdè quippè eſt congruum, vt initia bona fuiſsent, quorum finis eſt optimus inſequutus. Caſtus namque à Caſtitate nomen accepit, verè etiam Caſtus, quia caſtitatem dilexit, & pudicitiam amauit; Caſsius verò, qui odoriferum continet nomen, bene coniunctus eſt caſtitati: Caſia enim nomen

men eſt odoriferum; & ſicut Caſiæ radix proficua eſt medicaminibus corporū, ex qua Caſius eſt vocatus, ita odoriferum nomen cum caſtitate coniunctum, proficiunt languoribus animarum. Lect. 3. Igitur poſtquam Beatiſsimi martyres Caſtus, & Caſius ad honorem (A) Epiſcopatus ſunt nobiliter ſublimati, totis viribus in Dei opere perſeuerantes, ſicut luminaria in cœlo, ita fulgebant in mundo, vt etiam dæmonibus imperarent, & omnes ægritudines curarent, & ſalutem animabus, corporibuſq; præberent. A

M. S. Lect. 1. Hodierna die &c. *vſque ibi* gaudentes. Lect. 2. Videntes autem Pontifices templorum, vel Idolorum, quòd multi populi crederent per eos in Dominum, fecerunt ſuggeſtionem Imperatori de ſanctis viris Caſto, & Caſsio, continentem hæc verba: Piſsimo Imperatori Pontifices Idolorum ſalutem. Si citiùs verba, vel veſtra poteſtas non ſubuenit ciuitatibus Campaniæ, omnes Dij noſtri ad nihilum redacti ſunt à doctrina impoſtorum Caſti, e Caſsij, qui ſub nomine religionis, Deos noſtros derident, & neſcimus quam ſectam volunt introducere de nomine Ieſu, quem Iudæi crucifixerunt. Lect. 3. Tunc Imperator hæc audiens, exurgens de tribunali ſubſellio, miſit quemdam crudeliſsimum Præſidem Campaniæ ciuitatibus, qui veniens in (B) Aquæuiuenſem ciuitatem, cœpit quærere beatiſsimos Dei famulos Caſtum, & Caſſium. Lect. 4. Cum autem præſentati ſunt ſanctiſsimi Caſtus, & Caſius ante conſpectum crudeliſsimi Præſidis, intuens eos toruo aſpectu Præſes, dixit ad eos: Cuius vos iactatis eſſe poteſtatis, vt contra Deos noſtros tam perfidè peregiſtis? Per virtutem Deorum, niſi conſenſeritis, & pijſsimis Dijs debita exhibeatis, diuerſis pœnis, & cruciatibus vos vitam finire faciam. Lect. 5. Ad hæc verba reſpondentes, dixerunt. Tormenta tua in nomine Domini B

mini

mini noſtri Ieſu Chriſti non timemus, ſed valdè ea deſpicimus: Deos autem tuos nec colimus, nec adoramus. Lect. 6. Præſes verò iuſſit eos duci ad templum Apollinis, dicens: ſi non adorant Deum Apollinem, gladio interficiantur. Ducti ſunt autem Beatiſsimi martyres ad templum Apollinis. Lect. 7. Venientes autem ad templum, antequam introiſſent, orauerunt ſic: Tu, Domine Deus omnipotens, qui es Trinus, & Vnus; pro cuius amore ducimur ad interficiendum, fac, vt hoc templum, vbi ingreſsi fuerimus, ſtatim cum ſimulacris, quæ in ipſo ſunt, minuetur, & ad nihilum redigatur. Lect. 8. Et poſtquam de hoc exierimus mortali ſæculo, Eccleſia conſecretur ad gloriam, & laudem nominis tui, vt omnes, qui huc te deprecaturi, ex quacunque neceſsitate cum oblationibus conueniunt, ſiue pro infirmitate, ſiue pro ira Iudicis, ſiue pro remedijs peccatorum, tu exaudies, qui cum Patre, & Spiritu ſancto viuis, & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Lect. 9. Cum hæc dixiſſent, vox de cœlo ſonuit dicens: Venite fideliſsimi diſpenſatores, percipite Regnum, quod ſitienter optaſtis, & omnia, quæ petiſtis, dabuntur vobis. Lect. 10. Dum autem introiſſent Sancti in Templum Apollinis, cecidit Templum cum omnibus ſimulacris, & oppreſsit Præſidem, & omnes, qui conſenſerant neci Sanctorum. Lect. 11. Sancti verò euaſere illæſi, & factus eſt in illa die magnus, & intolerabilis luctus omnibus cultoribus Idolorum, ita vt venientes, gladio interficerent Sanctos. Lect. 12. Venientes autem fideles, tulerunt corpora Sanctorum, & cum
C honore ſepelierunt eos in loco (C) vbi nunc præſtant beneficia omnibus inuocantibus ſe, adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt verus Deus, cum Patre, & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum Amen. *In tertia lectione Breuiarÿ ſunt hæc extrema verba.* Nam etſi vniuerſi San-

cti

cti vbique ſunt, & in omnibus poſſunt, ſpecialiter tamen Caſtus, & Caſſius pro nobis interueniunt, qui in noſtris partibus (D) ſupplicia pro Chriſto pertuliſſe probantur. D

## NOTATIONES.

AD honorem Epiſcopatus. *Sanctus Caſtus, & Caſſius Epiſcopi creduntur, & coluntur à Soranis. Soræ namque in arce ſuper altare, eorum ſunt imagines cum mitra, & baculo paſtorali: Illuc die 22. Maij. procedit clerus, qui à Præfecto arcis cum lætitiæ ſignis acceptus, ibi ſolemnem Miſſam facit. Cum aliquando Sora ab inimicis obſideretur, nocte viſi ſunt ſupra montem Sancti, habentes in manu facem: & in quatuor lateribus montis ingens numerus militum, in crucis formam diſtributus: qua viſione inimici perterriti, receſſerunt, & Cales obuiam ciuitatem, inuadentes, depopulati fuerunt.* A

Aquæuiuenſem Ciuitatem. *Sed quænam eſt ciuitas Aquauiuens? meo iudicio locus, qui nunc dicitur in noſtro Regno* Acquauiua. *At huius nuncupationis non vnus eſt locus in Regno Neapolitano. Aquauiua locus eſt à ciuitate Barenſi ferè 15. diſtans milliaribus.* Aquauiua *locus eſt circa Venafrum, propè Fornellum; Item extra Regnum, circa Truentum flumen in Piceno. Acquauiua Caſtellum: vbi ergo paſſi ſunt Sanctiſſimi martyres? profectò in Aqua viua circa Venafrum: illa enim ad Campaniam pertinet: huius Aquæuiuenſis ciuitatis creditur Epiſcopus Benignus, qui ſubſcripſit Synodo Romanæ ſub Symmacho. Ortelius in Theſauro.* B

Eos in loco. *Acta, quæ citat Capacius, habent anno 966. Pandulpho Longobardorum Principe Ioanne III. Capuam adueniente, Landone Caietano Duce, Caietam (qui nempè erant Sinueſſæ) delatos, & in altari à Pontifice conditos.* C

Is

*Is certè fuit Ioannes Papa* XIII. *& annus à Bar.* 967. *noſtra computatione* 969.

D . Supplicia. *Eadem acta citata per Capacium: habent Ss. in Aquauiuenſi ciuitate in ignem miſſus, inde Sinueſſa lapides, plumbum, & varia tormenta ſuſtinuiſſe.*

23 10 Kalen. Deſiderij Epiſcopi, & mart. *kalendarium tertium Martyrologium Romanum, Martyrologium noſtrum. Fuit Epiſcopus Lingonienſis. In officio nihil.*

24 9 Kalend. Donatiani, & Rogatiani fratrum mart. *Nomen additum kalendario tertio. De his Martyrologium Romanum & alij, & Martyrologium noſtrum.*

25 8 *K*alend. Vrbani Papæ, & mart. Dioniſij Epiſcopi, & Confeſs. *De Vrbano tantum kalendaria ſecundum, tertium, & quartum, Martyrologia. In officio tres lectiones ſumptæ ex textu, cuius initium:* Sanctorum martyrum geſta, vel paſsiones idcircò &c. *Et habemus in* C.*M*.S. De S. *Dioniſio, qui fuit Epiſcopus Mediolanenſis; Martyrologium Romanum, & alij, & Martyrologium noſtrum.*

26 7 Kalend. Eleutherij Epiſcopi, & mart. *Kalendarium quartum die ſuperiori. Martyrologium noſtrũ, item Vſuard. die ſuperiori, de Eleutherio Papa; ſed de Papa hoc die 26. Martyrologium Romanum: & alij: Eleutherius habet in officio tres lectiones, vnde cognoſcitur eſſe ille de quo Marty-rologium* Romanum, *& alij, & Natal. lib.* 4 *c.* 41. *agunt die* 18. *Aprilis. Quod habetur in lectionibus, Eleutherium paruulum à matre traditũ cuidã Epiſcopo ad ſacras literas edocendum, atque ab eodem Epiſcopo Epiſcopum ordinatum; habent alij traditum eſſe Anacleto Papæ, & ab eo conſecratum Epiſcopum, veniſſe primum Ecas in Apuliam, deinde Meſſanam, & poſtremo in Illyrium.*

27 6 kalend. Iulij Mart. Reſtitutæ Virg. *De Iulio tacent* K*alendaria, & officium. Fuit miles emeritæ militiæ apud Miſiam paſſus. Martyrologium noſtrum. De Reſtituta.* ka-

*lenda-*

Digitized by Google

lendarium ſecundum, tertium, & quartum, & Martyrologium. In officio ſunt tres lectiones velut epitome longi textus, qui manuſcriptus in Eccleſia Sorana conſeruatur, & opera Patris Rufini è Caturano Cappuccini, Euangelici prædicatoris, exſcriptum accepimus, & incipit, Romanæ Reipublicæ &c.

28 5 kalend. Ioannis Papæ, & mart. Kalendarium tertium, & Martyrologium noſtrum: ſed Martyrologium Romanum, & alij agunt die ſuperiori. In officio ſunt tres lectiones, acceptæ ex Anaſtaſio: Quod verò legitur, ſediſſe annos duos, menſes viginti, dies ſexdecim legendum eſt, annos duos, menſes octo, vel nouem, & dies 22. vel 14.

29 4 Kalend. Maximi Epiſcopi, & Confeſs. Siſinnij, & Alexandri mart. Tacent Kalendaria, ſed de ſancto Maximo, qui fuit Veronenſis Epiſcopus, hoc die Martyrologium Romanum, & alij. In noſtro Martyrologio habetur; Treueris Sancti Maximi Epiſcopi; ſed hic Maximinus debebat appellari, vt à Martyrologio Romano, & ab alijs. De Siſinnio, & Alexandro agitur hac die communiter, illis tamen Martyrius additur ſocius.

30 3 Kalend. Felicis Papæ, & mart. Kalendario tertio, nomen ſuperadditum. In officio nihil. De eo Martyrologium Romanum, & alij, & Martyrologium noſtrum.

31 2 Kalend. Petronillæ Virg. kalendaria ſecundum, tertium, & quartum, Martyrologia, & in officio tres lectiones, acceptæ ex actis ſanctiſſimi Nerei, & Archilei.

# IVNIVS.

1 Kalen. Iun. Pamphili Epiſcopi, & mart. De eo in Kalendarijs, & in officio nihil: ſed Martyrologium Romanum, & alij hac die agunt de Pamphilo presbytero, & mart. Cæſa. ſarea in Paleſtina. Ita Martyrologium noſtrum.



Digitized by Google

2 4 Non. Eraſmi, Marcellini, & Petri mart. *De his in kalendarijs, ſed in kalendario ſecundo die ſuperiori. Concordat* Martyrologium *Romanum, & alij, Martyrologium noſtrum. In officio ſunt tres lectiones; prima de ſancto Heraſmo, ſumpta ex textu, cuius initium* Triumphalis Victori, *ſecunda, & tertia de Ss. Marcellino, & Petro ex actis, quæ habemus in* M.S. *& referuntur à* Surio. *Nos in* G.M.S. *habemus acta integra ſancti Eraſmi.*

3 3 Non. Pergentini, & Laurentini fratrum mart. *De his in kalendarijs, & in officio nihil, ſed agit* Martyrologium *Romanum, & alij, Martyrologium noſtrum. Fuerunt martyres apud Aretium Tuſcia.*

4 2 Nou. Quirini Epiſcopi, & mart. *De hoc in Kalendarijs, & in officio nihil; ſed Martyrologium* Romanum, *& alij agunt hodie de Quirino mart. apud Illyricum; Ita Martyrologium noſtrum.*

5 Non. Bonifacij Epiſcopi, & mart. *Huius nomen in Kandario tertio, & quarto. In officia nihil: ſed Martyrologium* Romanum, *& alij hodie agunt de Bonifacio Epiſcopo Mungontino, & martyre; ita Martyrologium noſtrum.*

6 8 Id. Dedicatio Maioris Eccleſiæ Capuanæ duplex, & ſolemne maius. *Eccleſia Capuana, quæ nunc extat, dedicata fuit ſub titulo ſanctiſs. Dei Genitricis Mariæ, Sanctorumque martyrum Stephani, & Agathe; id quod apparet ex* Decreto *Synodi Prouincialis pro Eccleſia Caiacienſi, lato ſub Pandulpho Archiepiſcopo; cuius* Decreti *verba ſupra in ſecunda parte retulimus: ſed à quonam ædificata, & conſecrata fuit Eccleſia Capuana diximus in Catalogo Epiſcoporum. Tandem ſcito priuilegium immunitatis* Nundinarum, *quæ habentur menſe Iunio, & vulgo dicuntur* Mercato di ſanto Antonio, *fuiſſe conceſſum a* Rege *Carolo II. in honorem dedicationis Eccleſiæ Capuanæ; ex quo apparet celeberrimã, & frequẽtiſſimã fuiſſe* Dedicationis *ſolẽnitatẽ.*

Eo-

Digitized by Google

Eodem die 8. Id. Vincentij, & Benigni. *De his in Kalendario tertio, & quarto die ſequenti: ſed hodie Martyrol. noſtrum, & Natal. lib. 5. cap. 93. Galeſ. etiam, & Maurolycus. In officio tres lectiones, & concordāt lectionario M.S. dicunt in ſumma Capitolinum Prætorem Tuſciæ in ciuitatem Peruſinam deueniſſe, & quemdam Mamortium Comitem crudeliſſimum deſtinaſſe, qui è vicinis ciuitatibus Epiſcopos congregaret, inter quos erat ſanctus Vincentius Epiſcopus Ciuitatis Meuanianæ cum Fratre ſuo Benigno Diacono.*

7 7 Idus. Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi. *In Kalendarijs, & in officio nihil, ſed de eo Martyrologium Romanum, & alij, Martyrologium noſtrum.*

8 6 Idus. Eraclij Epiſcopi, & confeſſ. *In Kalendarijs, & in officio nihil, ſed de Heraclio Epiſcopo apud Senonas Martyrologium Romanum, & alij.*

9 5 Idus, Primi, & Feliciani mart. *De his Martyrologiū Romanum, & alij: noſtra Kalendaria habent nomen, ſed quartum die ſuperiori. In officio tres lectiones excerptæ è textu, cuius initium:* Temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum ſœua eſt &c. *Habemus in C. M.S. leguntur in Surio.*

10 4 Idus. Getuli, & ſociorum eius. *In kalendarijs & in officio nihil: de ipſis in Martyrologio Romano, & alijs. Martyrologium noſtrum.*

11 3 Idus. Barnabæ Apoſtoli duplex de 72. Honufrij confeſſ. *De ſancto Barnaba Apoſtolo Kalendaria, & Martyrologia. In officio nouem lectiones ex textu qui nomine Ioannis, cognomento Marci, ſcriptus inuenitur. Habemus illum integrum in C. M. S. eſt autem ille quem Baronius anno 51. falſitatis arguit, & ab aliquo nebulone confictum cenſet.* De *ſancto Honufrio eremita agit Kalendarium quartum, & Martyrologium; Kalendario tertio nomen eſt*



Digitized by Google

additum. Conſentit Galeſinus, & Maurolycus; ſed Martyrologium Romanum agit de eo die ſequenti. In officio tres lectiones ex vitis Patrum.

12 2 Id. Baſilidis, & ſociorum eius. *De his in Kalendarijs nomen: in officio nihil. Agit Martyrologium Romanum & alij, Martyrologium noſtrum.*

13 Idibus Octaua Dedicationis. Antonij Paduani Confeſſoris, Feliculæ V. & M. *De ſancta Felicula in kalendarijs, & in officio nihil. Notatur in Martyrologio nomen ſancti Antonij; Kalendarijs ſecundo, tertio, & quarto additum eſt. In officio ſunt tres lectiones ex vita.*

14 18. Kalen. Iulij. Rufi, & Valerij mart. *Tacent kalendaria, & officium: loquuntur Martyrologium Romanum, & Martyrologium noſtrum, & alij: verùm pro Rufo legunt Rufinum.*

15 17 Viti, & Modeſti, & Creſcentiæ mart. *De his Kalendaria noſtra, & Martyrologia: eſt tamen aliqua diuerſitas, quia Gales. Maurolycus, & Natalis habent hos paſſos eſſe in Sicilia, iuxta Silenuntem flumen occubuiſſe tradunt. In Breuiario ſunt tres lectiones ſibi pugnantes: habet enim prima Vitum paſſum in Sicilia, ſed tertia propè Silarim exhalaſſe ſpiritum. Frequentiſsimus apud Capuanos extitit ſancti Viti cultus: eſt Eccleſia Parochialis in Hercule: extitit olim in territorio Cancielli, & in Cellarulo, & in Palmentata, & in monte ſancti Nicolai à tergo ſupra flumen. Horum ſanctorum acta recitat Surius, ſed alia longè diuerſi ſtyli habemus in noſtro C.M.S.*

16 16 Diogenis, & Saturnini mart. *Tacent kalendaria, & officium. In Martyrol. Rom. 6. Aprilis agitur de Diogene, & Timotheo: in alijs diuerſis diebus agitur de diuerſis Saturninis cum diuerſis ſocijs: nullibi tamen de Saturnino cum Diogene, hoc ipſo die Iunij nomen ſancti Dioginis ab abſq; ſocio legi tantum in quodam Kal. impreſſo, ſed lacero.*



Digitized by Google

17 15 Nicandri,& Marciani mart. *De his Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ſumptæ ex integro textu quem habemus in noſtro C. In Theſauro Capuano aſſeruatur brachium S. Nicandri.*

18 14 Marci,& Marcelliani mart. *De his Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ex textu, cuius initium,* Temporibus Diocletiani &c. *Habemus M. C. & legitur in Surio die 22. Ianuarij inter acta S. Sebaſtiani.*

19 13 Geruaſij,& Protaſij,& mart. De *his Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones, & ſunt breue compendium actorum, quæ referuntur à Surio: in illis igitur corrigendum eſt ex cenſura Baronij quod dicitur SS. paſſos eſſe ſub Nerone: potius enim paſſi ſunt ſub Marco Aurelio Antonino, & Lutio Vero.*

20 12. kalen. Silueri Papæ,& mar. *Huius* Kalendario *noſtro tertio, & quarto additum nomẽ.* De *ipſo Martyrologiũ* Romanum, *& alij, Martyrologium noſtrum. In officio ſunt tres lectiones ſumptæ ex Anaſtaſio, quæ leguntur in Baronio anno* 538.

21 11 Kal. Euſebij Epiſcopi,& conf. *In Kalendarijs, & officio nihil.* Duo *reperiuntur Euſebij; alter Epiſcopus Cæſareæ, alter Epiſcopus Samoſatæ. De primo agunt Vſuardus, & Molanus, &* Natalis *lib. 5. cap. 134. & Maurolycus. Sed Baronius credit in Martyrologio* Romano *agi hoc die de ſecundo: Ferrarius in Topographia (niſi ſit error in Codice) primum locat hoc ipſo die, alterum die 12. eiuſdem menſis: Bar. an. 340. & in Notatione ad* Martyrologium *aſſerit, Euſebium Epiſcopum Cæſareæ fuiſſe Arianum, & mortuum in illa hæreſi; atque ideo perperam inter Sanctos annumerari: retinendum verò* Euſebium *Samoſatæ, qui ab Ariana muliere, tegula deſuper immiſſa, fuit occiſus.*

22 10 Kal. Paulini Nolani Epiſc.& conf. De *hoc Kalendaria, & Martyrol. In officio tres lectiones, ſumptæ ex Vranio*

*eaſdem*

Digitized by Google

*eaſdem habemus in lectionario M. S. in quo inſuper ſunt expreſſa nomina Symmachi, & Benedicti Epiſcoporum, qui morientem illum viſitarunt.*

23 9 kalend. Ioannis presbyteri, Febroniæ Virginis, Vigilia. *De ſancto Ioanne tacent kalendaria, & officium: agit autem Martyrologium Romanum, & Martyrologium noſtrum, & alij. Fuit presbyter, martyr ſub Iuliano Apoſtata. De ſancta Febronia Virg. mart. & alij die 24. vt Kalendarium ſecundum, alij die 25. vt Kalendarium primum, Martyrologium Romanum, & ferè omnes. Sed hac die 23. agit Kalendarium tertium, & lectionarium M. S. In officio ſunt tres lectiones, ſumptæ ex actis ſcriptis à Thomaide Abbatiſſa: habemus illa in C. M. S. ſed primæ paginæ perierunt. Ipſe deuotionem tantæ martyris ſanctimonialis, in monaſterio S. Ioannis renouandum curaui.*

24 8 Kalend. Natiuitas ſancti Ioannis Baptiſtæ duplex, & ſolemn. *De ſancto Ioanne Kalendaria, Martyrologia, & totus Orbis. Quanta fuerit in ſanctum Ioannem deuotio Capuanorum, ex numero Eccleſiarum videre licet; Intra Ciuitatem eſt nobile monaſterium ſancti Ioannis monialium, ab Aligerno Abbate Caſſinenſi constructum anno 967. Eſt Eccleſia ſancti Ioannis Militum Ieroſolimytanorum cum inſigni, & diuite Prioratu. Eſt Parochialis ſancti Ioannis ad Curtim; ſic dicta quia erat Cappella Principum, & proindè propè Curtim, ideſt palatium Principis. Eſt altera Parochialis ſancti Ioannis nobilium, antiquitus de Arepaldo dicta. Extra Ciuitatem extat Parochialis Gruzzaniſij. Extitit in territorio Caſtelli ad mare, & circa Ganciellum altera ſancti Ioannis de Turre anno 1173.*

25 7 kal. Gallicani mar. *Tacent Kalendaria, & officium; de eo tamen viro Conſulari, paſſo Alexandriæ ſub Iuliano Apoſtata, Martyrologium Romanum, & alij, Martyrologium noſtrum.*

Digitized by Google

26 6 Kalend. Ioannis, & Pauli mart. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio duæ lectiones ex actis, quæ leguntur in Surio, ibi num. 6. & 7.*

27 5 Kalend. Creſcentij diſcipuli Beati Pauli Apoſt. *In Kalendarijs, & in officio nihil. De eo Martyrologium Romanum, Martyrologium noſtrum; & alij in Galitia, alij in Gallia natalem eius ponunt. Baronius in annotatione differentiam conciliat.*

28 4 Kalend. Leonis Papæ, & Doctoris, Vigilia. *De ſancto Leone II. Papa Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ex Anaſtaſio. Referuntur à Baronio anno 682.*

29 3 Kalend. Petri, & Pauli Apoſtolorum dup. & ſolemne. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio lectiones, quarum initium:* In vniuerſo Orbe &c. *Ex quo textu ſint accepta, mihi non conſtat: quin ex Apocrypho minimè dubito. Tum quia nimis abiectè loqui de ſancto Petro inducuntur illi noui Chriſtiani: imò & ipſe ſanctus Petrus, qui in Concilio Ieroſolimytano Iudæos Chriſtianos tumultuantes Apoſtolica auctoritate compeſcuit, hic inducitur apud Iudæos Chriſtianos nullius ferè auctoritatis: inducitur enim Iudæos eadem ex cauſa, qua Ieroſolymis tumultuantes, compeſcere non potuiſſe. Et illa verba (* ET NOS VIDEAMVS: *& in conſpectu noſtro conuincam) in ore ſancti Pauli nonnè audacter, & citra modeſtiam dicta fuiſſent? Tum præterea, quia hic inducitur ſanctus Paulus proteſtans ſe docere circunciſionem, & hoc omninò falſum eſt: nam ſanctus Paulus aduerſus eos, qui cum Euangelio legem quoque obſeruandam aſſerebant; adeo obniti viſus eſt, ut nec ad horam (quod ait) legali ſubiectione ſibi cedendum eſſe putauerit ad Gal. 2. etſi quando Timotheum filium Iudeæ fidelis, patre gentili circuncidit, dignum eſt (inquit Chryſoſtomus) vt obſtupeſcamus Pauli ſapientiam,*

qui

Digitized by Google

*qui tantopere pugnauit propter circuncisionem, qui omnia mouerat, & non prius deſtitit, quam correxiſſet confirmatum dogma; circuncidit diſcipulum. Age nunc ſi Paulus legalibus obſtitit, ſi nonniſi ex magno concilio Timotheum circuncidit, qui alias Titum circuncidere noluit, quis affirmabit Paulum docuiſſe circuncisionem? Sunt ergo nullius auctoritatis quæ in lectionibus his habentur. Frequentiſſimæ ſemper fuerunt Eccleſiæ ſancti Petri. In* Ciuitate *nobilis Eccleſia Conuentualium ſancti Franciſci, olim Parochialis, dicta ſancti Petri à Monterone, eſt ibi ſepulchrum celeberrimi ſcholaſtici Ochami. Item Parochialis ſancti Petri ad* Pontem, *ad quam ſit litania 2. die Rogationum, & Eccleſiola ſancti* Petrilli. *In Diœceſi* Parochialis *in villa* Portici, *in* Murrone, *& antiquiſſima ſancti* Petri *ad corpus. Superſunt nomina Eccleſiarum ſancti Petri Apoſtea, quæ fuit Capituli ſancti* Petri *ad* Piſciariello *in monte ſancti Angeli, & fuit Abbatia ſancti Vincentij: Item ſancti Petri in* Sarzano *in* Canciello, *in* Cimbriſco, *in* Sclauis *in prouincia quoque Eccleſiæ ſubiectæ Archiepiſcopo in territorijs* Calatiæ *alli bagnatori: Caſertæ alli goſſoli, Calui de Golerano, ex Bulla Alexandri III.* 1173.

30 2 Kalend. Iulij. Commemoratio ſancti Pauli dupl. *Notatur in kalendario ſecundo, tertio, & quarto, in Martyrologio Romano, Martyrologio noſtro, & alijs. In officio lectiones ex textu, qui dicitur ſcriptus à ſancto* Lino, *& incipit.* Cum veniſſet Romam Lucas à Galatia, &c. *Legimus illum integrum in hiſtoria Chriſtiana Laurentij della Barre. Planè ſanctum Linum* ſcripſiſſe *libros de* Paſſione *ſanctorum Apoſtolorum* Petri, *&* Pauli, *conſtat ſancti Ambroſij teſtimonio: At num qui hac ætate reperiuntur ſint quos Beatus Linus ſcripſit, quoſue ſanctus Ambroſius citat; maximè dubitatur: Ibi enim nonnulla leguntur Apoſtolicæ doctrinæ non conuenientia. Ego in hanc veni ſententiam,*

*nè*

*nè reſpuantur omninò, ſed à paucis; quæ perperam irrepſerunt, expurgentur: expurgari enim facilè poſſunt. Præcipuũ, quod in illis doctrinæ Catholicæ repugnans videtur, eſt, quod habetur fœminas, Apoſtolica prædicatione doctas, proprijs viris debitum coniugale negaſſe, id quippè dogma redolet Manicheorum. Sed profectò illa acta non habent ſimpliciter à fœminis negatum eſſe debitum viris: at boc modo;* Ita vt pleræq; etiam Romanorum Matronæ à commixtione virilis thori ſeruare munda corda ſimul, & corpora, QVANTVM EX IPSIS ERAT, deligerent. *Nota quæſo verba illa,* Quantum ex ipſis erat; *& intellige Matronas ſeruaſſe caſtitatem, quantum ex ipſis erat, ideſt quantum erat ex parte earum; ſcilicet reddendo tantùm, & non petendo, & hoc doctrinæ Catholicæ non repugnat. Dum verò illa acta nominant vxorem Albini à thoro receſsiſſe; emendandus eſt textus, & pro* vxore Pellex, *ſeù* concubina *reponendum: nam ſanctus Petrus contra coniugia illegitima, & contra ius naturæ facta prædicabat; ita quidem in quibuſdam actis dicitur vxor Neronis illius reſpuiſſe concubitum, & tamen illa non vxor, ſed Pellex à ſancto Chryſoſtomo nominatur: quare in acta à ſancto Lino ſcripta vel nomen vxoris falsò inuectum, vel in illis dicitur vxor, quæ putabatur vxor, & tanquam vxor habebatur. Et planè mulieres ſuper inductas, & illegitimas coniuges nonnunquam appellatas eſſe vxores, colligitur ex Gellio lib. 15. cap. 7.* Duas vxores? hoc hercle plus negotij eſt (inquit Coceo) ſed Aediles videant: *& tandem ſi in actis illis nobiles viri queruntur à ſancto* Petro diuidi *coniugia, id ab illis hyperbolicè, & per amplificationem dictum intelligimus, quando re vera illegitima tantùm coniugia SS. Apoſtoli diuidebant.*

*Cæterùm ſub inuocatione ſancti Pauli eſt cappella Palatij Archiepiſcopalis. Patet ex inſtrumentis, & ex ſancti*



Digitized by Google

*Pauli imaginibus, quæ in ea cernuntur. Olim ſuit Eccleſia Parochialis propè flumen non longè ab Eccleſia Trinitatis 1227. Item altera circa Arnonem, & Diœceſi Caluenſi Eccleſia ſancti Pauli de Formello 1173.*

# *IVLIVS.*

1 kalend. Iulij. Octaua ſancti Ioannis Baptiſtæ, Quintiani mart. *De octaua ſancti Ioannis, kalendaria, & Martyrologia. De ſancto Quintiano in Kalendarijs, & in officio nihil. De eo Maurolycus meminit, abſque tamen loci commemoratione. In officio Octauæ habetur etiam vna lectio de SS. Apoſtolis Petro, & Paulo, ſumpta ex aliquo apocripho: corrigenda eſt igitur vt ſupra de libro ſancti Lini cenſuimus.*

2 6 Non. Viſitatio Mariæ Virginis ad Heliſabeth dupl. & ſolemn. Proceſsi, & Martiniani. *De Viſitatione Martyrologium Romanum, Kalendario tertio, & quarto nomen ſuperadditum. In officio ſunt lectiones complectentes inſtitutionem factam ab Vrbano VI. & per Octauam legitur Bulla Vrbani, diſtincta per lectiones in ſingulos dies. Eſt illa Bulla, quam refert Bzouius anno 1390. De SS. Proceſſo, & Martiniano Martyrologium* Romanum, *& alij Martyrologium noſtrum, noſtra quoque Kalendaria. In officio tres lectiones, & eaſdem legimus in lectionario M. S. Initium earum eſt:* Temporibus quo Symon Magus, &c. *mihi videtur eſſe textus, qui expolitus eſt in Surio.*

3 5 Non. Gregorij Epiſcopi, & mart. *In Kalendarijs, & in officio nihil. Natal. lib. 6. cap. 45. & Maurolycus hoc die agunt de ſancto Gregorio Epiſcopo Neoceſareæ Ponti, ideſt de Gregorio Thaumaturgo, de quo Martyrologium Romanum agit die 17. Nouemb. quare in Kalendario noſtro loco,* & martyris *reponendum eſt* & confeſſoris.

4 4 Non.

Digitized by Google

4 4 Non. Innocentij, & Sebaſtiæ cum alijs 30. Lauriani mart. *In Kalendarijs, & in officio nihil. De his Martyrologium Romanum, & alij ſed Martyrologium noſtrum, & Natal. lib. 6. cap. 49. & Maurolycus concordant huic Kalendario, & appellant Laurianum mart. ſed Martyrologium Romanum, agit de Lauriano Epiſcopo Hiſpalenſi, & mart.*

5 3 Non. Domitij mart. *In Kalendario tertio nomen ſuperadditum 5. Non. De Domitio martyre apud Syriam, agit hodie* Martyrologium Romanum, *& alij, Martyrologium noſtrum.*

6 2 Non. Octaua Apoſtolorum, & Tranquillini mart. *De octaua kalendaria, & Martyrologia. In officio lectiones ſumptæ ex Aegyſippo de Excidio Ieroſolymitano lib. 3. cap. 2. De ſancto Tranquillino in Kalendarijs, & in officio nihil. De eo* Martyrologium Romanum, *& alij, &* Martyrologium *noſtrum.*

7 Non. Nicoſtrati, & ſociorum eius mart. *Kalendario tertio nomen additum: de his Martyrologium Romanum, & alij; noſtrum quoque Martyrologium habet* Nicoſtratum Primi ſcrinium, Claudium Commentarienſem, Caſtorium, Victorinum, & Symphorianum.

8 8 Idus. Procopij mart. Aniani mart. *De ſancto Procopio kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones, & concordant lectionario M.S. Initium eſt:* Beatus igitur Procopius. *Extitit in Campocipro Parochialis Eccleſia ſancti Procopij; De Aniano nihil. In* Martyrologio R*omano, agitur de quodam Aniano mart. die 17. Nouembris.*

9 7 Idus. Octaua Viſitationis, Effrem, & Cyrilli mart. *De Octaua Viſitationis Maurolycus, & feſtum ab Vrbano inſtitutum fuit cum Octaua, de qua in Breuiario monaſtico vſque ad noſtra tempora extitit officium.* De *ſancto Effrem hodie meminit noſtrum Martyrologium, &* Kalendarium *primum. De ſancto Cyrillo nihil: ſed* Martyrologium

Romanum, & alij agunt de Cyrillo martyre in Creta. At Maurolycus appellat martyrem Romæ, & agit de altero Cyrillo mart. Eliopoli iuxta Libanum montem, qui erat Diaconus, & propter Idola cōminuta, à Paganis interfectus eſt. In Martyrol. noſtro notatur Cyrillus Epiſcopus, & martyr.

10 6 Id. Felicitatis, & filiorum eius, Rufinæ, & Secundæ V. & M. kalendarium primum de Felicitate, & filijs, Kalendarium ſecundum de Rufina, & Secunda: kalendarium tertium de Rufina, & Secunda die ſequenti. Huic kalendario concordat Kalendarium quartum; Martyrologium Romanum, Martyrologium noſtrum, & alij. De S. Felicitate in officio tres lectiones, quarum initium: Temporibus Antonini Imperatoris: eaſdem habet lectionarium M. S. non diſcrepant à relatis à Surio. De S. Rufina. In officio tres lectiones, quas in eodem lectionario M. S. legimus, & ſunt in Surio perpolito ſtylo.

11 5 Ianuarij, & Pelagiæ mart. In Kalendarijs, & in officio nihil de Ianuario. De Pelagia tantùm in Kalendario primo. De his Martyrologium Romanum, & alij, Martyrologium noſtrum. Paſſi ſunt in Armenia.

12 4 Id. Naboris, & Felicis mart. Concordant Kalendaria, & Martyrologium Romanum, Martyrologium noſtrum, & alij. In officio tres lectiones: Regnante impio Maximiano &c. ex eodem textu habentur in lectionario M.S.

13 3 Idus. Serapionis mart. & Anacleti Papæ, & mart. Kalendario tertio additum nomen Serapionis. De eo Martyrologium Romanum, & alij; ſed Galeſinus addit ſocios Agathonem, & Arſenium. Maurolyc. addit Meleium, Trophonium, Martialem, Alexandrum, & ſocios. Paſſi ſunt Alexandriæ. De Anacleto Papa, & mart. hoc die Martyrol. Roman. & alij; ſed Martyrologium noſtrum, agit die die ſuperiori. In officio nihil.

14 11 Idus. Eraclij Epiſcopi, & Confeſſ. In Kalendarijs,

*rijs, & officio nihil. Maurolycus hac ipſa die commemorat Heraclium Epiſcopum Alexandriæ: ſed Martyrologium Romanum, Galeſinus, & Martyrologium noſtrum appellant Heraclam Epiſcopum illius Vrbis.*

15 Idus. Quirici, & Iulitæ matris eius. *Concordant Kalendaria, Maurolycus, & Galeſinus, Martyrologium noſtrum, ſed Martyrologium* Romanum *agit de his ſequenti, dicitur etiam Cyricus. Verùm in Kalendario tertio, & quarto ponitur Cyricus cum Zenone, diſtinctus à Quiricio. In officio ſunt tres lectiones, quæ videntur eſſe deſumptæ ex ſinceris actis. In lectionario M.S. ponuntur breuiſſimæ lectiones, quarum initium eſt:* Domino Fratri, & Coepiſcopo Zoſimo, Theodorus, annuente Deo, Præſul, in Domino ſalutem; Quia bono ſemini, &c.

16 17 *kalend.* Vitaliani Capuani Epiſcopi, & Confeſſ. dupl. *De Vitaliano in 1. parte. In* Diœceſi *Caluenſi extitit Eccleſia S. Vitaliani, in Caſertana quoq; necnon in Caiacenſi, vna in loco Baluxiano, & altera in campora longa.*

17 16 *k*alen. Alexij Confeſſ. *De eo kalendarium ſecundum, & tertium. Conſonat Martyrologium Romanũ, Martyrologium noſtrum, & alij. In* Kalendario *primo notatur die ſuperiori. In officio ſunt tres lectiones, & eundẽ textum habemus in lectionario* M. S. *Conſonat Metaphraſti, apud Surium, etſi ſtylus longè diuerſus.*

18 15 *k*alen. Simphoroſæ cum 7. filijs ſuis. *Conſonat Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum, &* Marty*rologium Romanum,* Martyrologium *noſtrum, & alij: ſed in noſtro agitur de his die 27. Iunij. In officio tres lectiones ex textu,* S. EVSEBIVS hiſtoriographus, *quem habemus in lectionario* M.S. *eſt idem qui legitur in Surio.*

19 14 Kalen. Arſenij Abbatis. *Tacent Kalendaria, & officium. Fuit Abbas in Aegypto, de quo* Martyrologium *Romanum, & alij, &* Martyrologium *noſtrum.*

20 13

20 13 Kalend. Margaritæ V. & M. *De ea Kalendarium tertium, & quartum, & conſonat* Martyrologium Ro*manum, & alij: ſed in* Kalendario *primo, & ſecundo, & in Martyrologio noſtro, agitur de ea die* 13. *huius eiuſdem menſis. In officio ſunt tres lectiones, & concordat Natal. lib.* 6. *cap.* 120.

21 12 Kalend. Praxedis Virg. *De hac kalendarium ſecundum, tertium, & quartum Martyrologium* Roman*um, & Martyrologium noſtrum, & alij. In officio tres lectiones ex textu.* Virgo venerabilis &c. *Habemus etiam in lectionario M. S. Concordat Natalis lib.* 6. *cap.* 121. *etſi ſtylus eſt longè diuerſus.*

22 11 Kalend. Mariæ Magdalenæ dupl. *Concordant kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ex ſermone. In* Ciuitate *eſt Eccleſia S. Mariæ Magdalenæ, in qua reſident Patres Eremitani S. Auguſtini.*

23 10 Kalend. Apollinaris Epiſcopi, & mart. *kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt tres lectiones ex actis, quæ ex antiquis MM.SS. eruta, edidit Frater Laurentius della Barre in hiſtoria Chriſtiana, necnon & Surius. Quorum initium eſt:* In diebus Claudij Cæſaris, &c. Habuit olim S. Apollinaris *Eccleſiam in ſuburbio propè pontem, & alteram in territorio Cancielli.*

24 9 Kalen. Chriſtinæ V. & M. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ex textu, qui eſt in Natal. lib.* 6. *cap.* 130. *Fuit olim Eccleſia ſanctæ Chriſtinæ cum ſuo pago in Via ſancti Angeli ad formam: tandem diruta, trãſlata eſt* Cappella *in* Cathedralem*, & eſt* Cappella Cano*nicorum.*

25 8 Iacobi Apoſtoli dupl. & Chriſtophori mar. *De ſancto Iacobo. Kalendaria, & Martyrologia. In officio ſunt nouem lectiones, quæ omnes (excepta prima, in eo, quod habet ſanctum Iacobum acceſſiſſe ad Hiſpanias) ſunt totidem*

*ver-*

Digitized by Google

*verbis in textu Abdiæ, quem legi in ſupra citata hiſtoria Chriſtiana. Cæterum de acceſſu ſancti Iacobi ad Hiſpanias edidit ſatis luculentam diſputationem* Pater D. *Antonius Caracciolus Cler. Regularis.*

*De ſancto* Chriſtophoro Kalendaria *primum, ſecundum, & quartum, & conſonant Martyrologia. In* kalendario *autem tertio, agitur die ſequenti. In officio ſunt tres lectiones, quæ leguntur etiam in lectionario M.* S. Prima, *& ſecunda lectio complectitur ea, quæ geſta ſunt antequam Sanctus veniret in Lyciam, vnde Surius exorditur. In monaſterio ſancti Ioannis aſſeruatur ſancti Chriſtophori dens molaris.*

26 7 Kalend. Annæ Matris Virginis Mariæ, & Veneræ Virg. *De ſancta Anna nihil in Kalendarijs, nec in officio.* De *ea Martyrologium* Romanum, *& alij: nomen ſanctæ Veneræ* Kalendario *tertio, & quarto additum eſt.* Profecto *in Ciuitate Alexio, vulgo Lecci, ex Ciuitatibus* Regni Primarijs, *colitur ſancta Venera hoc ipſo die 26. & Hieracij in Calabria colitur altera Venera die* 28. *huius eiuſdem menſis. Igitur Venera noſtra eſt illa quæ Aletij colitur. Habemus Eccleſiam ſanctæ Veneræ propè Laneum in partibus Marcianiſi. Eſt Eccleſia* Capituli *Capuani, de qua mentio eſt in Bulla Alexandri III. Paſſim huius ſanctæ virginis, & martyris cernuntur imagines. Cernitur vna intra Epiſcopium in Cappella dominorum de Thomaſijs: Cernitur altera in pago ſancti* Priſci *in priuatis domibus gentis meæ de Monacho, olim domibus mei proaui. Tertia cernitur in Caſa noua propè Eccleſiam. Cernuntur imagines cum palma tribus coronis inſerta. De hac Venera ſatis accuratè ſcripſit* Pater *Beatillus ſacerdos ex Societate Ieſu, aſſeritq; Veneram eſſe, quam alij Venerandam appellant, & eius cultum à Gallis in noſtrum Regnum introductum eſſe. Lubet huc afferre narrationem Petri Natalis lib.* 10. *cap.* 61.

*& ali-*

Digitized by Google

*& aliquas addere notationes exceptas ex his, quæ Pater Beatillus ſcripſit in vita Sanctæ Hyrenæ.*

A Veneranda (A) Virgo apud Galliam paſſa eſt ſub Aſ-
B clepio Præſide. Hæc fuit filia Agathonis, & (B) Politæ eius vxoris Chriſtianorum, de partibus Galliarum. Qui 35. annis in coniugio ſine prole manſerunt. Oratione tandem ad Deum fuſa, filiam obtinuerunt, quam pater Venerandam vocauit, eamq; ſacris literis erudiri fecit, & ieiunijs aſſuefecit: Puella verò in ſanctitate vitæ proficiens, annorum 30. cœpit verbum Domini prædicare, vt per annos nouem iugiter Chriſtianos in fide Dominica confortaret.
C Anno autem ætatis ſuæ quadrageſimo (C) Romam venit,
D ipſum annunciare cœpit tempore Imperatoris (D) Antonini. Præfectus autem Antonius audiens complures propter eius exhortationem conuerſos, ipſius allectus pulchritudine, vt occaſionem eam cognoſcendi captaret, cœpit puellam ad Deorum ſacrificia inuitare, quam ſacrifi-
E care contemnentem; iuſſit eam in terram (E) extendi, & palmas, ac pedes lignis affigi, atque neruis crudis ventrem eius cædi; lapidem quoque magnum, vix à quatuor viris delatum, eius ventri ſuperponi. Orante verò ſancta, lapis diuina virtute longiùs abijcitur, & claui de ipſius manibus, & pedibus ab Angelo euelluntur: quo viſo miraculo, multi gentilium conuertuntur: Et dum baptiſmum ex-
F peterent, nube cœleſti obumbrantur; ac voce de cęlo lapſa; imbre ſuperno perfuſi (F) baptizantur: Quos omnes Præfectus in Chriſti confeſsione iuſsit decollari: ſanctam autem Virginem in lebetem æneum, aqua, oleo, pice, ac ſulphure bullientibus plenum, immitti: & diebus ſeptem de ſubter ignem iugiter miniſtrari: quibus elapſis, Virgo, diuina gratia, permanſit illæſa: quod dum Præfectus ad
G videndum accederet, aqua ebulliens eum (G) excœcauit; illa verò lutum ex ſputo fecit, & oculos eius liniuit: eique viſum

Digitized by Google

viſum reſtituit, & ad Chriſtum conuertit. Inde accedens ad aliam ciuitatem, Chriſtum annunciabat: ibique à quodam alio (H) Imperatore, nomine Themio, comprehenditur, & ingenti draconi, qui omnes deuorabat, exponitur: quæ ſigno Crucis edito, draconem diſcerpſit: dæmone per aera horribiliter perſtrepente. Sicque Rex ille cum omni populo ad Chriſtum conuerſus eſt. Deinde veniens ad tertiam ciuitatem, à Præfecto (I) Aſclepio detinetur, à quo in lebetem æneum, pice, & oleo liquentibus plenum, mittitur: ſed oratione facta, inde illæſa educitur, fracto quoque mox lebete per fruſta, plures de aſtantibus paganis lethaliter côburuntur. Hoc videns Aſclepius, Venerandam decollari præcepit, quæ ad paſsionem ducta, dum pro cunctis ſe inuocantibus exoraſſet, audiuit vocem de cœlo, ſe fuiſſe in omnibus exauditam. Sicque conuerſis ad Chriſtum 990. (K) viris, capite cæſa eſt, cuius corpus Chriſtianus quidam, nomine Antimus, rapuit: & ipſum venerabiliter ſepeliuit 18. Kalen. Decembris. H I K

## NOTATIONES.

A Veneranda. *Nata eſt Virgo in Paraſceue, ideſt die Veneris ſancti; ideoque appellata eſt in Baptiſmo Paraſceue, & Venus, & Venera. Quia verò nomen hoc Venus, ſeù Venera fuerat olim falſæ Deæ, ideo multi reſpuentes illud, appellauerunt puellam Venerandam: Paraſceue apud Græcos, Venus apud Maurolycum, Veneranda in Martyrologio* Romano *14. Nouembris. Venera communiter in noſtris partibus.*

B Politæ. *Nomen Politæ idem eſt, quod Hippolytæ. Frequentiſſimus eſt hic vſus detrahendi primam à nominibus proprijs ſyllabam; ſic pro Laurentio dicimus* Rentium, *pro Euphemia Phemia, & apud* Macrobium, *pro Diana Iana,*



Digitized by Google

& fuiſſe morem apud Hæbreos quoque, Interpretes Sanctæ ſcripturæ monent.

C Imperatoris Antonini. Nempè circa annum Domini centeſimum quinquageſimum: is enim Imperator ab anno 140. vſque ad annum 163. imperauit ex Bar. tom. 2.

D Romam. Sancta virgo Romam acceſſit; tum quia ſui maiores ab vrbe Roma originem traxerant; tum quia optabat occaſionem pro Chriſto ſubeundi martyrium.

E Extendi. Primum, ſeù inter prima tormentorum genera; illud etiam Venera pertulit; Galeam ignitam capiti ſuperimpoſitam.

F Baptizantur. Non intelligimus, illos conuerſos ad fidem baptizatos aliquo extraordinario modo, ſed tantùm pluuiã repente, & miraculosè delapſam miniſtraſſe aquam, pro Baptiſmate miniſtrando neceſſariam. Vox autem è Cęlo delabens, hortabatur ad fidem conſeruandam, & ad toleranda martyria.

G Excœcauit. Virgo intra lebetem poſita, cernens Præfectum, aquam ebullientem proprijs manibus ſumpſit, & in Præfecti faciem proiecit: Diuinus quidem ſpiritus virginem impulit, non humanus.

H Alio Imperatore. Temius hic, qui dicitur Imperator, debet dici Præfectus, ſeù Quæſtor.

I Aſclepius. Qui dicitur Aſclepius, in Codicibus Græcis dicitur Taraſius.

K 990. Natalis habet conuerſos noncentos & nonaginta: ſed Beatillus ſcripſit noncentos & decem.

Ex his omnibus coniectare licet, qua de cauſa ſancta Venera pingitur cum palma tribus coronis inſerta. Licet, inquam, aſſerere id factum, quia virgo cum tribus Præfectis contendit, & vicit: vel quia fuit Virgo, Doctrix, & Martyr.

27 6 Kalen. Simonis in columna, monachi, confeſſoris.

Bre-

*Breuiario noſtro conſonat Kalendarium tertium, & Martyrologium noſtrum, in quo habetur:* In Syria S. Simonis monachi, qui in columna ſtetit. *In officio ſunt tres lectiones. In lectionario M. S. initium textus ſcripti ab Antonio diſcipulo Symonis, dicti in columna. Concordat Surius die 5. Ianuarij, ſed ſtylus eſt longè diuerſus. Cæterùm in Kalendario ſecundo notatur Symon monachus, & Maurolycus commemorat Symonem monachum in Sicilia. At die 26. Martyrologium Romanum, Maurolycus, & Galeſinus agunt de Symone monacho in territorio Mantuano.*

28 5 Kalend. Nazarij, & Celſi mart. *Kalendaria, & Martyrologia, in officio tres lectiones, quæ videntur epitome longioris textus, qui eſt apud Sur. 19. Iunij: cuius initium habemus in lectionario M.S. In ciuitate extat Parochialis ſub inuocatione ſancti Nazarij, cuius tamen Rectoria olim à Iardano Gaytano Archiepiſcopo fuit perpetuò annexa Decanatui: in Diœceſi fuit olim pagus, & Eccleſia propè Caſanouam, altera in loco Romagnanu & fortaſſe eſt illa, de qua meminit Chr. Caſſinenſe lib. 1. cap. 25. & dicitur S. Nazarius in Cancia.*

29 4 Kalen. Felicis, Simplicij, Fauſtini, & Beatricis mar. *In kalendarijs nihil. In officio tres lectiones, prima; & ſecunda de Simplicio, & ſocijs: conſonant Surio, diuerſo tamen ſtylo. De ſancto Felice 2. Tertia lectio ex Anaſtaſio in Liberio, & in Felice.* De *his* Martyrologium *noſtrum, & cæteri.*

30 3 Kalend Marthæ Virg. Abdon, & Sennen mart. De *ſancta Martha nihil in Kalendarijs. In officio tres lectiones, acceptæ ex actis poſitis à Natal. lib. 6. cap. 151. De ſanctis Abdon, & Sennen concordant kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones ex actis S. Laurentij apud Surium.*

31 2 kalend. Fabij mart. *Nihil in Kalendarijs: & officio.*



Digitized by Google

*De eo Martyrologium Romanum, Martyrologium noſtrum, & cæteri. Paſſus eſt apud Cæſaream, in cuius martyrio illud fuit ſatis mirandum, quòd, cum caput ſeparatum à buſto, proiectum eſſet in mare; tamen in mari coniuncta ſunt, ſeruatis tantùm ſignis detruncationis.*

# *AVGVSTVS.*

1 Kalen. Auguſti. Vincula ſancti Petri dupl. & ſãctorum Machabæorum. *De vinculis Martyrologia, & kalẽdaria: lectiones in officio ex actibus Apoſtolorum: de Machabæis item Martyrologia & Kalendaria, & in officio tres lectiones ex lib. Machabæorum.*

2 4 Non. Stephani Papæ, & mar. *De hoc Martyrologia, Kalendaria. In officio tres lectiones, quas etiam habemus in lectionario M. S. textus integer apud Surium.*

3 3 Inuentio ſancti Stephani protomar. dup. & ſolemn. maius. *De hac Inuentione Martyrol. & Kalend. In officio lectiones ex epiſtola Luciani presbyteri, quam refert Bar. anno 415 & Surius hodie.*

## De Inuentione, ſeù Reuelatione ſancti Stephani *Die 3. Auguſti.*

*QVemadmodum tria Protomartyris feſta Cathedralis Capuana ſibi ab antiquo ſolemniſſima decreuit; ita in ſingulis ſingularem quamdam ſolemnitatem adhibere conſueuit. In Natalitio quidem Chriſmatis adminiſtrationem, in Tranſlatione Synodi conuentum; in Inuentione inferiorum Eccleſiarum honorem. Hic autem honor Cathedratici ſolutione, & Miſſæ, pſalmorumque cantatione perſoluitur. Incidi in Carioſam, & peruetuſtam Theſauri membranam, in qua ita legi.*

In

In vigilia Reuelationis ſancti Stephani infraſcriptæ Eccleſiæ venire debent cum faijs ad Eccleſiam Capuanam: Eccleſia ſancti Ioannis nobilium hominum: Eccleſia ſancti Rufi: Eccleſia ſancti Bartholomæi de Arculoiſij: Eccleſia ſancti Saluatoris maioris: Eccleſia ſãcti Michaelis ad Curtim: Eccleſia omnium Sanctorum: Eccleſia ſancti Andreæ de portu flauianu. In die Reuelationis. Eccleſia ſancti Ioannis ad Curtim: Eccleſia ſancti Andreæ de Apolita: Eccleſia ſanctæ Mariæ magiſtri Landi: Eccleſia ſancti Ambroſij. Secunda die Eccleſia Ss. Apoſtolorum: Eccleſia ſãcti Coſmæ de porta noua: Eccleſia ſanctæ Mariæ de Arcu Francorum: Eccleſia ſanctæ Crucis ſanctæ Mariæ monialium. Tertia die Eccleſia ſancti Philippi, & Iacobi: Eccleſia ſancti Saluatoris dicta . . . . . . . Eccleſia ſancti Bartholomæi de Monterone. Quarta die Eccleſia Ss. Simonis, & Iudæ: Eccleſia ſancti Thomæ: Eccleſia SS. Philippi, & Iacobi de Turrepaldi. Quinta die Eccleſia ſanctæ Ceciliæ: Eccleſia ſancti Laurentij ad Crucem: Eccleſia ſancti Petri Ac iguamiſcos. Eccleſia ſancti Ioannis de Gem nro. Sexta die Eccleſia ſancti Pauli ad flumen: Eccleſia ſancti Marci ad flumen: Eccleſia ſancti Marcelli minoris: Eccleſia ſancti Coſmæ ad quadrapane. Septima die Eccleſia ſancti Martini ad Iudaicam: Eccleſia ſancti Andreæ ad Maximillanam: Eccleſia ſancti Nicolai ad Iudaicam: Eccleſia ſanctj Saluatoris minoris. Octaua die Eccleſia ſancti Silueſtri: Eccleſia ſancti Nicolai ad flumen: Eccleſia ſanctæ Mariæ de ſancto Vincentio. Item ſummo mane in octaua dicti feſti: Eccleſia ſanctæ Mariæ de Rencluſis: Eccleſia ſancti Eraſmi ad Iudaicam: Eccleſia ſãcti Agnelli: Eccleſia ſãcti Ioannis de Lauro: Eccleſia ſancti Blaſij: Eccleſia ſancti Apollinaris: Eccleſia ſancti Saluatoris: Eccleſia ſanctæ Mariæ de Mirabile.

Item Archipresbyter Terræ Canciæ cum presbyteris

ſuis

Digitized by Google

ſuis debet venire in Vigilia . . proceſsionaliter cantando Reſponſoria Vade Lucianæ, ad dicendum Veſperas in dicta Eccleſia. In primo die poſt dictum feſtum debet venire Archiepresbyter Terræ lanei cum ſuis presbyteris ad celebrandum Miſſam ſolemnem in dicta Eccleſia. Item ſecundo die poſt dictum feſtum debet venire Archipresbyter Terræ Capuanæ cum ſuis presbyteris ad celebrandam Miſſam in dicta Eccleſia. *Hactenus in illa membrana.*

## NOTATIO.

*Vides ergo quanta cum ſolemnitate feſtum hoc perageretur: at cum ex nominatis Eccleſijs perpauca ſuperſint; multis abhinc annis magna ex parte huiuſmodi ſolemnitas prætermiſſa fuit: Conſuetudo veniendi cum Faijs in peruigilio manet: nutantem vidimus. At verò quid ſunt Fai de quibus hic agitur? Faia Longobardis erat arbor glandiſera, ſine dubio quæ latinè Fagus appellatur: vt videre eſt in legibus Longobardorum lib. 1. tit. 19. cap. 10. ſed hic Faia, ſeù Faius eſt machina huiuſmodi forma:* Pertica alta, & gracilis, ſeù arundo intra tres circulos æquè diſtantes immittitur: baculus & circuli adornantur: eminet ſignum Crucis in vertice, & à pede crucis Bratteæ, ſeù vittæ papyraceæ tres, vel quatuor coloribus, & inciſuris pulchræ deorſum pendent, circulis alligatæ, nè moueantur. *Quare Faius, ſeù Faia rotundæ metæ, ſeù rotundæ turris formam repræſentat. Inquies, huiuſmodi macchinæ cur dictæ Faiæ, ſeù Faij? cur in hac ſolemnitate à ſeptem illarum Eccleſiarū miniſtris in proceſſione geſtabantur? Certi quod aſſeram nihil habeo; Credo tamen huiuſmodi machinas ab initio dictas eſſe Pharos, ſeu Pharas, ſeù Phara, & deinde corrupta voce, Faios, ſeù Faias: Phari enim ſunt lucernæ,*

& lam-

& lampades in alto poſitæ, quarum vſus in Eccleſijs fre-
quentiſſimus extitit. & in hoc feſto miniſtris illarum ſep-
ptem Eccleſiarum perneceſſarius erat: Cum enim pro more
(qui vt alias adnotauimus erat antiquitùs) ad cantan-
dum officium nocturnum, noctu; & in proceſſione venire
eos oporteret, indigebant Pharis, qui viam euntibus, &
Eccleſiam cantantibus illuminarent: An ab initio fagorum
rami virentes in ſignum lætitiæ pro tanto feſto, vel in ſi-
gnum obedientiæ pro maioritate Cathedralis ab inferiori-
bus Eccleſijs deferebantur? neq; hoc eſt improbabile, nàm
(ſicut à ſenioribus noſtris accepimus) nonnulli tenentes em-
phyteuſim, directo Domino ramum Vlmi, vel alterius ar-
boris virentem, eleuatum in curru pro Canone deferebant.
An huiuſmodi machinæ, quibus fortaſſe Phari inſidebant,
ex fagineis aſſulis leuiſſimis, & perpolitis compingebantur,
atque ideo dictæ Faÿ, vel Faiæ? Satis in obſcuro verſantur.

4 2 Non. Tertullini mart. *De hoc Martyrologia. In kalendarijs nihil. In officio tres lectiones ex actis ſancti Stephani Papæ, & mart. vbi ſupra.*

5 Non. Beatæ Mariæ de Niue, dupl. & ſolemn. Dominici Confeſſ. Paridis Epiſcopi. *De feſtiuitate Beatæ Mariæ in Kalendario primo, & ſecundo. In Martyrologio nihil ſed Kalendario tertio, & quarto feſtum ſuperadditum. In officio tres lectiones, ſynceram continentes hiſtoriam. De ſancto* Dominico *Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum; ſed Martyrologium Romanum agit de eo die ſuperiori, licet hæc dies quinta ſit Natalis eius. Habemus in meditullio Ciuitatis Eccleſiam ſancti Dominici multa deuotione frequentem. De ſancto Paride Epiſcopo Theanenſi Martyrologium* R*omanum, & Kalendarium primum. In officio tres lectiones compendioſa. Acta integra Theani ſeruantur, & habemus eadem in noſtro lectionario.* M.S.

6 8 Idus. Transfiguratio Saluatoris, Sixti, Feliciſſimi,

& Aga-

Digitized by Google

& Agapiti mart. *Martyrologia, & Kalendaria. De Sanctis in officio tres lectiones ex textu, cuius initium:* Magnas Martyrum, præclaraſque virtutes; *habemus eaſdem in lectionario M. S.*

7 7 Idus. Donati Epiſcopi, & mart. *Martyrologia, & kalendaria. In officio tres lectiones, quarum initium:* Erat quidam in vrbe Roma; *ſunt ex illis actis, quæ Car. Baron. in notatione corrigit.*

8 6 Idus. Ciriaci, Largi, & Smaraldi. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio tres lectiones ex actis, quorum initium:* Temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum erat quidam Præfectus nomine Laudicius, &c. *eaſdem habemus in lectionario M. S. ſunt excerptæ ex integro textu actorum ſancti Marcelli apud Surium 16. Ianuarij.*

9 5 Idus. Romani mart. Vigilia. *Martyrologia, ſed in officio, & in Kalendarijs nihil.*

10 4 Idus. Laurentij mart. dupl. Octaua ſancti Stephani, & ſeptem Dormientium. *De ſancto Laurentio Martyrologia, & Kalendaria. In officio tamen hac die, tum per Octauam ſunt lectiones, quibus etiam vtitur lectionarium M. S. & ſunt ſequentia actorum ſancti* Sixti *ſupracitatorum. In Ciuitate eſt Eccleſia ſancti Laurentij, in qua fuit olim cœnobium monachorũ ut in vita S. Ademarij dictum eſt. In pago ſanctæ Mariæ Maioris eſt altera quæ fuit olim hoſpitale infirmorum, nunc verò in aliud opus pium conuerſum. De octaua ſancti Stephani specialiter agitur. Caput propter titulum Epiſcopij. De ſeptem Dormientibus hac ipſa die agit Martyrologium noſtrum: ſed Martyrologium* Romanum, *& alij agunt die 27. Iulij, quando ſcilicet dormitauerunt. Natalis agit die ſequenti, id eſt undecima Auguſti, quando ſcilicet è ſomno ſurrexerunt. In Kalendario ſecundo, tertio, & quarto agitur die ſuperiori, id eſt cum*

vigilia

Digitized by Google

*vigilia ſancti Laurentij. In officio tres lectiones ex actis apud Natalem lib. 7. cap. 51.*

11 3 Idus. Tiburtij mart. *Martyrologia, & kalēdaria. In officio tres lectiones, concordant lectionario M. S. ſunt excerptæ ex actis ſancti Sebaſtiani relatis à Surio menſe Ianuario.*

12 2 Id. Eupli Diaconi, & Claræ V. *Martyrologia, & Kalendaria ſecundum, tertium, & quartum, ſed Galeſinus agit die ſuperiori. In officio tres lectiones ex actis publicis citatis per Baron. an. 303. & concordant lectionario M. S. De S. Clara nihil in Martyrologio noſtro, nec in Kalendarijs, nec in officijs.*

13 Idus. Hippoliti, & & ſociorum eius. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex actis S. Sixti, & Laurentij ſupra notatis. Conſueuiſſe Capuanos cum alijs populis Romam pergere ad Natalitium ſancti Hyppoliti concelebrandum in eius Eccleſia, teſtatur S. Prudentius in eiuſdem hymno canens.*

Concurrit Samnitis atrox, habitator & altæ
Campanus Capuæ, iamq; Nolanus adeſt.

*Vide Baron. ann. 58. nu. 97.*

14 19 *k*alend. Septembris. Euſebij presbyteri, & confeſſ. Vigilia. *De ſancto Euſebio Martyrologia, & Kalendaria. In officio vna lectio, quæ conſonat* Martyrologio *noſtro, & Martyrologio* Romano.

15 18 *K*alend. Aſſumptio Beatæ Mariæ Virginis dupl. ſolemne maius. *De hac celeberrima ſolemnitate Martyrologia,* & Kalendaria. *In officio ſunt lectiones ex ſermone ſancti Hieronymi:* Cogitis, me o Paula, & Euſtochium, imò charitas Chriſti me compellit &c. *Hic eſt ille ſermo, quem ſancto Hieronymo falsò adſcribi demonſtrat Baron. ad annum 58 Et profectò in hoc ſermone diſertis verbis aſſeritur ætate ſancti Hieronymi ſepulchrum Sanctiſſimæ*



Digitized by Google

*Virginis fuiſſe cunctis perſpicuum, & monſtrari, & cerni potuiſſe: Sed hoc falſum eſt, illa enim ætate ſepulchrum illud ædificiorum ruinis obrutum non apparebat, vt colligitur ex Epiphanio, ipſomet Hieronymo, & Euſebio. En ſanctus Epiphanius ambigere ſe ait, an Sanctiſſima Virgo mortua fuerit, ſed quanam ratione vir ille Hieroſolymis ſæpè verſatus dubitare potuiſſet, ſi Virginis de cuius morte dubitabat, ſepulchrum deſuper terram perſpicuum omnibus extitiſſet? En ſanctus Hieronymus relegit cuncta Paleſtinæ loca, quæ ſancta Paula Roma veniens inuiſit, & cuncta quæ ibi erãt memoria digna recenſet; de Virginis autem ſepulchro verbum nullum; quis nunc adduci poteſt, vt credat, vnum tantum Dei Genitricis ſepulchrum à Paula ſpretum, & non inuisum? vel ſcribenti Hieronymo mente excidiſſe, vt non meminerit? Et tandem Eusebius, & alij, qui egerunt de locis ſanctis Conſtantini temporibus repertis, & ædificijs illuſtratis, nè leuem quidem de tanta Virginis ſepulchro mentionem fecerunt. Igitur non ſãcti Hieronymi, ſed pſeudoHieronymi ſermo eſt hic, mendacijs conſarcinatus. Sed inquies.*

*Legimus Deiparam aliquibus, vt puta ſancto Antonio Patauino, vel ſanctæ Brigittæ corpoream ſuam Aſſumptionem reuelaſſe, excusaſſeque ſanctum Hieronymum de dubietate, quam hac in Epiſtola, seù ſermone ſcriptam reliquit. Quare teſtimonio ſanctiſſimorum virorum, imò & ipſius Virginis, ſermo hic ſancto Hieronymo videtur adſcribendus eſſe. Porro, quia (vt inquit ſanctus Antoninus ex Baron. in Martyrologio 15. Auguſti) non ſemper, quæ ſancti viderunt in ſpiritu, eadem vt Prophetæ viderũt, ſed iuxta ſuas conceptas imagines: ideo cum hic ſermo communiter crederetur eſſe ſancti Hieronymi, potuerunt ſancti viri abſque ſanctitatis detrimento, & præiudicio aliquam pro ſua credulitate nouam imaginem mente concipere: quapro-*

pter

Digitized by Google

*pter eorum reuelationes non cogunt, vt ſancto Hieronymo ſermonem hunc attribuamus. Non omittendum quod iampridem lectio ſermonis huius (etſi Hieronymi putabatur) à multis choris erat exploſa, & in capitulis tantum retinebatur. Ita* Durantes *in rationali diuinorum officiorum, & Ioannes Beleth.*

*Leguntur de Aſſumptione alia ſcripta, ſed Apocrypha. Vnum eſt, de quo* Papa *Gelaſius ita ſcribit:* Liber qui appellatur tranſitus Beatæ Mariæ, Apocryphus: *hic verò liber à Tritbemio, Melitoni Sardicenſi tribuitur, quod Couarruuiæ, Baronioq; dubium videtur, ex eo, quod ſanctus Hieronymus inter opera illius auctoris hoc non connumerarit. In noſtro monaſterio ſancti Ioannis legebatur olim Apocryphum, cuius initium eſt (* Tempore illo, antequam Dñs ad paſsionem veniret, & inter multa verba, quę mater à filio inquireret de eius trãſitu cœpit eum rogare, *& in illo additur de cingulo miſſo ab ipſa Dei Genitrice Maria Apoſtolo Thomæ, qui funeri non interfuerat. Ego reiectis Apocryphis, omiſiſque diuerſorum diuerſis narrationibus vna ſancti Gregorij Turonenſis narratiuncula ſum contentus, & ita ſe habet.*

Poſt admirabilem igitur Dominicæ Aſcenſionis gloriam, quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cœleſtia animauit, SS. Apoſtoli Domini, & Saluatoris noſtri cum Beata Maria matre eius in vna congregati domo, omnia ponebant in medio, nec quiſquã ſuũ aliquid eſſe dicebat, ſed vnuſquiſq; cũcta poſſidebat in charitate, ſicut ſacer Apoſtolicæ actionis narrat ſtylus. Poſt hæc diſperſi ſunt per Regiones diuerſas ad prædicandum verbum Dei: denique impleto à Beata Maria huius vitæ curſu, cum iam vocaretur à ſæculo, congregati ſunt omnes Apoſtoli de ſingulis regionibus ad domum eius. Cumq; audiſſent, quia eſſet adſumenda de



Digitized by Google

Mundo, vigilabant cum ea ſimul; & ecce Dominus Ieſus aduenit cum Angelis ſuis, & accipiens animam ejus, tradidit Michaeli Angelo, & receſsit. Diluculo autem leuauerunt Apoſtoli cum lectulo corpus eius, poſueruntq; illud in monumento, & cuſtodiebant ipſum, aduentum Domini præſtolantes: & ecce iterum aſtitit eis Dominus, ſuſceptumq; corpus ſanctum in nube, deferri iuſsit in Paradiſum, vbi nunc reſumpta anima, cum electis eius exultans æternitatis bonis nullo occaſuris fine perfruetur.

*Hæc ſanctus Gregorius lib de gloria Martyrum: qua in narratiuncula tria ex communi fidelium ſenſu certa proponit: vnum Apoſtolos interfuiſſe morti* Deiparæ *Virginis: alterum, ipſam Deiparam verè mortuam: Tertium mortuam, reſuſcitatam, & aſſumptam in* C*ęlum. In itinerario ſancti Vuillebaldi dicitur corpus B. Virg. ab Angelis ſublatum è manibus Apoſtolorum, in nouo Surio. Iulij 7.*

16 17 kalend. Vrſatij Confeſſ. & Arnulphi Epiſcopi. *De Vrſatio nihil in kalendarijs, nec in officio. De eo Martyrol. noſtr. Maurolyc. & Natalis. In Martyrologio* Ro*mano appellatur Vrſicius. De Arnulpho in kalendarijs, & officio nihil. De eo Martyrol. noſt. Galeſinus, & Maurolyc. ſed Maurolycus Vrnulphum appellat. Fuit Epiſc. Metenſis, de quo Martyrol.* Rom. *agit die* 18. *Iulij, ſicut die ſuperiori, ideſt* 15. *Auguſti. agit de Arnulpho* Epiſcopo Sueſſionenſi.

17 16 Kalen. Octaua S. Laurentij, Mammetis mart. *De Octaua* Kal*endaria, & Martyrologia.* De *S. Mämete nihil in officio, nec in Kalendarijs. De eo Martyrol. noſtr. Galeſ. & Maurolyc. ſed Martyrol. Rom. appellat Mammantem.*

18 15 Kalen. Agapiti mart. De *eo Martyrol. & Kalendaria. In lectionario M.S. agitur de eo poſt feſtum ſancti Bartholomæi. In officio tres lectiones, prima eſt veluti quoddam probemium: ſecunda, & tertia ſumptæ ſunt ex Martyrol. Adonis.*

19 14

Digitized by Google

19 14 kal. Magni mart. & Bernardi Abbatis. *In Kalendario primo, & ſecundo de Magno Epiſcopo, & mart. In tertio, & quarto de Magno mart. In Martyrologio noſtro, & Galeſini, & Maurolyci, & Natalis agitur de Magno Epiſcopo, Andrea, & ſocijs quamplurimis martyribus; ſed Martyrologium Romanum hodie agit de* Magno *Epiſcopo Anagnino, & martyre: & hic idem eſt Magnus, de quo Breuiarium noſtrum, vt patet ex tribus lectionibus acceptis à manuſcripto citato per Ferrarium in Catalogo SS. Italiæ. De S. Bernardo* Martyrologium *Romanum agit die ſequenti, ſed hoc ipſo die 19. quarto Kalendario eſt nomen additum, & conſonat Natal. lib. 7. cap. 84. In officio tres lectiones excerptæ ex textu Vuillelmi Abbatis.*

20 13 Kalen. Philiberti Abbatis. *De hoc nihil in Kalendarijs, nec in officio. Agunt de eo Martyrologia.*

21 12 Priuati Epiſcopi, & mart. *Nihil in Kalendarijs, nec in officio. Agunt de eo* Martyrologia.

22 11 kalen. Octaua S. Mariæ Virg. ſemidupl. & Timothei, & Simphoriani. *De octaua, & Timotheo Kalendarium primum. Item de Timotheo* Martyrologium *noſtrum, & in Kalendario quarto ſuperadditum nomen die ſequenti. In officio de Timotheo lectio prima: De Simphoriano lectio ſecunda, & tertia. Sed ipſa acceptæ ſunt ex actis apud Surium. In Breuiario corrigendum eſt quod appellat Auguſtinenſem Ciuitatem Italiæ, cum ſit Auguſtudunum Ciuitas Galliarum.*

23 10 Kalen. Claudij, & ſoc. eius. *De his nihil in kalendarijs, nec in officio. Agunt de illis* Martyrologia.

24 9 Kalend. Aureæ Virg. & Trecentorum martyrum. *De Sancta Aura* Kalendarium *tertium, & quartum, & Martyrologium Romanum. In officio tres lectiones habent illam paſſam ſub* Claudio *Imperatore, ſed acta citata per Baron. habent paſſam eſſe imperante Alexandro.*

25 8 kalend. Bartholomæi Apoſtoli. *Hac 25. in Kalendarijs, & Martyrol. noſt. Eccleſia Capuana Romana omnium matri ſe conformans, agit hac die de ſancto Bartholomæo; de quo cætera die ſuperiori. Paſſio huius Apoſtoli in lectionibus recitata eſt totidem verbis in Natal. lib. 7. cap. 103. ex Abdia Bobylonico lib. 8.*

26 7 Kalend. Rufini Capuani Epiſcopi. *De eo in Kalendario tertio, & quarto, ſed in ſecundo agitur die 24. cum vigilia ſancti Bartholomæi.* De *hoc plura in prima parte. In Diœceſi Caluenſi in Rocca montis Dragonis eſt Eccleſia ſancti Rufini, quæ pertinet ad Capitulum Capuanum, de qua eſt mentio in Bulla Alexandri III. & ſpecialis mentio in Bulla Martini V.*

27 6 Kal. Rufi, & Carponij mar. De *his in prima parte. A tempore Card. Bellarmini hac die actum eſt officium de ſancto Ruſo Epiſcopo, & mart. & officium SS. Rufi, & Carponij tranſlatum eſt in diem poſt decollationem ſancti Ioannis. In Diœceſi circa ſanctum Tammarum, fuit olim Eccleſia SS. Rufi, & Carponij, & erat Capituli Capuani.*

28 5 Kalend. Auguſti. Auguſtini Epiſcopi, & Doctor. dupl. Hermetis mar. *De ſ. Auguſtino Kalend. & Martyrologia. Textum lectionum, quæ ſunt in officio, eumdem, etſi mutilum, lego in lectionario M. S. De ſancto Hermete Kalendarium primum, & ſecundum, & Martyrologia: in officio tres lectiones ex actis Alexandri Papæ.*

29 4 Kalen. Decollatio ſancti Ioannis Baptiſtæ ſemid. & Sabinæ V. & M. *De Decollatione Kalendaria, & Martyrologia: de ſancta Sabina Kalendarium primum, tertium & quartum. In officio tres lectiones, & eaſdem habet lectionarium M. S. ſunt autem in Martyrologio Adonis.*

30 3 Kalen. Felicis, & Audacti. *Kalendaria, & Martyrologia, lectiones in officio, & eaſdem habet lect. M. S. acta ſunt apud Sur. nos de hoc ſupra die 14. Ianuarij.*

31 II

Digitized by Google

31 2 Kalen. Paulini Epiſcopi, & Confeſſ. *De hoc nihil in Kalendarijs. Agit de eo Martyrologium Romanum. In officio eſt tantùm oratio. Fuit Epiſcopus Treuirorum.*

# SEPTEMBER.

1 Kalend. Priſci Epiſcopi, & mart. dupl. & ſolemne, & 12. Fratrum, Egidij, & Terentiani, D*e ſancto Priſco ſatis in prima parte, ſed aliquid excidit calamo: illud hic opportunè reponimus. Anno* 1598. *Lucas Piſanus Rector Parochiæ ſancti Priſci, pertentans antiquum altare poſitum ſub hemycicl tribunæ, inuenit vas paruum, & vitreum cum puluere, & dente, & fragmentis oſſium: Vas habebat operculum plumbeum, & in operculo ab interiori parte per girum exarata literæ* RELIQVIAE SANCTI PRISCI MARTYRIS; *& deinde propter anguſtiam ſpatij* a *paruum, & ſuper* a *paruum* m*: ſed cum aurifex vellet operculum nouo, & argenteo vaſi aptarè, ex incuria ictu mallei illud* m *ſuper* a *poſitum, obtudit; Nos* a, *&* m *interpetrati ſumus anno milleſimo, & coniectauimus eo anno corpus ſancti Priſci tranſlatum eſſe Capuam; ſed fragmenta, & puluerem oſſium translatorum relicta illo in altari, nè antiqua ſancti Priſci Baſilica proprijs pignoribus omninò priuata remaneret.* De XII. *Fratribus Martyrologia, & Kalendaria. In officio tres lectiones ex actis.* Dum furor Maximiani Auguſti &c. *Concordat lectionarium M. S. De ſancto Egidio Abbate Martyrologia, & Kalendarium primum. Kalendario tertio, & quarto nomen additum die tertio. In officio tres lectiones excerptæ ex narratione Natalis lib. 8. cap. 18. De ſancto Terentiano Martyrologia, & kalendaria. Sed in primo kalendario die ſequenti. Maurolyc. die 30. Auguſti, cui addit ſocium Flaccum. Galeſ. die 29. Auguſti. In officio tres lectiones, quarum initium*

Anno

Digitized by Google

Anno Cæſaris Auguſti quadrageſimoſecundo; *& concordat lectionarium* M. S. *in quo etiam legitur hæc oratio.* Propitiare quæſumus Domine nobis famulis tuis per horum ſanctorum Martyrum tuorum Priſci, & Terentiani, qui in præſenti requieſcunt Eccleſia, merita glorioſa, & eorum pia interceſsione ab omnibus ſemper protegamur aduerſis, per Dominum &c. *Igitur Eccleſia Capuana habuit reliquias ſancti Terentiani. Cæterùm ſanctus Terentianus habuit Eccleſiam in ſuburbio à porta pontis, & hodie durat nuncupatio loci ab ipſo ſancto.*

2 4 Non. Septembr. Zenonis, & filiorum eius, & Antonini mart. *De ſancto Zenone, & filijs Martyrologia, & kalendarium ſecundum. In primo Zeno ſolus nominatur. In officio lectiones, quarum initium:* Eo tempore, quo Iulianus Imperator; *& conſonant tres breuiſſimæ lectiones in lectionario* M. S. *De ſancto Antonino mart. apud* Pamiam *Martyrologia, & kalendarium primum, ſed in kalendario tertio, & quarto eſt nomen additum die quarto. In officio tres lectiones, quæ encomium potius, quàm acta continent. Acta apud* Natal. *lib.* 8. *cap.* 34.

3 3 Non. Seraphiæ V. & M. De *hac Martyrologium Romanum: in noſtris nihil.*

4 2 Non. Marcelli mart. & Moyſi Prophetæ. De *Marcello* Martyrologia, *ſed in kalendarijs, & in officio nihil. De* Moyſe *hac die* Martyrologium Romanum.

5 Non. Victorini mart. De *hoc Victorino mart. eodemq; Epiſcopo* Martyrologium Romanum: *in noſtris nihil.*

6 8 Id. Zachariæ Prophetę, & Donatiani, & ſociorum eius. De *his Martyrologia: ſed Kalendaria, & officium nihil habent.*

7 7 Id. Reginæ V. & mart. & Pamphili Epiſcopi, & Confeſſ. De *his* Martyrologium Romanum, *quod Pamphilum Capuæ aſſignat; ſed in noſtris nihil: tantùm in Kalendario*

ſecun-

Digitized by Google

*ſecundo nomen Pamphili Epiſcopi, & Confeſſoris.*

8 6 Idus. Natiuitas Beatæ Mariæ Virginis dupl. & ſolemn. & Hadriani mart. *De Natiuitate Kalendaria, & Martyrologia. De Hadriano Martyrologia, & Kalendarium primum, & ſecundum. In tertio, & quarto eſt nomen additum die ſuperiori. In officio tres lectiones excerptæ ex actis quæ leguntur in Surio.*

9 5 Idus. Gorgonij mart. *De hoc Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones acceptæ ex aliquo textu ſyncero, nam conſonant Martyrologium* Romanum, *& verba eadem maiori ex parte leguntur in Martyrologio noſtro.*

10 4 Id. Hilarij Papæ, & confeſſ. & Nicolai de Tolent. *De Hilario Papa Martyrologium* Romanum. *In noſtris nihil, niſi in Kalendario quarto nomen additum.* De *Nicolao: in noſtris nihil. At de eo Martyrologium* Romanum, *& recentiores.*

11 3 Idus. Prothi, & Iacynti mart. *De his Martyrologia, & Kalendaria. In officio tres lectiones ex actis ſanctæ Eugeniæ.*

12 2 *S*irij, & Inuentij Epiſcopi, & confeſſ. *De his Martyrologia: Kalendario tertio, & quarto nomen additum. In officio nihil: de eiſdem alij die* 8. *Februarij.*

13 Idibus. Philippi Epiſcopi, & mart. Patris S. Eugeniæ. *De hoc Martyrologia; in officio nihil, nec in Kalendarijs. Baron. in Notationibus, & annalibus non concedit appellandum eſſe Epiſcopum.*

14 18 *K*alen. Octobr. Exaltatio ſanctæ Crucis dupl. Cornelij, & Cypriani. *De ſancta Cruce Martyrologia & Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum. In officio tres lectiones continentes hiſtoriam, etſi non integram: Conſentiunt his quæ habet Ado breuiter in Martyrologio. De Cornelio & Cypriano Martyrologia & Kalendaria. In officio de ſancto Cornelio vna lectio, excerpta ex narratio-*



Digitized by Google

ne Natal.lib.8.cap.87.& non deſcrepat à Surio. De ſancto Cypriano, vna quoq; lectio ex textu, qui legitur in Surio.

15 17 Kalen. Octauæ Beatæ Mariæ Virginis, & Nicomedis mart. De Octaua Martyrologium Romanum, & Kalendarium tertium, & quartum. De Nicomede Martyrologia, & Kalendarium primum: kalendario quarto nomen additum: in officio tres breuiſſimæ lectiones, quæ concordant Martyrologijs.

16 16 Kalen. Luciæ, & Geminiani mart. & Euphemiæ Virg. & mart. De his Martyrologia. In kalendario primo de Euphemia ſola: in ſecundo, tertio, & quarto de omnibus. In officio de Lucia, & Geminiano tres lectiones ex Martyrologio Adonis, & tres de ſancta Euphemia, excerptæ ex actis vulgatis, vt in Surio. In Diæceſi fuit olim Eccleſia ſanctæ Euphemiæ; hodie eſt beneficium ſimplex, & habet altare translatum ad Eccleſiam ſancti Elpidij in Caſapullo.

17 15 Lamberti Epiſcopi, & mart. & Emiliani, & ſociorum eius. De Lamberto Martyrologium Romanum: Kalendario quarto nomen additum Martyrologium noſtrum appellat Lambertum. De Emiliano Maurolyc. & Natal Vſuar. de his in noſtris nihil.

18 14 Kal. Metodij mart. De hoc Martyrologia. In Kalendarijs, & in officio nihil.

19 13 Ianuarij, & ſociorum eius. Martyrologia, & kalendaria. In officio lectiones ex textu: Temporibus Diocletiani: & eaſdem habemus in lectionario M. S. Non diſcrepant ſententia à relatis per Surium.

20 12 Fauſtæ Virg. & mart. vigilia. De ſancta Fauſta, Martyrologia, & kalendario quarto nomen additum. In officio nihil. De vigilia Martyrologia, & Kalendaria.

21 11 Kalend. Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ dup. De hoc Kalendaria, & Martyrologia. In officio tres lectiones, quarum initium. Beatus Matthæus Apoſtolus & Euan

geliſta

Digitized by Google

geliſta primò Hebræus Chriſtum: *& eaſdem habemus in lectionario* M.S.

22 10 *kalend.* Mauritij, & ſociorum eius mart. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio tres lectiones, excerptæ ex actis relatis à Surio.*

23 9 *Kalen.* Teclæ virg. & mart. & Soſij mart. *De Tecla* Martyrologia, *& Kalendaria. In officio tres lectiones.* De *Soſio* Martyrologia, *& Kalendario quarto nomen additum.*

24 8 *Kalend.* Liberij Epiſcopi, & confeſſ. *De Liberio* P*apa die ſuperiori*, *Maurolyc. & Natal.lib.ij.cap.vlt.num.* 258. *In noſtris nihil.*

25 7 *Kalend.* Cleopæ Apoſt. Domini de 72. Firmini Epiſcopi, & mart. *De his Martyrologium Romanum. Sed de* Cleopa *Martyrol.noſt.Firmini nomen additum Kalendario tertio, & quarto.*

26 6 *Kalen.* Cypriani, & Iuſtinæ mart. *Martyrologia,* K*alendaria* 3. *&* 4. *In officio tres lectioner ex* Martyrologio *Adonis.*

27 5 Kalend. Coſmæ, & Damiani mart. *Martyrologia, &* K*alendaria. In officio tres lectiones ex Martyrologio Adonis.*

28 4 Kalend. Exuperij Epiſcopi, & confeſſ. *De hoc Epiſcopo Toloſano Martyrologium* R*om. In noſtris nihil.*

29 3 Kalend. Dedicatio ſancti Michaelis Archangeli duplex. K*alendaria, & Martyrologia. Sub titulo huius* De*dicationis eſt in Ciuitate Eccleſia dicta ſancti Michaelis ad Curtim, & Caſanouæ, & Curtium.*

30 2 Kalen. Hieronymi presbyteri, & confeſſ. & Doct. duplex, & Sophiæ, & filiorum eius. *De ſancto Hieronymo Martyrologia, &* k*alendaria. In officio lectiones ex vita breuiter compilata, cuius initium,* Pleroſque &c. *eaſdem habemus in lectionario M.S. Hac ætate à* D*omino Lælio de*



Digitized by Google

Thomaſijs inſtitutum eſt collegium puellarum ſub titulo ſancti Hieronymi in Parochiali Eccleſia ſancti Nazarij; quod tamen accepit formam Monaſterij Benedictini: nam D. Roberta de Henrico à monaſterio S. Ioannis eo tranſlata eſt hoc anno 1627. in prima Dominica Maij, & inſtituta eſt Abbatiſſa: & quatuor Domini Laij ſuperſtites filiæ Laura, Hieronyma, Olimpia, & Victoria ſacrum habitum nouitiarum acceperunt die Dominica, quæ fuit Iunij decimatertia. De ſancta Sophia Martyrologia & kalendaria. In officio tres lectiones, conſonantes actis, quæ kalen. Auguſti leguntur in Surio.

# OCTOBER.

1 Kalen. Remigij Epiſcopi, & confeſſ. De eo Martyrologia, & Kalendaria 2. 3. & 4. In officio tres lectiones, excerptæ ex poſitis à Natal. lib. 9. cap. 9. & à Surio.

2 6 Non. Leodegarij Epiſcopi, & mart. De hoc Martyrologium Romanum. In noſtris nihil.

3 5 Non. Candidi mart. De hoc Martyrol. Rom. & Natal. lib. 11. cap. vltimo num 27. In noſtris ſolùm eſt nomen additum Kalendario tertio, & quarto.

4 4 Non. Franciſci confeſſ. ſemidup. De hoc Martyrologium Romanum, & recentiores. In officio lectiones exceptæ ex vita ſcripta per ſanctum Bonauenturam. Nomen in Kalendario 2. 3 & 4.

5 3 Non. Placidi, & ſociorum eius. De hoc Martyrologia. kalendarium 2. 3. & 4. In officio tres lectiones ex actis ſcriptis à Gordiano: leguntur in Surio. Noſtra ætate ſancti Placidi inſignis reliquia è Sicilia Capuam adducta fuit, & repoſita in Eccleſia ſancti Eligij, opera, & induſtria Patris Marci de Angelis Clerici Regularis, & Capuani Ciuis.

6 2 Non. Sagarij mart. In Martyrologio Romano, & in Mar-

*Martyrologio noſtro dicitur Sagaris. Fuit Epiſcopus Laodiceæ. In Kalendarijs, & in officio nihil.*

7 Non. *M*arcelli, & Apulei. Sergij, Bacchi, & *M*arci Pap. *De his omnibus Martyrologia, & Kalend. ſecundum, tertium & quartum. De Sergio, & Bacco Kalendarium primum ſequenti. In Kalendario ſecundo Marci nomen additum die ſuperiori. In officio de ſancto* Marcello *tres lectiones, illæ ſine vllo dubio non ſunt* Marcelli *Capuani, nec* Marcelli *Romani, ſed Marcelli cuiuſdam pientiſſimi viri, qui Caſcharæ ab Epiſcopo Archelao fuit adiutus, ni ab Hereſiarcha Manete inficeretur. De quo Baron. tom. 2. anno 277. Milites de quibus Breuiarum meminit, aut fuere Valeriani Imperatoris, qui anno 262. contra Perſas ducebat exercitum; aut Odenati Regis Palmyrenorum qui anno 265. contra Perſas pro Romano Imperatore pugnabat. De SS. Sergio, & Bacco tres lectiones ex actis*, Impe ante Maximiano tyranno multus error &c. *habemus in lectionario M. S. & in alio C. integrum textum. De ſancto Marco tres breuiſſimæ Lectiones ex Anaſtaſio.*

8 8 Idus. Reparatæ Virginis, & Mart. & Pelagiæ, quæ meretrix appellatur. *De ſancta* Reparata *Martyrologia, Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum. In officio tres lectiones: habemus ex parte in lectionario M. S. Fuerunt Eccleſiæ ſanctæ Reparatæ in villa Trentulæ, & extra portam Turrium Capuæ.* De *ſancta Pelagia Martyrologium* Romanum, *Kalendario quarto nomen additum. In officio tres lectiones, excerptæ ex ſcholijs in Nata lib. 9. cap. 36.*

9 7 Id. Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij. De *his Martyrologia*, & Kalendaria. *In officio tres lectiones, excerptæ ex textu Hilduini qui legitur in Surio. Habemus nos alium textum integrum in C. M. S.*

10 6 Id. Paulini Capuani Epiſcopi dupl. & Cerbonij Epiſcopi. *De Paulino in prima parte. De Cerbonio Martyrologium*

*gium Romanum. Fuit Epiſcopus Populonij in Tuſcia. In noſtris nihil.*

11 5 Idus. Firmi Epiſcopi, & confeſſ. *Firminum appellat Martyrologium Romanum. In noſtris nihil.*

12 4 Idus. Euſtachij presbyteri, & confeſſ. *De hoc Martyrologium Romanum: Kalendario tertio, & quarto additum nomen.*

13 3 Idus. Fauſtini, Ianuarij, & Martialis mart. *Martyrologium Romanum. In noſtris nihil.*

14 2 Idus. Calixti Papæ, & mart. Fortunatæ Virg. & mart. *De Caliſto Martyrologia, & kalendaria. In officio tres lectiones ex textu quem habemus in C. M. S. & refert Surius: corrigendum eſt, quod dicitur de incendio Capitolij tempore Macrini, & Alexandri: nam inter Macrinum & Alexandrum interceſſerunt anni quatuor Antonini, & Heliogabali, qui regnauit ab anno 220. ſicut Alexander ab anno 224. Galeſinus habet Calixtum ſediſſe tempore Macrini, & Heliogabali. De ſancta Fortunata Martyrologia, & Kalendaria ſecundum, tertium, & quartum. In officio tres lectiones, quas etiam habemus in lectionario M. S.*

15 Idus. Lupuli, & Modeſti mart. *De his in prima parte.*

16 17 Kalen. Martyriani, & Satiriani cum duobus fratribus eorum. *Martyrologia tantùm. In Kalendarijs, & officio nihil.*

17 16 Florentini Epiſcopi, & confeſſoris. *Martyrologiũ Roman. & Martyrologiũ noſtrum; ſed Galeſ. & Maurol. appellant Florentium. Kalendario tertio, & quarto nomen additum.*

18 15 Lucæ Euangeliſtæ dupl. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex ſermone Domini Bertharij Abbatis: textum integrum habemus in C. M. S. ſed hic, qui dicitur in titulo ſermonis* Domnus Betharius, *fuit Sanctus,*

ut

*vt in Martyrologio monaſtico Caſſinenſi.*

19 14 kalen. Pelagiæ V. & aliorum XLIX. Tholomei, & Lucii mart. *Martyrologia: & kalendario tertio, & quarto nomen additum. In officio nihil.*

20 13 Kalend. Maximi Leuitæ, & mart. Zoſimi Epiſcopi, & conf. *De Maximo Martyrologia. De Zoſimo Epiſcopo Puteolano Martyrologium noſtrum. Kalendarium primum notat die ſuperiori; ſed ſecundum, tertium, & quartum, hoc die vigeſimo. In officio nihil. Fuerunt Eccleſiæ ſancti Maximi in villa Grummi, & propè Triſiſcum: & propè villam ſancti* Nazarij.

21 12 kalen. Hilarionis Abbatis, & Vrſolinæ cum XI. millibus virg. *De Hilarione Martyrologium* Romanum, *& Kalendaria. In officio tres lectiones ex vita ſcripta à ſancto Hieronymo.* De *Vrſulina Martyrologia, &* kalenda*rio tertio, & quarto nomen additum.*

22 11 Kalen. Marci Epiſcopi, & Salonæ. De *his Martyrol. ſed* kalendario *tertio, & quarto Salonæ nomen additum: cæterùm nihil.*

23 10 kalen. Seuerini Epiſcopi, & confeſſ. & Romani Epiſcopi, & confeſſ. *De his Martyrologium* Romanum, *ſed Romani Epiſcopi nomen Kalendario tertio, & quarto additum die 24.*

24 9 Kalend. Felicis, & Audati, & ſociorum martyr. *De his Martyrologia. In Kalendarijs, & in officio nihil.*

25 8 kalend. Chryſanti, & Dariæ, Criſpini, & Criſpiniani mart. *De Chryſanto, & Daria:* Martyrologia, & ka*lẽdaria. In officio tres lectiones.* Polemius vir Illuſtriſſimus Alexandrinæ Vrbis honoratus. *Conſentiunt poſitis à Surio. De Criſpino, & Criſpiniano Martyrologia. In officio, & kalendarijs nihil. Hi habuerunt altare in Eccleſia ſancti Eligij, quod poſt aduentum* Paulinorum *tranſlatum eſt ad Eccleſiam Annunciatæ.*

26 7

Digitized by Google

26 7 Kalen. Dimidrij mart. *De Dimidrio, ſeu Demetrio Martyrologium Romanum agit die* 8. *huius menſis; ſed Martyrologium noſtr. & Kalendaria & Natal. lib.* 9. *cap.* 110. *hoc ipſo die* 26. *In officio tres lectiones,* Cum Maximianus Herculeus Gothos. *Integrum textum habemus in* C.M.S.

27 6 *Kalen.* Euariſti Papæ, & mart. *De hoc Martyrol. noſtr. Galeſ. Vſuard. Ado: ſed* Kalendarium *quartum, & Martyrologium* Romanum, *& Maurolyc. agunt die ſuperiori Vigilia.*

28 5 *Kal.* Simonis, & Iudæ Apoſtolor. dupl. M*artyrologia, &* Kalendaria. *In officio lectiones* Simon Cananeus *textum integrum in* C. *M*. *S*.

29 4 Kalen. Stephani Caiacciani Epiſcopi, & confeſſ. De *hoc in ſecunda parte. Nomen in kalendario tertio, & quarto.*

30 3 kalen. Germani Capuani Epiſcopi, & conf. & Maximi mart. D*e Germano in* 1. *parte.* De Maximo M*artyrologia: Kalendarium ſecundum, & quartum: ſed Kalend.* 3. *die ſequenti. In officio tres lectiones ex actis* ſub Diocletiano, & Maximo: *textum integrum habemus in* C. M.S.

31 2 *Kalen.* Quintini mart. *De hoc* M*artyrologia. In officio lectiones excerptæ ex actis* M. *S. relatis à Surio, & Natal. lib.* 9. *cap. penultimo.*

# NOVEMBER.

1 *Kalend.* Feſtiuitas omnium Sanctorum duplex, & ſolemn. maius, & Cæſarij. *De Feſtiuitate omnium Sanctorum* Martyrologia *&* K*alendaria. In officio lectiones ex ſermone. Sub inuocatione omnium Sanctorum eſt Parochialis in Ciuitate, & in villa Cancielli, & in* Diœceſi *Caluenſi de loco Sanguinarij.* De *ſancto Cæſario* Martyrologia, &

Digitized by Google

& *Kalendarium primum tertium & quartum. In officio lectiones ex textu, quem habemus M. S. & refert Surius. Habemus alium textum in C.M.S. incipit.* Quintus à Cæſare Octauiano Auguſto Claudius Nero. *In villa Campocipri Eccleſia ſancti Cæſarij.*

2 4 Non. Commemoratio omnium fidelium Defunctorum duplex. *Martyrologium Romanum, & Kalendarium tertium & quartum.*

3 3 Non. Vitalis, & Agricolæ mart. & Valentini, & Hilarij mart. *Kalendarium tertium. In quarto nomen additum. Martyrologium Romanum. Galeſ. & Maurol. agunt die ſequenti. Martyrologium noſtrum agit die 27. In officio lectiones ex ſancto Ambroſio.* De SS. *Valentino, & Hilario Martyrologium Romanum, & Kalendarium ſecundum. Sed kalendarium tertium die quarto. In officio lectiones ex textu,* Tempore, quo Maximianus Auguſtus regnabat, miſit edictum. *Integrum habemus in C.M.S.*

4 2 Non. Amantij Epiſcopi, & confeſſ. & Clari preſbyteri, & mar. M*artyrologium Romanum: ſed Martyrologium noſtrum de Claro tantùm. In Kalendar. & officio nihil.*

5 Non. Felicis presbyteri, & Euſebij monachi. *Martyrologia & Kalendario tertio, & quarto additum nomen. In officio tres lectiones ex actis ſancti Cæſarij citatis.*

6 8 Idus. Leonardi confeſſ. ſemidup. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones excerpta ex actis M. S. relatis à Surio. Fuit noſtra ætate Eccleſia prope Caſtellum, nunc altare translatum ad ſanctam Mariam in Abbate.*

7 7 Idus. Herculani Epiſcopi, & mart. *Martyrologia & Kalendario tertio, & quarto nomen additum. In officio nihil.*

8 6 Idus. Quatuor Coronatorum. *Martyrologia & kalendaria. In officio lectiones ex textu,* Diocletianus Cæſar, qui ſuper omnes. *Integrum habemus in C.M.S.*



Digitized by Google

9 5 Idus. Theodori mart. *Martyrologium Romanum, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu* Temporibus ſuis Maximianus, & Maximinus. *Habemus integrum in* C.M.S. *Conſentiunt quæ refert Surius ex Metaphraſte. Extitit Villa cum Eccleſia ſancti Theodori anno* 1407.

10 4 Idus. Martini Papæ, & mart. *Martyrologium noſtrum & Kalendaria. Sed Martyrologium Romanum agit die* 12. *In officio lectiones ex textu,* Summa deuotione recolendus. *Habemus integrum in* C.M.S. *refert Surius*

*Beatus Andreas de Auellino Kalendario adſcriptus eſt in Synodo Diœceſana* 1628. *noſce occaſionem*: *Cum D. Carolus Tappia Marchio Belmontis, & in Supremo Collaterali Conſilio Regens, Patronus Capuæ factus, Capuam veniſſet, cupiens patrocinium fælicibus auſpicijs inchoare, Ciuitati propoſuit, vt Beatum Andream ab Auellino potentiorem patronum ſibi è Cælis adſciſceret: Res perſuaſu facillima, primùm propter Beatum ipſum, qui viuens ſæpè Capuã venit, & pro Capuæ incolumitate ſæpè Deo ſacrificium obtulit:* Deinde *propter antiquam Ciuitatis vniuerſæ erga Patres Theatinos dignos operarios Chriſti, beneuolentiam: poſtremò propter iram Dei auertendam, cuius timorem nunciatæ multorum locorum calamitates, & terræmotus incuſſerant: igitur die nono Ianuarij anno* 1628. *in ſancti Eligij ab Electis nomine Ciuitatis ſolemniter acta ſunt omnia. Hoc ipſo anno* 1628 *adueniente Nouembris decima die, Beati Feſtum in Eccleſia ſancti Eligij ſolemniter actum eſt: Deinde alio die Academia Raptorum eiuſdem noui Patroni laudes concelebrauit: Tunc ipſe Academicorum minimus hæc pauca.*

De

Digitized by Google

## DE BEATO ANDREA cum vrbe Capua.

*CVlta Theatinum dextra Campana propago,*
*Patrono in Cœlis creſcet adaucta nouo.*

## DE BEATO ANDREA cum ſcuto Crucis, Ciuitatis Inſigni.

*COrde Crucem nouus Andreas complexus amanti,*
*Protegit iſta Crucis Mœnia celſa Fide.*

## DE BEATO ANDREA cum ſcuto Viperarum, altero Ciuitatis Inſigni.

*VRbs Capys affert non trepidantia corda veneno,*
*Quæ ſint vt Chriſto fortia fortis habet.*

## DE PVDICITIA B. ANDREAE problema.

*BElla mouet Thais Caſto iuuenilibus annis*
*Fortis amata ſitu polluit ora puer.*
*Septa puella Deo, turpi tentatur ab hoſte;*
*Opponit ſæuis enſibus ora pater.*
*Vtra pudicitiæ maiora Trophæa? Beatus*
*Qui tulit Andreas ipſe referre valet.*



Digitized by Google

# DE PVDICITIA B. ANDREAE Hymnus.

FLore virtutum redimitus omni
Fulget Andreas: celebrare Caſti
Attamen cordis meritum libenti
Carmine ſumo.

Thaidos multum petulantis Arma
Sæpè cor tentant violare pubis:
Ille ſed turpi macie capita
Inquinat ora.

Virginum Caulæ Domino ſacratæ
Paſtor, infandæ furiæ reſiſtit,
Et ſuo vulnus capiente vultu,
Septa tuetur.

Hinc abit: Cœlo reuocatur. Ecce
Ora pro Chriſti maculata laude,
Cœlitus miſſo decorantur almæ
Lucis honore.

Syderis magni radios honeſta
Vincit Andreæ facies, & Orbis
Gloriæ quantum fruitur beatò
Munere noſcit

Pro Deo quis nunc trepidabit vllum
Perpeti damnum? quod amica ſemper
Dextra maiori pretio rependit
Hic & in Aethra?



Digitized by Google

# IN PATROCINIVM B. ANDREAE

## Hymnus.

*Miniſter Andrea Dei*
*In Te Tui Cognominis*
*Miſſi Patras Apoſtoli*
*Exempla nobis innouas.*
*Campana Te Te Ciuitas*
*Colit Patronum ſupplici*
*Voto, precumq; munere*
*Opem fer Andrea pijs*
*Ex corde toto ſuſcipis*
*Pondus Theatine Crucis*
*Fortiſq; durum ſuſtines,*
*Ad vſque vitæ Veſperam.*
*Piſcator, Vrbis Regiæ*
*Illuſtre litus accolis,*
*Vitæq; ſanctæ retibus*
*Merſos profundo liberas*
*Hæc noſtra Sanctus Maniæ*
*Viuens adſti ſæpius,*
*Salute pro noſtra preces*
*Fundens Deo pijſſimè.*
*Nunc ſumma calcans Aetheris*
*Vrbem decoram Symbolo*
*Crucis, tuere deditam*
*Precis tuæ tutamini.*
*Piſcator alme cœlitus*
*Immitte Vulturno precis*
*Feruentioris retia,*
*Limoq; fixos extrahe.*

Hæc ſtropha debet eſſe vltima



Digitized by Google

11 3 Idus. Martini Epiſcopi, & confeſſ. dupl. Menæ mar. *De Martino Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones, ex textu Seueri, Sulpitij.* Sub inuocatione ſancti Martini. *In Ciuitate eſt Parochialis ad Iudaicam, & in villa Macerata Campeſtris ad Aqua ſparſa propè ſanctum Priſcum: diruta ad Silice. De Mena Martyrologia, & Kalendar. 2. Sed Kalendarium primum die 10. Tertium die 12. & in quarto additum nomen die 12. In officio lectiones ex textu.* Anno Imperii ſui nono, Diocletianus Auguſtus. *Habemus in* C. *M. S.*

12 2 Idus. Emiliani presbyteri, & confeſſ. *Martyrologium Romanum. In noſtris nihil.*

13 Idus. Britij Epiſcopi, & confeſſ. & Ioannis Chryſoſtomi Epiſcopi, & confeſſ. *De Britio Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex ſancto Gregorio Turonenſi de rebus Francorum lib. 2. cap. 1. De ſancto Chryſoſtomo Martyrologium noſtrum. & kalendaria. In officio lectiones ex textu* Ioannes Chryſoſtomus, Secundo, & Anthuſa parentibus. *Habemus integrum in* C. M. S.

14 18 *K*alen. Serapionis mart. *Martyrologium Romanum. In noſtris nihil.*

15 17 *K*alen. Felicis Epiſcopi, & mart. *De hoc Epiſcopo Nolano Martyrologium* Rom. *In noſtris nihil.*

16 16 Kalen. Eucherij Epiſcopi, & confeſſ. *Martyrologia tantùm.*

17 15 *K*alend. Dioniſij Epiſcopi, & confeſſoris. M*artyrologia tantùm.*

18 14 Kalend. Octaua ſancti Martini, & Romani mar. *De octaua* Martyrologium *noſtrum, & Kalendaria 2.3.4. Vſque ad tempora Bellarmini* Cardinalis, *& Archiepiſcopi durauit conſuetudo celebrandi octauam.* D*e ſancto Romano* Martyrologium *Romanum. In noſtris nihil.*

19 13 Kalend. Eliſabeth viduæ filiæ Regis Vnghariæ. Mar-

Digitized by Google

*Martyrologium* Romanum, *& Kalendarium ſecundum.* *Sed tertio, & quarto additum nomen . In officio lectione excerpta ex vita apud Surium.*

20 12 kalend. Pontiani Papæ, & mart. *Martyrologium noſtrum & Kalendarium ſecundum, tertium, & quartum, Martyrologium Romanum die ſuperiori. In officio lectiones ex Anaſtaſio.*

21 11 Kalend. Mauri mart. *Martyrologium noſtrum: Kalendarium primum, Maurol. & Galeſ.*

22 10 kalen. Ceciliæ Virg. & mart. ſemidup. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu qui incipit*, Humanas laudes, & Mortalium infulas. *Habemus integrum in* C.M.S.

23 9 *k*alend. Clementis Epiſcopi, & mart. ſemidupl. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu*, Poſt Beatum Petrum. *Habemus integrum in* C.M.S. *Habemus in* Diœceſi Pagum, *& Eccleſiam* S. Clementis.

24 8 Kalen. Chriſogoni mart. *Kalendaria, & Martyrologia. In officio lectiones ex textu, qui incipit*, Prætextati Illuſtris viri filiam. *Eſt integer in* C.M.S.

25 7 Kalen. Catharinæ virginis, & mart. ſemidupl. & Mercurij mart. *De ſancta Catharina* Martyrologia, *& Kalendaria. In officio lectiones excerptæ ex textu* Conſtantinus ſacratiſſimus . *Eſt integer in* Codice *M. S. Recentiores ſcribunt Catharina, & deducunt a Græco* Catharios, *id eſt mundus purus : in noſtris autem* MM.SS. *& in porta ænea monaſterij ſancti Ioannis legitur Ecaterina: & Baronio viſum eſt nomen deriuatum ab Hecate. De ſancto* Mercurio *Martyrologium Romanum: Martyrologium noſtrum ponit* apud Beneuentum. *In officio lectiones excerptæ ex textu ,* Decius ambitionis inflammatus libidine. *Concordat Surius . Habemus in Ciuitate inſignem Eccleſiam ſanctæ Catharinæ, in qua eſt cœnobium Fratrum*

*Sancti*

Digitized by Google

*ſancti Franciſci de Obſeruantia. Propè Eccleſiam ſancti Eligij fuit olim Cappella ſanctæ Catharinæ cum hoſpitali, quæ tandem Eccleſiæ, & hoſpitali ſancti Eligij vnita fuerunt. De fundatione cuius Cappellæ eſt in Domo ſancti Eligij inſtrumentum dignum quòd legatur, & ita ſe habet.*

In nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti. Anno Incarnationis eius 1383. *R*egnante Sereniſſimo Domino, Domino Karolo III. Dei gratia Inclito Ieruſalem, & Siciliæ Rege, Prouinciæ, & Portalqueris, ac Pedemontis egregio Comite, Regnorum verò eius anno tertio, die ſecundo menſis Nouembris, ſeptimæ Indictionis. Nos Benedictus Merulus de ciuitate Capuæ per prouinciam Terræ laboris, & Comitatus Moliſij ad contractus Iudex: Antonius de Gallo de dicta ciuitate Capuæ, publicus per totam eandem prouinciam Terræ laboris, & Comitatus Moliſij reginali auctoritate Notarius, & infraſcripti literati teſtes, ad hoc ſpecialiter vocati, & rogati videlicet Dopnus Nicolaus de Turcñ Archipresbytero Capuano, Antonius de Capua, Notarius Raynaldus de Augño de Caſerta ciuis Capuæ, Dopnus Antonius de Trigijs & Notarius Nicolaus Notarij Ambroſij, & Gilectus Octauian de Villa Ercul. habitator Capuæ, præſenti ſcripto publico declaramus, notum facimus, & teſtamur, quòd conuocatis, & accerſitis nobis prædictis Iudice, Notario, & teſtibus prædicto die ad maiorem Eccleſiam Capuanam, ad preces humiliter nobis factas per prouidos, & diſcretos magiſtrum Miccum Zampella ſutorem, Antonium Fuſcum, & Richardum Apothecarium de Capua, magiſtros, & Procuratores nouæ Confraterniæ Eccleſiæ ſancti Nicolai ad flumen in Capua, quæ eſt ipſi maiori Eccleſiæ ſubdita, & immediatè ſubiecta. Ibique ſcilicet in choro ipſius Eccleſiæ præfati magiſtri, & procuratores dictæ nouæ Confraterniæ, coram nobis, & in præſentia ſubſcriptorum venera-

bilium

Digitized by Google

bilium Canonicorum venerabilis Capituli maioris Eccleſiæ ſupradictæ ad ſonum campanellæ in choro prædicto ad infraſcripta vnanimiter congregatorum, vt eorum eſt iuris, & moris, ibidem Capitulum facientium: Expoſuerunt oraculo viuæ vocis, quod, ſicut præſupponitur generaliter fore notum, qualiter generalis Epithimiæ curſu, qualiter etiam huius turbati temporis diſpoſitione cauſante; qualiterue, vt creditur, noſtris exigentibus meritis peccatorum, Homines Ciuitatis eiuſdem mares, & etiam mulieres, quos Deus ſummus rerum opifex ad ſuã imaginem, & ſimilitudinem procreauit, vt in eis tamquam ſpeculo deiformis Imago luceſceret, cognoſcerentur diuinæ prærogatiuæ veſtigia, & creatoris laudes creaturæ rationabilis organum reſonaret: qui pro maiori parte, (quod narrando inſigne pietate venit horrendum) naturæ debitum perſoluerunt: Ex quo ipſa ciuitas Capuana olim exaltata diuitijs, olim ornata delicijs, quæ hominum populoſitate vigebat, heu quam depopulata viris, viduata prudentibus, venit quaſi perditionis in lapſum. Et ſicut illius diræ mortis impietas miniſtrabat propter abundantiam cadauerum mortuorum, Capuani cleri conſortium amplius non valebat vacare circa ſepelitionem ipſorum: nunc, ſicut ex diuino nutu, & infuſione gratiæ Spiritus ſancti, AC VISIONE ILLIVS SANCTAE CATHARINAE VIRGINIS glorioſæ, proceſsit in eorum mentes, & ſpiritus conſpirauit, quòd ipſi Magiſtri, & quamplures alij boni viri de Ciuitate prædicta, Chriſtum colentes, & eandem Virginem glorioſam, tam horrenda peſte, pietate commoti confratrariam prædictam ſtatuere ad Dei laudem, & dictæ Virginis prouiderunt. Cuius confratres eleemoſinaliter multorum pauperum funera, quæ, eorum paupertate dictante, ſepeliri non poterant, eorum ſumptibus proprijs, in ſignum charita-

tis, deuotionis, & fidei tradebant Eccleſiaſticis ſepulturis. Quorum aliqui ex deuotionis inſtinctu certa bona eorum eidem confratreriæ in vltimis legauerunt, vnde certa eſt acquiſita pecunia, quæ per eos fideliter conſeruatur; de qua, & alijs erogandis eidem confratriæ ex pia fideliũ datione communiter arbitrantur, & vnanimiter decreuerunt ad Dei laudem, & dictæ Virginis glorioſæ laudem, & gloriam, & ipſorum defunctorum remiſſione peccatorum conſtrui, & ordinari facere Baſilicam ſub vocabulo dictæ Virginis glorioſæ, vt exinde apud ipſas magis accreſcat deuotio popularis, propè dictam Eccleſiam ſancti Nicolai in eius territorio, quod eſt ipſius Capituli Capuani; Quapropter dicti magiſtri, & procuratores dictæ Confratreriæ eiſdem Canonicis, & Capitulo deuotè, & ſuppliciter poſtularunt, vt eis, quo ſupra nomine, dictum territorium exiſtens propè dictam Eccleſiam, vbi fuerat hortus, dare, tradere, concedere, & donare benignius dignarentur pro cauſa prædicta, vt ibi dictam Baſilicam ſub dicto laudabili nomine conſtrui facere valeant, & compleri. Ipſi verò ſubſcripti Canonici, & Capitulum, ac viri venerabiles dopnus Madius, & Abbas Ciccus de Caiaccia, procuratores congregationis, & dictæ diſtributionis ipſius Eccleſiæ Capuanæ, ad infraſcripta omnia ſolemniter conſtituti, ordinati, & facti, audita expoſitione humili, & deuota magiſtrorum ipſorum cum ſilentio debito, & per eos, vti dixerunt, in plenam conſiderationem deducta, attendentes, & conſiderantes tam laudabilia per eos opera caritatis incepta, & quam pium eſt huiuſmodi ſacris ædificijs manus porrigere adiutrices; nolentes oculos debitæ miſericordiæ in prædictis claudere, tamquam cœci, qui lumen ſupernæ contemplationis ignorant, ſed tanquam vigiles habentes oculos, habentes linceos circa huiuſmodi fidem, & deuotionem latius ampliandam, & laudabile

dabile opus in mundo ducendum. Exemplum naturale filiorum Aquilæ imitantes, qui verſus ſolem inreuerberato viſu reſpiciunt, & ad lucem immarceſcibilis ſui luminis, ac radios, ſemper eorum dirigant appetitus: nec minus illorum, qui Deum vident ſpiritualibus, & conditoris etiam in diuitijs opulentis, aſpectibus induuntur; ſingula cum deliberalitate rimanendo in prædictis diligenter intendere, porrectis huiuſmodi precibus inclinati, vt in prædictis eorundem magiſtrorum, & procuratorum huiuſmodi ſacris operis mentes nullis impediatur obſtaculis, ſed in eorum tam digno, & laudabili propoſito vnde veniunt digna veneratione laudabiles, deuotius confirmentur, & per huiuſmodi opus caritatis incepti, fides, & deuotio in dicta Eccleſia amplietur: bona eorum, mera, libera, & gratuita voluntate, congregati, vt ſupra, dicti ſcilicet procuratores cum conſenſu, & voluntate, ac mandato ipſorum ſubſcriptorum Canonicorum per hanc cartam in noſtri præſentia pro cauſa iam dicta in acceptum diuinæ mentis, & ex alijs iuſtis conſiderationibus, atque cauſis, eorum mentes ad id dirigentibus, vt dixerunt, per fuſtem dederunt, tradiderunt, conceſſerunt, ac etiam donauerunt eiſdem magiſtris, & procuratoribus ipſius confratreriæ, nomine ipſius confratreriæ recipientibus, hoc eſt totum, & integrum dictum terrenum, ſeu tenimentum, vbi fuerat hortus, ſitum iuxta ipſam Eccleſiam ſancti Nicolai, & iuxta mœnia ciuitatis, iuxta hortum magiſtri Bernardi Speciarij, viam, qua itur ad ipſam Eccleſiam, & alios confines, vt dicunt: cum . . . . . . . & pertinentijs ſuis omnibus, & cum vijs, & intratis ſuis, conſuetis, & debitis illuc intrandi, & inde exeundi, atque cum omnibus alijs ſuis iuribus, & pertinentijs, in ea videlicet ratione, quam dicti magiſtri, & procuratores, & ſucceſſores eorum in dicta confratreria teneantur, & debeant iuxta bona, &



Digitized by Google

facultatem dictæ cõfratreriæ, ac poſſint, & valeant ibidem de nouo dictam Baſilicam ſub vocabulo dictæ ſanctæ Virginis *Catharinæ* conſtrui, & ædificari facere de dicta pecunia, & alijs bonis, & legatis erogandis eidem per Chriſti fideles. Ita quod ædificata Eccleſia ipſa ſit, & eſſe debeat ſubdita, & immediatè ſubiecta dicto Capitulo Capuano, quam confratres ipſi, & ſucceſſores eorum, teneantur & recognoſcant à dicto Capitulo Capuano, & ipſum capitulum in principalem dominum dictæ nouæ Eccleſiæ conſtituendæ perpetuò recognoſcant: & pro ea eidem Capitulo, ac eius parti præſtent, ſoluant, & reddant, & faciant pro cenſu dictæ Eccleſiæ in recognitionẽ, & ſignum dominij omni anno in die Beati Stephani de Bonacera, in pondere libram vnam, ac teneantur, & debeant omni anno prima Dominica menſis Maij omnes confratres ipſius confratreriæ incedere quilibet ipſorum cum candela accenſa cum proceſsione poſt corpus Beati Priſci per ciuitatem eandem. Et dicti ſubſcripti Canonici, & ſucceſſores eorũ in dicta Eccleſia teneantur, & debeant in ſignum deuotionis, caritatis, & fidei, & ad denotandum dictum dominium omni anno in die vigiliæ ſanctæ Catharinæ accedere in veſperis ad dictam Eccleſiam, & ibi veſperas ſolemniter decantare. Et quod ipſi magiſtri, & ſucceſſores eorum poſsint, & valeant ponere, & remouere cum notitia dicti Capituli Cappellanos, & Sacerdotes, quos voluerint in Eccleſia antedicta, qui ibidem habeant diuina officia miniſtrare; quos dictum Capitulum habeat eos ibidem confirmare tanquam habens iuſpatronatus, & dominium in Eccleſia prædicta, quos ſic inter eos ſtetit & expreſsè conuenit. Et obligauerunt ſe dicti procuratores dicto Capitulo nomine quo ſupra, dictaſq; congregationem, diſtributionem, & Capitulum earum partem, & bona eiſdem magiſtris, & procuratoribus dictæ no

uæ

Digitized by Google

uæ Confratreriæ præſentibus , & obligationem ipſam recipientibus nomine quo ſupra, dictas, quo ſupra nomine conceſsionem, donationem, & omnia, & ſingula ſupraſcripta, & infraſcripta ſemper, & omni tempore ratas, & firmas habere, & tenere, attendere, complere, inuiolabiliter obſeruare, & contrarium non facere, dicere, opponere, vel demere de iure, vel de facto in iudicio, vel extra, aut aliter quoquo modo, quoniam ſic inter eos coram nobis expreſsè cõuenit pro pœna vnciarum auri quinquaginta, præſente pacto rato manente Curiæ Archiepiſcopali Capuanæ, vel alteri Curiæ, vbi fuerit reclamatum, ſi ſecus inde fieret ampliandam: quam pœnam fui ego prædictus Antonius publicus vt ſupra notarius, tanquam perſona publica, pro parte dictæ Curiæ A. dictis procuratoribus nomine quo ſupra interuenientibus, quod ſolemniter, & legitimè ſtipulantibus, guadiam dicti procuratores quo ſupra eiſdem magiſtris procuratoribus confratreriæ prædictæ coram nobis ex inde dederunt eiſq; ad ſancta Dei Euangelia corporaliter proprijs manibus tacta prouidi iurauerunt, vnde ſi neceſſe fuerit, ad pignerandum ſcilicet de rebus, & bonis ſuis, & dicti Capituli licitis, & illicitis vſque ad legem: & renunciauerunt dicti procuratores nomine quo ſupra ſuper his coram nobis certiorati prius, vt dixi, de iuribus infraſcriptis, & effectibus eorundem, ſuper his coram nobis expreſsè actioni exceptione doli mali, vis, metus, & in factum, & exceptioni rei aliter geſtæ, aliter, & alibi præſens non ſit celebratus contractus, quam ſuperius dictum eſt, priuilegio fori, beneficio reſtitutionis in integrum, legi, per quam huiuſmodi de donat. . . propter vitium ingratitudinis reuocantur, legi dicenti generalem renunciationem non valere, iurique dicenti his renunciari non poſſe, atque omni alij iurium legum, iurium canonum, ciuilium, Longobardorũ conſtitutionum,

& ca-

& capitulorum regni auxilio, iuris canonici, & ciuilis beneficio, per quæ contra prædicta, vel aliquod prædictorum dictum Capitulũ, & eius par exinde venire poſſent, aut quomodolibet ſe tueri; Hoc ſcriptum publicum ad cautelam dictæ confratreriæ, & eius partis ſcripſi. Ego prædictus Antonius publicus vt ſupra notarius, qui præmiſsis omnibus pro notario rogatus interfui, & meo ſolito ſigno ſignaui. Capuæ.

*Hactenus Inſtrumentum Nota ex eo quãtum prompta ſemper fuerit Capituli Capuani pietas in promouendis religioſis operibus: ita ſuperiori ætate conceſſit locum Cappucinis, & Eccleſiam Sanctæ Mariæ de Ieruſalem in monte Rageto Seruitis: & ætate noſtra Eccleſiam ſancti Ioannis ad Gaianum Hieronymitis de Feſulo: nota quoque ex viſione ſanctæ Catharinæ ( cuius tamen viſionis ſeriem ignoramus ) erga ipſam Virginem, & Martyrem inductam eſſe deuotionem apud Capuanos adeo ſingularem.*

26 6 Kalen. Petri Alexandrini Epiſcopi, & mart. & Lini Papæ. *De Petro Martyrologia, & kalendaria. In officio lectiones ex textu,* Si omnes corporis mei, &c. *eſt integer in* C.M.S. *De ſancto Lino hodie* Kalendarium *tertium, & quartum, &* Maurolyc. *In officio lectiones ex Anaſtaſio.*

27 5 Kalen. Maximi Epiſcopi, & confeſſ. *Martyrologia tantùm.*

28 4 Kalen. Papinij, & Manſueti Epiſcoporum, & conf. *Martyrologium Romanum, &* Kalendarium *tertium, & quartum.*

29 3 Kalen. Saturnini mart. vigilia. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones* Tempore quo &c. *textus integer in* C. *M*. S.

30 2 Kalend. Andreæ Apoſtoli dupl. M*artyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex actis presbyterorum Achaia. In Ciuitate Eccleſia ſancti Andrææ de porta ſauza-*

na

Digitized by Google

*na, cuius Eccleſiæ* Rectoria *fuit primum beneficium mihi collatum. Item ſancti Andrææ de Apolita: in* Diœceſi *Eccleſia.& pagus, & olim Eccleſia, circa Cancellum, & in* Diœceſi *Caluenſi Eccleſia à* Cementata *ann.* 1173.

*Feſtum* Sanctiſſimæ *Trinitatis, quod nunc prima Dominica poſt Pentecoſtem, more* Romano, *celebramus, celebratum olim in Eccleſia* Capuana *Dominica poſt Pentecoſten vltima, quæ iuxta ritum Officij* Diuini *eſt vltima Nouembris: patet ex Breuiario, & ex libro quotidianæ diſtributionis.*

# DECEMBER.

1 Kalen. Eligij Epiſcopi, & confeſſ. & Proculi mart. *De Eligio* Marty*rologia, Kalendaria tertium, & quartum. In Kalendario ſecundo die* 25. *Iunij. In* Ciuitate *Eccleſia ſancti Eligij, Francorum opus. Antiquitus erant in illa conducti Presbyteri ſæculares; Sed ann.* 1574. *Venerabilibus, nec vnquam abundè laudatis clericis Regularibus Theatinis, cum magna* Ciuitatis *vtilitate, conceſſa fuit. Exemplo enim, & verbo illorum* Patrum *& maiorem in Altaribus, Eccleſijsq; poliendis exhibitam curam, & frequentiorem diuinorum Sacramentorum, ſanctæq; prædicationis vſum, & Nobilium quotidianum aſſiſtendi* Miſſæ *deuotionem, accepta refert vniuerſa ciuitas. De* Proculo *nihil in noſtris. Fuit Epiſcopus Rauennæ, ab alijs dicitur Interamnæ, vel* Narniæ, *vel Bononiæ.*

2 4 Non. Biuianæ virginis, & mart. *De hac* Martyrolo*gium* Romanum, Kalendarium *ſecundum; ſed tertio, & quarto nomen additum. In officio tres lectiones,* Temporibus Iuliani Imperatoris erat quidam vir Illuſtris &c. *Eaſdem habemus in lectionario M.S.*

3 3 Non. Caſſiani mart. *Martyrologium* Romanum. *In noſtris nihil. Fuit martyr Tingitanus in Mauritania.*

4 4 Non. Barbaræ Virg. & mart. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex actis; ibi tamen pro Maximiano Maximinus reſtituendum eſt. Quòd dicitur de baptiſmo, intelligimus baptizatam à Valētino presbytero* Nuncio *Origenis circa . Olim* Canciellum *fuit Eccleſia ſanctæ Barbaræ* 1173.

5 Non, Sabbæ Epiſcopi confeſſ. *De hoc Martyrologia, Kalendaria 2. & 3. ſed 4. nomen additum. In officio lectiones*, Beatiſs. Sabbas ortus in Prouincia Cappadociæ fuit. *Eaſdem legimus in lectionario M. S. Quod ergo dicitur* Epiſcopi, *per incuriam irrepſit in Kalendarium.*

6 8 Idus. Nicolai Epiſcopi, & confeſſ. ſemidup. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones*, Nicolaus itaque ex illuſtri proſapia ortus, ciuis fuit Pataræ ciuitatis, &c. *Eaſdem habemus in lectionario M. S. ſunt in Breuiario ſancti Nicolai Barenſis. Sancti* Nicolai *cultus Capuæ frequentiſſimus extitit. In ciuitate eſt Eccleſia Iuriſpatronatus antiquitùs* Cappella *Principum. In Diœceſi ſunt* Eccleſiæ *in monte ſupra* Capuam, *de qua in ſecunda parte; in* Camiliano, *in* Caſapullo, *in* Campocipro, *à* Romula *in Sancta Maria* Maiori, *in Iullanello, in* Caſtello *ad Mare, in* Canciello, *in Grazzaniſio, in Pago della ſtrada, in* Scarpati *Diœceſis Theanenſis.*

7 8 Idus. Ambroſij Epiſcopi confeſſ. & Doctor. duplex *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu Paulini, qui eſt in Surio: extant in lectionario* M.S. *Fuit in ciuitate Parochialis ſub titulo ſancti Ambroſij, nunc vnita Parochiali SS. Philippi, & Iacobi.* Sauini Epiſcopi, & mart. *Martyrologium noſtrum, Kalendarium ſecundum.* In *Kalendario primo, & quarto notatur die* 8. *In* Martyrologio *Romano die* 20. *quo etiam die apud Surium acta, è quibus*

*bus ſunt in officio tres lectiones.*

8 6 Conceptio Beatæ Mariæ Virg. duplex, & ſolemne. *Martyrologium* R*omanum, & Kalendaria. In officio lectiones ex Anſelmo. Sub titulo Conceptionis eſt in Ciuitate Eccleſia Cœleſtinorum, & Cappella cum Collegio puellarum.*

9 5 Idus. Cypriani Abbatis. M*artyrologia. In noſtris nihil.*

10 4 Idus. Eulaliæ virg. & mart. & Melchiadis Papæ, & mart. De *Eulalia Martyrologia, & Kalendaria. In Breuiario lectiones, quæ concordant lectionario M. S. & hymno* P*rudentij. De Melchiade* M*artyrologium* R*omanum, &* M*artyrologium noſtrum. In Kalendario nihil, nec in officio.*

11 3 Idus. Damaſi Papæ, & confeſſ. *Martyrologia, & Kalendarium quartum. Sed tertio additum nomen. In officio lectiones ex Anaſtaſio.*

12 2 Idus. Hermogenis, Donati, & aliorum xx. mart. *Martyrologia; In Kalend. & officio nihil.*

13 Idus. Luciæ virg. & mart. ſemiduplex, Euſtaſij, & ſoc. mart. *De Lucia Martyrologia, &* Kalendaria. *In officio lectiones ex textu* Cum per vniuerſam Prouinciam, &c. *refert* Surius. *Extitit in terra Lanei Eccleſia cum Pago ſancta Lucia, nunc campeſtris, annexa Eccleſia Sauignani: extat altera in Pago* Sorbello *Sueſſani territorij. Vbi nunc eſt Eccleſia* S*anctiſſima Annunciata, ſuit* C*appella ſanctæ Luciæ, & ideo in ipſa Eccleſia Annunciatæ Feſtum ſanctæ Luciæ ſolemniter celebratur.* De *Euſtaſio, & ſoc.* M*artyrologia, & kalendarium primum, & ſecundum. In tertio agitur die* 15. *& ita quoque in quarto. In officio lectiones ex textu* Imperantibus Diocletiano, & Maximiano, vniuerſitas Romani Imperii. E*aſdem habemus in lectionario* M. S. *& non diſcrepant à poſitis in* S*urio.*

14 19 Kalend. Ian. Agnelli Abbatis ſemidup. *Marty-*

Cccc *rologia*

Digitized by Google

*tyrologia,& Kalendaria 2.3.4. In officio lectiones ex vita, & conſonāt lectionario M.S. Fuit propè Capuam nō longè à flumine,* Eccleſia *ſancti Agnelli tempore II.* Richardi Principis, *& intra* Capuam *vbi nunc ciſterna ſancti Eligij, cappella cum ſepultura pro occiſis. Fuit pagus, & Eccleſia ſancti Agnelli in terra Lanei anno 1441.*

15 18 Kalend. Valerini Epiſcopi, & confeſſ. *Martyrologia, & Kalendarium tertium. In quarto additum die 16. In officio nihil.*

16 17 Kalen. Ananiæ, & ſoc. eius. *Martyrologium Roman. In noſtris tantùm additum nomen Kalendario tertio.*

17 16 kalen. Lazari Epiſcopi, & mart. quem Dominus reſuſcitauit. Martyrologia: *Kalendario tertio, & quarto additum nomen. Habemus Eccleſiam extra muros, in qua eſt hoſpitale leproſorum. Fuit aliquando illa Eccleſia caput militiæ regularis, dictæ de ſancto Lazaro. Fundauit eam Lazarus Raymo ann. 1228. vt ſcribunt qui* Neapolitanum *Archyuum euoluerunt. Familiam Raymam fuiſſe nobilem, &* Capuanam *teſtātur Kalendaria mortuorum, & præſertim Kalendarium, quod eſt in monaſterio Monialium ſanctæ Mariæ. Nos autem in Theſauro legimus inſtrumentum ann. 1226. in quo nominatur* Frater Angelus magiſter domus infirmorum Eccleſiæ ſancti Lazari, quæ eſt foris, &c.

18 15 kalen. Gratiani Epiſcopi, & confeſſ. & Moyſetis mart. *Martyrologia. In Kalendarijs, & in officio nihil.*

19 14 Hemeſij mart. *Martyrologia, & kalendarium tertium. In officio nihil. Sed Nemeſius ſcribi debet.*

20 13 Kalend. Ammonij, & ſociorum eius. *Martyrologia Amon, & Amonius ſcribitur. In* Kalendarijs, *& officio nihil* vigilia.

21 12 Kalend. Thomæ Apoſtoli dupl. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones excerptæ ex Abdiæ lib. 9. In ciuitate extat Eccleſia ſancti Thomæ* Parochialis, *antiquitùs*

quitùs propinqua muris, nunc aliquantum longè.

22 11 Kalend. Triginta mart. *Martyrologia tantùm.*

23 10 Kalend. Victoriæ virg. mart. & Gregorij presbyteri, & mart. *De Victoria Martyrologia tantùm.* De *Gregorio* Martyrolog. *& Kalendarium ſecundum, tertium, quartum. In primo notatur die 22.* Martyrologium Romanum *agit de eo die ſequenti. In officio lectiones ex textu, quem habemus in M. S. & apud Surium expolito ſtylo.*

24 9 Kalen. Vigilia Natiuitatis Domini. *Martyrologia, & Kalendaria.*

25 8 Kalend. Natiuitas Domini noſtri Ieſu Chriſti duplex & ſolemne maius, & Eugeniæ Virg. & mart. & Anaſtaſiæ virg. & mart. De *Sanctiſſima* Natiuitate *Martyrologia, &* Kalendaria. *De Eugenia* Martyrologia: *& Kalendario quarto additum nomen.* De *Anaſtaſia* Martyrologia, *& Kalendaria. Extat* Eccleſia *campeſtris, quæ anno* 1181. *dabat nomen pago in Terra Lanei.*

26 7 Kalend. Stephani Protomart. duplex, & ſolemne maius. M*artyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex ſcriptura, ex ſermone, ex Homilia. Fuit olim Eccleſia ſancti Stephani in villa Caua extat titulus etiam ſancti Stephani in Capua veteri; & habet opulentum beneficium.*

27 6 Kalend. Ioannis Apoſtoli, & Euangeliſtæ duplex & ſolemne maius. M*artyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu, quo vſus eſt Natalis: & eaſdem habemus in lectionario* M. S. Eccleſia *ſancti Ioannis ad Gaianum fuit* Eccleſia *ſancti Ioannis* Euangeliſtæ, *hac enim ipſa die ad illam, etſi campeſtrem, concurrebant fideles è circumuicinis pagis.* Eccleſia *quoque ſancti Ioannis monialium poſt annos centum, & quinquaginta circiter à prima fundatione, titulo ſancti Ioannis Baptiſtæ addidit titulum Euangeliſtæ.*

28 5 Kalend. Innocentum ſem dupl. M*artyrologia, &*

Cccc 2 Kalen.

Digitized by Google

*Kalendaria. Antiquitus in Eccleſia Capuana erat chorus clericorum puerorum; & ab illis hac die peragebatur ſolemnitas officij; ſicut die ſancti Ioannis peragebatur à preſbyteris, & die ſancti Stephani à Diaconibus, & in Natiuitate* Domi*ni à ſubdiaconibus.*

29 4 Kalend. Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi, & mart. *Martyrologium Romanum, & Kalendaria 2.3. & 4 In officio lectiones, quas etiã habemus in lectionario M.S.*

30 3 Kalend. Manſueti mart. & cum alijs X. M*artyrologium Romanum Kalendario tertio, & quarto additum nomen.*

31 2 Kalan. Silueſtri Papæ, & confeſſ. ſemidup. *Martyrologia, & Kalendaria. In officio lectiones ex textu, qui in lectionario M.S. adſcribitur Euſebio Cæſarienſi.*

## Nomina Sanctorum ex diuerſis monumentis.

S. Anatolia. *Extabat Eccleſia in* Mo*ntanino paruo ann. 1304. ex inſtrumento Theſauri: eſt autem Montaninum paruũ, locus, quem hodie dicimus* Mo*ntaninum, ideſt planitiem illam ſupra Gaianum. Erat* Mo*ntaninum magnum ſummitas montis. Cæterùm Anatolia eſt illuſtris martyr ſub* Decio *Imperatore apud lacum Velinum, de qua Martyrologium Romanum, & Beda, & alij die nono Iulij, & Surius habet acta.*

Artimas. *Extat Imago in muſiuo ſancti* Pri*ſci. Fuit martyr* Puteolanus, *adoleſcens à magiſtro ſcholæ delatus, & condiſcipulorum ſtylis occiſus. Acta manuſcripta legi apud Chioccarellum Neapoli, quæ, breuibus comprehenſa, refert Capacius in* Puteolana *hiſtoria.*

Benno Epiſcopus Miſnæ in Germania. *Eius imago intra Cathedralem in pariete, qui eſt inter* Cappellã Dominorum *de Marcheſijs, &* Cappellã Dominorum *de Vitellis.*

Digitized by Google

*De hoc agit Martyrologium Romanum die* 16. *Iunij, qui fuit canonizatus anno* 1523.

Cliricus. *Huius nomen, & Imaginem bis, & ter, neq; ſolus, aſpexi in Eccleſia ſancti Auguſti propè ſanctum Priſcum,* Erat *Imago paruula inter duas feneſtellas: præferebat manu coronam, habitus dignoſci non poterat: igitur ex corona martyrem appellabo.*

Canio. *Extat Imago in muſiuo ſancti* Priſci, *& illa (ſicut aliæ) coronam geſtat manibus. Igitur credo eſſe* Canionem *alterum à* Canione *ſocio ſancti Priſci Iunioris: nempè Canionem Epiſcopum in Cartagine coronatum martyrio, de quo ſunt lectiones in C.M.* S.Ioannis *monialium.*

Deſiderius. I*mago in muſiuo ſancti* Priſci. *Fuit vnus ex ſocijs ſancti* I*anuarij Epiſcopi Beneuentani, nunc* Patroni *Neapolis.*

Eraſmus. *Epiſcopus, & Martyr, notiſſimus apud Formias in Campania, habet titulum in Cappella Turris propè cryptas, & erat ibi eiuſdem nuncupationis villa: habuit Eccleſiã in partibus Arnonis, & in Diœceſi Caluenſi, Theanenſi ſubditas Archiepiſcopo, vt ex* Bulla *Alexandri ann.* 1173.

S.Eſimus. I*mago in muſiuo ſancti Priſci. Credam eſſe martyrem in Campania. de quo (vt accepi) eſt mentio in Breuiario Salernitano.*

Eutiches. I*mago in eodem muſiuo: eſt martyr* Puteolanus *ex ſocijs S.Ianuarij.*

Flauianus. *Extitit Eccleſia in territorio Cancielli ann.* 1173. *Apud Breuiarium Capuanum in officio ſanctæ Bibianæ eſt mentio de ſancto Flauiano, illius Virginis* Patre; *nempè die* 2. *Decembris: de ipſo autem Flauiano* Martyrologium Romanum *agit die* 22. *Septembris.*

Feſtus. *Imago in muſiuo iam dicto, & hic etiam vnus ex ſocijs ſancti Ianuarij.*

Helena

Digitized by Google

Helena. *Eccleſia in Diœceſi Theanenſi ſubdita Archiepiſcopo* Capuano. *Credam Helenam matrem Conſtantini Magni, de qua Martyrologium Romanum die* 18. *Auguſti.*

Helias. *Eccleſia ſancti Heliæ in loco* Bauzani, *Diœceſis Theanenſis, ſubdita Archiepiſcopo* Capuano. *Credam eſſe Heliam* Prophetam *in monte Carmelo, de quo Martyrologium* Romanum *die* 20. *Iulij.*

Hippolitus. *Imago in muſiuo ſancti Priſci. Credo eſſe presbyterum Antiochenum martyrem in Italia apud Abellinum, de quo Ferrarius in* Catalogo 11. *Februarij.*

Iuſta. *Extitit Eccleſia in territorio Kalinuli, & in villa limata eſt illa, de qua monimenta Eccleſia Forconenſis, ſeù Aquilana. De ea Ferrarius in* Catalogo *kalendis Auguſti.*

S.Marcius. *Eccleſia in monte Marſico, ſeù dixerimus in Rocca montis* Draconis: *Martius videtur dici inſupra relato priuilegio Alexandri* Papæ: *is eſt* Marcius *ſolitarius, de quo* S.Greg.Dial.*lib.*3.*cap.*16.*&* Martyrologiū Romanum 24. *Octobris: à Calenenſibus dicitur* Martinus, *vt etiam legitur aliàs in* Codicibus *ſancti Gregorij; ergo* Marcius *eſt de quo ſub nomine ſancti* Martini *agitur in vita ſancti Bernardi Epiſc.* Calenenſis.

Maximiliana. *Extitit Eccleſia circa Grazzaniſium; nunc verò eſt altare cum beneficio ſimplici intra Eccleſiam Grazzaniſij; Hæc (vt aiunt) eremiticam duxit vitam.* Ego *verò quia narrationem acceptam reputo ſabuloſam, idcircò dubito. An ſancti Maximiliani, vel ſancti* Maximiani *corruptum ſit nomen, vt Papia pro ſancto Aldo confeſſore* S. *Abdam mulierem cultam refert Ferrarius in* Catalogo *die* 10. *Ianuar. & apud nos Eccleſia ſancti Auguſti,* S. *Auguſta nuncupari cœperat, quem errorem in Taſſa Seminarij emendari curauimus. An quemadmodum habemus in* Ciuitate *Eccleſiam ſancti Andreæ ad* Maximilianam, *fuerit Eccleſia alicuius Sancti, vel Sanctæ dicta ad Maximilianam, &*

*deinde*

Digitized by Google

*deinde antiquato nomine Sancti, vel Sanctæ, retentus ſit Titulus Maximilianæ?*

Seuerina. *Extitit Eccleſia circa Caſtellum ad mare. De Seuerina vxore Aureliani Imperatoris, meminit Ferrarius in Catalogo die 3. Maij ex Martyrologio Caniſij.*

Siricius. *Erat Imago in Eccleſia sancti Priſci in habitu Diaconali: Ceterùm in Martyrologio noſtro M. S. eſt nomen Sirici 6. Kalen. Maij, & 3. Non. Septembris.*

Xiſtus. *Imago in muſiuo sancti Priſci. Credam eſſe diſcipulum sancti Petri, de quo Martyrologium Romanum Kalend. Septembris, & nos in vita sancti Priſci ſupra in prima parte.*

## Bulla conſecrationis ſancti Stephani Epiſcopi Caiacenſis ex monumentis illius Eccleſiæ.

GErbertus (A) ſanctæ Capuanæ Sedis, gratia Dei Archiepiſcopus, fidelibus omnibus ortodoxis, clero, ordini; & plebi conſiſtenti Caiaciæ Eccleſiæ per Apoſtolicam inſtitutionem noſtro Archiepiſcopatui ſubiectæ, dilectiſsimis filijs in Domino ſalutem (B) Probabilibus deſiderijs nihil attulimus tarditatis: Fratrem iam, & Coepiſcopum noſtrum Stephanum vobis ordinauimus ſacerdotem: cui dedimus in mandatis, nè vnquam ordinationem præſumat illicitam, nè bigamum, aut qui virgine non eſt ſociatus vxore, neque illiteratum, vel in qualibet parte corporis vitiatum, aut expœnitentem, vel Curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, notatumq; ad ſacrum ordinẽ permittat accedere, etſi quos huiuſmodi fortè reppererit, non audeat promouere. Afros (C) paſsim ad Eccleſiaſticos ordines prætendentes, nulla ratione ſuſcipiat: quia aliqui eorum Manichei, aliqui rebaptizati ſæpius sũt probati. Miniſterio, atque ornatu Eccleſiæ, vel quidquid illud

A
B
C

Digitized by Google

illud eſt in patrimonio eiuſdem, non minuere audeat, ſed augere. Inſuper conceſsimus ei Diœceſim per has fines ab ipſo ribo, qui eſt iuxta Pretamala, & quomodo continet ipſe totus Caiaciæ Comitatus, cum iſtis Eccleſijs, quæ hic ſubtus declaramus, hoc eſt, in Balunianu Eccleſia ſancti Nazarij, & Eccleſia ſancti Vitaliani: & ſancti Coſmas in Viuaru: & ſanctus Terentianus ad Sorba: ſanctus Petrus ad Pile: ſanctus Petrus: ſanctus Angelus ad Palma: ſanctus Fœlix, & ſancta Maria in Malianu: ſanctus Donatus in Ceperano: ſanctus Petrus in Palude: ſancta Maria, & ſanctus Ianuarius in Marcianiſu: ſanctus Victor in Perſoli: ſanctus Nazarius in Criſpianiſi: ſancta Maria: & ſanctus Fœlix in Peti: ſanctus Petrus ad Saſſa: ſanctus Petrus, & ſanctus Priſcus in Mairanu: ſanctus Ioannes, & ſanctus Secundinus in Treple: ſanctus Laurentius, & ſancta Maria, & ſanctus Mattheus in Puzanu: ſanctus Rufus in Ceſeránu: ſancta Maria in Vulanu: ſanctus Petrus, & ſanctus Laurentius in Liczanu: ſanctus Angelus, & ſanctus Fœlix, & ſanctus Ioannes in Campanianu: ſanctus Petrus: ſanctus Vitus: ſanctus Coſmas in Rainanu: ſanctus Ioannes: ſancta Maria cum ſancto Angelo: ſanctus Fœlix: ſanctus Nicander in Predi Caiaciæ: ſanctus Angelus, & ſanctus Saluator, & ſanctus Vitalianus in Campora longa: ſanctus Maurus in Aluinianu: ſanctus Angelus in Auxilio: ſanctus Vitus in Bage: ſanctus Andreas, & ſanctus Petrus, & ſanctus Vicentius, & ſanctus Andreas, & ſanctus Ceſarius in Traguni: ſancta Maria, & ſanctus Priſcus ad Cuultere: ſanctus Laurentius ad Atina, & ſanctus Sebaſtianus in Squille, & ſanctus Secundinus in Raianu, & ſancta Maria ad Baniolo, & ſanctns Angelus in Poſcari: cum omnibus Eccleſijs, & terris ad ipſas Eccleſias pertinentes, quæ inter has fines ſunt, quæ modo habere, & poſsidere videntur, & in antea pro parte ipſarum Eccleſiarum acquirere potueris,

tueris, & cum presbyteris, & cum omnibus Eccleſiaſticis
ordinibus ad prædictam veſtram Diœceſim pertinenti- G
bus; excepto; quod non damus vobis cuncta territoria
in Caſa Marcella, & Eccleſias, quæ ibidem ſunt: & he-
reditatem filiorum Andreæ balneatoris, ideſt Perundo,
& Leo, & filijs Vrſoli, quæ fuerunt, & pertinuerunt H
iam dictæ ſanctæ Mariæ à Peti, per has ſubtus declaratas
fines: prima petia vbi ipſi ſedent, vno latu via antiquã,
a iu latu terra Rodoaldiſi, vñ capu via publica, aliu capu
in Serra de Monte: ſecunda petia ibi propinquo, vñ latu
terra nominatæ ſanctæ Mariæ,& ipſo ribo;& aliu latu ter-
ra Beneruſi cum ipſo interſicu noſtro: vñ capu via publi-
ca, aliu capo Deodedi Presbyteri, ipſe predictus interſi-
cus noſter, vñ latu via publica, aliu latu terra Beneruſi, &
de fratris eius, vñ capu terra Deodedi presbyteri: Tertia
petia in Iuuenelli, vñ latu terra Andreæ cum ipſo interſi I
cu noſtro, aliu latu terra Paldolfi, quæ fuerunt Summi,
vñ capu in Silice, aliu capu in ribo: Quarta petia ibiq; vñ
latu terra Paldolfi, quæ fuit Summi,aliu latu via, qui de-
cernit ipſa Caua,vñ capu in Silice,aliu capu in ribo: Quin-
ta petia ibiq; vñ latu iam fatæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ,
aliu latu Eccleſia Cici,& Muſi,vñ capu in Silice,aliu capu
terra Landolfi,& Cici fratris eius,ipſe fundus propè pre-
dicta ſancta Maria amba latera ipſius Eccleſiæ ſanctæ Ma-
riæ, vñ capu in Ribo, aliu capu terra, quæ fuit Leopardi.
Sexta petia propè ſancto Angelo ad palma, vñ latu eſt
terra Summi, & aliu lupi clerici, aliu latu terra Landolfi
Comitis, vñ capu in via, aliu capu terra ſupranominatã
ſancta Maria. Septima petia à Centuru,vñ latu terra Mar-
tini Turellæ, aliu latu terra Adifulole, vñ capu in ribo,
qui dicitur lata,aliu capu in via publica. Octaua petia,quæ
dicitur ad Argellaru, vñ latu in monte, aliu latu in ribo,
qui temporaliter habet aqua, vñ capu terra Landulfi Co-



Digitized by Google

mitis, aliu via antiqua: Nona petia ad Caſtanetum, vñ latu terra Audoaldi, & Monte, aliu latu terra filij Geremundi, vñ capu via publica, aliu capu terra Sabini Clerici, & fratris eius: Decima petia iuxta Eccleſiam ſupranominatam ſancta Maria, vñ latu terra Andreæ, aliu latu terra Landulfi, & Audoaldi, vñ capu in Silice, aliu capu in monte. Tali itaque ordine, & ratione, vt ſubidentur Archiepiſcopatus,
D aut noſtræ (D) Abbatiæ, vel qualiſcunque ſeruus noſtri Archiepiſcopatus, hæreditates habuerint, aut in antea: parare potuerint, ſiue per cauſationem acquiſierint, noſtri, noſtrorumq; ſucceſſorum ſint in poteſtate; at non dedimus vobis, veſtriſq; ſucceſſoribus Eccleſiam ſancti Angeli in Melanico, quam in noſtra, noſtrorumq; ſucceſſorum poteſtate reſeruamus. De redditu verò Eccleſiæ, vel oblatione fidelium, quatuor faciat portiones, quarum vnam ſibi ipſe retineat, altera clericis pro filiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat, Tertia pauperibus, & peregrinis. Quarta Eccleſiaſticis fabricis reſeruandam, de quibus erit redditurus diuino iudicio rationem. Ordinationes verò Preſ-
E byterorũ, ſeù (E) Diaconorum non niſi primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſium ieiunijs, & ingreſſu quadrageſimali, atq; mediane, veſpere ſabbati nouerit celebrandas.
F Sacro autem Baptiſmi (F) Sacramentum non niſi in Paſchali Feſtiuitate, & Pentecoſten nouerit eſſe præbendum, exceptis his, qui morte vrgente periculo ne in æternum pereant, talibus oportet remedijs ſubuenire. Huic ergo ſedis noſtræ præcepta ſeruantes, deuotis animis obſequi vos oportet, vt inreprehenſibile, placidumq; fiat corpus Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum, qui viuit, & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Anno, Deo propitio, Archipiſcopatus Dõmi Gerberti Tertij Archiepiſcopi in ſacratiſsima ſede Beati Protomartyris

Digitized by Google

tyris Stephani, in ipſa die Kalend. Nouembris Indictione (G) octaba. G

Ego Aldericus, Calactinæ Eccleſiæ Epiſcopus, conſenſi, & ſubſcripſi.

Eeo Leo, Suranæ ſedis Epiſcopus, conſenſi.

Ego Bonus, Præsbyter (H) Cardinalis ſanctæ Capuanæ Eccleſiæ, me ſubſcripſi. H

Ego Ioannes Presbyter, ſanctæ Capuanæ Eccleſiæ Cardinalis, me ſubſcripſi.

Ego Auioaldus, Diaconus ſanctæ Capuanæ Eccleſiæ me ſubſcripſi.

Ego Petrus, Diaconus ſanctæ Capuanæ Eccleſiæ, me me ſubſcripſi.

Ego Toto, Subdiaconus me ſubſcripſi.

Ego Ioannes Subdiac. S. Capuanę ſedis, me ſubſcripſi. I

Datum per manum Ioannis Subdiac. noſtri (I) bibliotecharij in Kalend. iam dictis, per ſupraſcriptam Indictionem. Bene valete.

Gerbertus. *In relata Bulla manifeſtè legitur Gerbertum fuiſſe tertium Archiepiſcopum* Capuæ: *idem quoque docet* Chronicum Caſſinenſe. *Quidam ſcribit, oſſa Gerberti Archiepiſcopi Capuani ob eius ſanctitatis opinionem à Ludouico Imperatore in Galliam aſportata. citat ille Marinum Frezza: At ille fallitur: Marinus enim ab ipſo citatus non de Gerberti corpore, ſed ſancti Germani (ſtylo tamen perturbato, & obſcuro, loquitur.*

Probabilibus. *Gregorius Papa II. anno 723. vocauit Romam ſanctum Bonifacium, quem ante annos quatuor miſerat Apoſtolum in Germaniam, & conſecrauit Epiſcopum. De qua conſecratione ad* Carolum, *cognomento Martellum, literas dedit, & alteras ad vniuerſos Epiſcopos,* Clericos, *& Dominos ſeculares, necnon & ternas* Clero, *& plebi. Externis hiſce Gregorij literis Gerbertus literarum*



Digitized by Google

*ſuarum textum accepit, imò eiſdem omninò, totidemque verbis exſcripſit, conceſſa Diœceſis tantùm finibus interpoſitis à verbis illis* Inſuper conceſſimus, *ad illa* de redditu verò. E*adem ipſa formula vſus eſt Adenulfus Archiepiſcopus anno* 1032. *in confirmatione Benedicti Epiſcopi Sueſſani, vt infra. Imò hac formula videtur vſus fuiſſe S. Gregorium Magnum vt lib.2.ep.ij.*

C Afros paſſim. *Quia Saracenis occupantibus Africam Africani extorres ad noſtras oras ſeſe infuderant, ex ordinibus* Eccleſiaſticis *victum ſibi quærentes: cum detecti fuiſſent eſſe Manicheos, vel Donatiſtas, vniuerſali lege vetitum eſt, nè Africanus aliquo modo à quopiam Epiſcopo ordinaretur. Bar. ibid.*

D Abbatiæ. *Diximus Abbatiam, ideſt* Re*ctoriam Eccleſiæ ſanctæ Mariæ à Peti in loco trans flumen fuiſſe vnitam Archiepiſcopali menſæ, & terras illius Eccleſiæ fuiſſe addictas Archiepiſcopo.* Pr*æter hanc Bullam* Gerberti *habemus in monaſterio ſancti Ioannis* Decretum, *à Iudice pronunciatum in cauſa inter Archiepiſcopum Athenulphum Gerberti ſucceſſorem, & monaſterium agitata, de quadam terra, quam Archiepiſcopus aſſerebat eſſe ſanctæ Mariæ à Peti, & ad Archiepiſcopatum pertinere. Inter cætera ſunt hæc verba:* Pars nominati monaſterij puellarum ſancti Ioannis abeat, & poſſideat ſupradictu campu, qualitèr nominata cartula cambiationis continet abſque omni contrarietate nominati Archiepiſcopatui, & de pars nominatæ Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & de illorum rectoribus. *In eodem decreto fit mentio de Ioanne Subdiacono bibliotechario, atque etiam Primicerio, de Audoaldo Archidiacono. De* Perundo, *& Leo balneatoribus, & famulis Archiepiſcopatus ſententia lata fuit pro monaſterio anno, vt ipſe computo, ab Incarnatione* 898.

E Diaconorum. *Hic non fit mentio de ordinatione ſubdia-*

Digitized by Google

*conorum*

conorum quia tempore ſancti Stephani, ideſt ann. 978. ſubdiaconatus ſacris ordinibus non erat annumeratus: Si quidem, vt ſacer eſſet in Synodo Beneuentana conſtitutum fuit vel ab Vrbano II. vel ab eius deceſſore Victore III. nempè vel anno 1087. vel 1091. at eſto fuerit conſtitutio Vrbani primi; nihilominus tamen vſque ad Alexandrum III. qui Pontificatum accepit anno 1159. Subdiaconi extra ieiuniorum tempora promoueri conſueuerant. Legatur notatio ad ſexageſimam Decreti diſtinctionem: & tertia Decretalis ſub titulo de temporibus ordinationum: & nona, ſub titulo de ætate, & qualitate ordinandorum.

Sacrum Baptiſmi Sacramentum. Extra Sabbatum Paſchatis, & Pentecoſtes, ne adminiſtraretur, antiqui Patres conſtitutionibus inculcabant: habemus decreta Siricij, Leonis, & Gelaſij apud Gratianum de conſecratione diſtin. 4. idem (vt diximus) eſt in epiſtola Gregorij II. Et in hac vrbe noſtra Capua huiuſmodi morem obſeruatum eſſe ad annum 1088. inuenimus in fragmento ſcripturarum monaſterij ſanctæ Mariæ Monialium: illo ſiquidem anno, adueniente Sabbato Sancto, Robertus Archiepiſcopus pro maioris Eccleſiæ dignitate conſeruanda, prohibuit in Parochijs, & in monaſterijs conferri baptiſmum, imo olea benedicta petentibus negauit. F

Indictione 8. Menſis Nouember cum Indictione 8. currebat cū anno ab Incarnatione 979. Annus quidem ab Incarnatione 979. ingreſſus die Martij 25. currēte Indictione 7 Deinde aduenīēte Septembris vigeſimo quinto die completa indictione ſeptima, ingreſſa eſt octaua; annus tamen 979. curſum continuabat ſuum: & iterum adueniente die Martij 25. nouus annus eſt ingreſſus 980. manente tamen vſque ad Septembris 25. indictione ipſa octaua: ſed quia annus Incarnationis 979 eſt Natiuitatis 978. ideo conſequitur conſecrationem ſancti Stephani contigiſſe anno à Natiuita- G

Vide delē- da, & dele vt ibi.

te

*te 978. ab Incarnatione 979. menſe* Nouembri: *& quia ante conſecrationem annos 44. vixit, ideo dicimus natum eſſe anno à* Natiuitate *934. ſeu ab Incarnatione 935. & quia in Epiſcopatu annos totidem, id eſt 44. vixit, ideò dicimus obijſſe anno Natiuitatis 1022. ab Incarnatione 1023. Octobris 29.*

H Cardinalia. *Olim pluribus in Eccleſijs erant Canonici, dicti Cardinales, vt in Rauennate, Aquileienſi, Mediolanenſi, Beneuentana, & Piſana.* Dicebantur *autem Cardinales, id eſt Primarij, & Principales: imò paſſim in Eccleſijs fuiſſe clericos nuncupatos Cardinales, docet Decretalis* Papæ *Leonis ſub titulo de officio Archipresbyteri: & inde apparet Archipresbyterum cenſeri Cardinalibus illis maiorem eſſe: docet etiam* Papa *Silueſtri* Decretum *2 q.4. cap. 2. & vſus loquendi communis: communiter enim dicimus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & nonniſi ad differentiam Cardinalium inferiorum Eccleſiarum. Vocabantur Cardinales Canonici, Presbyteri,* Diaconi, *Clerici, vel quia Canonicis, Presbyteris,* Diaconis, *Clericis eiuſdem Eccleſiæ digniores erant: vel quia principalibus, & inſignioribus Eccleſijs erant addicti. De his fuſè* Pater *Azorius par. 2. lib 4. & cum hæc ita ſe habeant, cur Presbyteri Eccleſiæ Capuanæ Cardinales appellabantur? profectò Eccleſia Capuana habuit antiquitus ſex Presbyteros, & omnes appellatos eſſe Cardinales ex eo conſtat, quia nullum vnquam diſcrimen inter illos ſex fuiſſe nec aliqua ſcriptura, nec vlla traditione apparuit: quare non appellabantur Cardinales tanquam presbyteris alijs eiuſdem Eccleſiæ digniores, erant enim tantum ſex: oportuit igitur ſic appellari, quia presbyteris alijs eiuſdem Ciuitatis antecellebant: habebant (ſicut habent) ſingulæ Eccleſiæ ſuos presbyteros, qui Sacramenta Parochianis adminiſtrabant: & ita quoque cum Eccleſia maior parochiam ſuam haberet; habebat & ipſa presbyteros qui curam ani-*

*marum*

Digitized by Google

*mar um exercerent, & hi dicebantur presbyteri Cardinales. Sed inquies, vnde conſtat maiorem Eccleſiam habuiſſe aliquando Parochiam? plane in quodam antiquo M. S. ordinario totius anni legi de Sacriſtis hæc verba:* Vocati de nocte pro aliqua neceſſaria cauſa parochianorum, ſurgant incontinenti, et ſi neceſsè fuerit, quòd vocent aliquem Sacerdotem, vocent ipſum, & eumdem Sacerdotem aſſocient tam in eundo, quam etiam in redeundo. *Et paſſim in inſtrumentis antiquis Theſauri inuenimus nominatam Parochiam ſancti Stephani pro ipſo Epiſcopio.*

Bibliotecharij. *Officium bibliotecharij erat in cuſtodiendo libros omnes Eccleſiæ, nempè Miſſalia, Breuiaria, Lectionalia, Codices Sacræ ſcripturæ. Antiquitus enim cum omnes libri non ſine magna impenſa manu ſcriberentur, ſpeciali cuſtodia opus habebant: eiuſdem quoq; officium erat in ſcribendo, vel in curando ſcribi diplomata, & literas vel Archiepiſcopi, vel Capituli. Et qui dicebatur Bibliothecarius, deinde dictus eſt Cancellarius: Ecce in Bulla Gerberti verba illa.* Datum per manum Ioannis ſubdiaconi, noſtri Bibliotecharij: *& in diplomate Sennetis dato Gemmæ Abbatiſſæ S. Ioannis ann. 1116.* Ex iuſsione præſcripti Domini Petri Diaconi, & Cancellarij ſcripſi, Ego Lando Eccleſiæ ſancti Stephani Subdiaconus. *Et in M. S. ordinario, modo citato, de Sacriſtis ita legitur:* Item quòd ſi Dominus Cancellarius voluerit, & ſibi placuerit, vt liber, in quo leguntur lectiones quotidie, cuſtodiatur ibidem. *Et Cancellarius dicebatur habere Perſonatum poſt Primicerios, vt ex eodem M. S. in cap. decimo de Sacriſtis manifeſtè elucet. Sed heu vbi nunc bibliotecharius? vbi Cancellarius? vbi Perſonatus? Vidimus hac noſtra ætate quæ vidimus.*

*Cum huic Bullæ ſubſcribat Epiſcopus Eccleſiæ Calactinæ, Epiſcopus Eccleſiæ SVRANAE, alter Aldericus, & alter Leo nuncupatus: dubitatum eſt inter amicos, quænam ſit*

*Eccle-*

Digitized by Google

*Eccleſia Calactina, quæue Surana? non defuerunt, qui intellexerunt Eccleſiam Calactinam eſſe Eccleſiam Caiacenſem, quaſi à Calatia, quod eſt nomen antiquum Ciuitatis, Calactinus deriuetur. Hi certè falluntur: nam tempore ſancti Stephani Ciuitas dicebatur Caiacia, & deriuat nomen Caiaccianus, ſeù Caiacenſis: etſi Sanctus Stephanus conſe-*
H *cratur Epiſcopus Caiaciæ, quomodo poteſt eſſe viuus alter eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus? Imò ſi ſanctus Stephanus ſucceſſit Vrſoni Epiſcopo Caiacciano, vt habet Breuiarium noſtrum, quomodo poteſt fingi alter Epiſcopus eiuſdem Ciuitatis illo ipſo tempore? Imò ſi fuiſſet Epiſcopus, qui viuens, renunciaſſet Epiſcopatui Caiacciano, ille quidem cum renunciaſſet loco, etſi non dignitati, potuiſſet quidem dici Epiſcopus; at dici Epiſcopus Calactinus, ideſt Caiaccianus nullo modo. Legimus in Ptolomeo Calactam in Sicilia, & à Calacta Calactinus in Priſciano: an ergo Epiſcopus Calactæ illo tempore, caſu apud Capuam morabatur? Ego libenter credam iuxta illorum temporum barbaram latinitatem à Cale deductum eſſe Calectinum, ſeu Calactinum: Cales autem eſt Ciuitas Caluorum, ideoq; Epiſcopus Calactinus eſt qui dicitur hodie Epiſcopus Caluenſis. Iuxta eandem barbaram latinitatem cum litera o, in v. tranſeat, vt pro ſorores, ſurures, fit pronunciatio: non dubito Eccleſiam Suranam eſſe Soranam, ideſt Eccleſiam in Ciuitate Sora. Auctographum Bullæ in Eccleſia Calatina conſeruatur: Illud Fr. Philippus de Benedicto de Sio Cauenſis, Reuerendiſſimus Calatinus Epiſcopus meo nomine petitum, mihi pro ſua humanitate legendum, & exſcribendum Capuam vſque miſit: attentè legi, diligenter exſcripſi, cum gratiarum actione remiſi.*



Digitized by Google

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Triceſimo-ſecundo anno principatus Domini Pandolfi, & viceſimo nono anno (A) principatus Domini Paldolfi filio eius glorioſis Principibus, ac primo anno principatus Domini Landolfi filij eiuſdem Domini Paldolfi, & nepos ſuperiùs dicti Domini Pandolfi magni, & excellentiſsimi Principis, menſis Octuber primæ Indict. Nos Adenulfus diuina gratia humilis Antiſtes Sanctorum Protomartyris Stephani . . . . . . . . . . . Sanctæ Capuanæ Eccleſiæ. Omnibus Fidelibus Sanctæ Dei Eccleſiæ cognoſcere cupimus. Quoniam conſecrauimus Præſulem Garardum venerandum virum in Eccleſia Sancti Petri Apoſtoli, quæ conſtructa eſſe videtur in ciuitate, & Comitatu qui dicitur Iſernienſis, quæ ſubiecta eſſe videtur iam fato noſtro Archiepiſcopatui: in qua Eccleſia multis temporibus deſtituta eſſe videtur à ſuo Paſtore. Vnde nunc pro precatu Sacerdotum, ſeu Leuitarum, ac clericorum eiuſdem Eccleſiæ ſancti Petri Apoſtoli conſecrauimus eorum iam dictum Garardum confratrem noſtrum gubernandi, ac regendi prædictam Eccleſiam cum omnibus ſuis Eccleſijs, ſiue monaſterijs infra eodem Comitatu Iſernienſis, & Comitatu Venafranu (B) & infra Comitatu (C) Buianenſis, & in tota terra pertinentes monaſterij ſancti Vincentij: ſic concedimus vobis omnes Eccleſias, quæ conſtructæ ſunt, in prædictis Comitatibus per has fines. A ciuitate Iſernienſis vſque in Sangru: & quomodo coniungitur cum Comitatu Teruentinu: & qualiter vadit vſque in Biffernu: Intra has verò fines, & in dilationes per hoc noſtrum roboremus præceptum concedimus tibi, qui ſupra Garardum venerandum Epiſcopo confratri noſtro integra ipſa Eccleſia ſancti Petri Apoſtoli, quæ eſt caput ipſius tui Epiſcopatui vna cum ipſa indicata diœceſim, & cum omnibus Eccleſijs, & Monaſterijs ibidem modo haben-

A

*Virginis, ac Martyris Agathæ.*

B C

Digitized by Google

tibus, vel quod adhuc in antea conſtrui debentur pro tua auctoritate quouſq; vixeris, ita vt per hoc noſtri priuilegij præceptum, ſit tibi conceſſum certis temporibus facere in eodem diœceſim ordinationem dierum ieiuniorum primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis, Sacerdotum, ac Leuitarum, ſiue reliquis ordinationibus Clericorum, ſiue conſecrare ibidem Eccleſias, vel altaria, ac reliquis omnibus officijs Eccleſiaſticis quidquid neceſſe habetur: & excommunicare Presbyteros pro certa, & approbata culpa: etiam Afros, nec Vigamos, neque Curialem non liceat ad ordinem Eccleſiaſticum præordinare, ſed ſemper prouideas qui ſunt illi, quos ordinare debetis in Eccleſiaſticum honorem: Et per hoc noſtri priuilegij præcepti poteſtate ſint vobis conceſſas omnes res veſtræ Eccleſiæ mobiles, vel immobiles, cultum, vel incultum ad tenendum, & dominandum omnibus diebus vitæ veſtræ, vt ſic illum regatis quaſi proprium veſtrum commendatum: Et vt poſt mortem vitam perennem accipiatis, ſi illud inrefragabiliter gubernetis. Conſilij verò ordinem tibi concedimus ad faciendum vna cum noſtro miſſo, vel auctoritate vna cum plebe Dei Chriſtiana de tua diœceſim ſemel in anno, ideſt aut poſt ſanctum Pentecoſten, aut in Octubri menſis quo tempore volueris ad exquirendas actiones fratribus quo illi egerint in ſanctis operibus, ſiue ne fortaſſe pullulet iniqua peſtis hæreticorum in Chriſtianis fratribus, vel eliminata omni ſpurcitia de eorum cordibus, iuſtè, & piè cum illis conuerſare. Iterum damus vobis in mandatis, vt omni tempore veniatis quando nobis neceſſum eſt peragere cauſa ordinis Eccleſiaſticis, & noſtrum Miſſum honorificè recipiatis, & ſine omni mora veniatis: & quiſcumq. nobiſcum conſentiens fuerit noſtris decretis huius noſtri priuilegij ſit benedictus à Deo, & habeat participationem cum Domino noſtro Ieſu Chriſto in cœleſtibus regnis. Amen.

Ex iuſſione autem prædicto ſancto Antiſtiti ſcripſi

Ego

Ego Ioa. Diaconus, & Scriba ipſius ſanctæ dictæ Eccleſiæ, & in ſacratiſſimo eius palatio: in annis viginti & ſex Archipreſulatui eius in menſe Octuber, & in ſupradicta Indic. Data in ſextodecimo Kal. Nouemb.

Ego Landulſus Archidiaconũ. Ego Io. Subd. & Primicer. D
conſenſi, & ſubſcripſi.

Ego Benecæuſus Leuita, & Primic. Ego Martinus Presb.

Ego Martius Presbyter. Ego Iacobus Archiſubdiac.

Ego Iaqu nius Epiſc. Io. Subdiac. conſenſi, & ſubſcripſi.

Ego Ioann. Diaconus Ego Ioan. Subdiac. Bene valete.
conſenſi, & ſubſcripſi.

## NOTATIONES.

*AVtographum huius priuilegij conſeruatur à Canonicis Iſernienſis Eccleſ. eius exemplum Domino Bartholomæo Chioccarello miſit Dominus Ioannes Vincentius Ciarlans ciuis, & Vicarius Iſernienſis, qui rebus patriæ ſuæ ſcribendis nunc incumbit.*

Anno. *Hoc diploma Epiſcopo Iſernienſi datum eſt eodem prorſus anno, quo datum eſt alterum Epiſcopo Sueſſano. ſeptem menſibus tantùm differt vnum ab altero: hoc enim Iſernienſi datum eſt menſe Octobri, illud Sueſſano menſe Martio. vtrumq. vero anno 1032. lege notationem ad ipſam Epiſc Sueſſani bullam, quæ cum in noſtras manus prior venerit, prior fuit impreſſa.* A

Venafranu. *Hinc ſatis apertè colligitur Epiſcopatum Venafranum aliquando fuiſſe vnitũ Iſernienſi: vnio perſiſtebat etiam anno 1182. quo anno Lucius Papa Tertius priuilegio confirmauit Iſernienſi fines, & Eccleſias Epiſcopatus tam Iſernienſis, quam Venafrani. priuilegium ab Iſernienſi Capitulo conſeruatur, vt ab ipſo Domino Chioccarello accepi. Hinc apparet cur in noſtro priuilegio dato ab Alexandro Papa Lucij III. deceſſore ſub vnius Epiſcopatus nuncupatione Venafranus, & Iſernienſis recenſeantur. legitur ibi* Epiſcopatum Aquinatem Epiſcopatum Venafranum, & Iſernienſem, *ratio inquam ea eſt, quia hi duo Epiſcopatus erant vniti, & nunc ex eadem ab Alexandro Papa ſeruata in priuilegio loquendi forma, appareret illo tempore dati priuilegij Alfano Archiepiſcopo Epiſcopatus Theanenſem, Sueſſanum, & Calinenſem fuiſſe vnitos ibi enim legitur Epiſco-* B

patum Thean. Sueſſan. Calinenſem: Epiſcopatum Caluenſem, Epiſcopatum Caiacen. Epiſcop. Caſertanum. *Ecce cum ſingulæ aliæ Cathedrales Eccleſiæ ſingulari Epiſcopatus nuncupatione referautur; illæ tres illæ tantùm nũcupatione recenſentur, ſicut vna Iſerniẽſis, & Venafrana, quas certò cõſtat fuiſſe vnitas.*

C Buianenſis. *Hinc manifeſtè et patet Abbatiam S. Vincentij de Vulturno cum ſua Diœceſi, quæ nunc eſt exempta, & Epiſcopatum Bouianenſem, qui nunc pertinet ad Metropolim Beneuentanum, olim pertinuiſſe ad Capuanã Metropolitanã Eccleſiam.*

D Ego. *Huic deplomati ſcripto à Canonic. Diac. ſubſcribunt alij Canonici decẽ. Archidiaconus, Archiſubdiaconus: duo Primicerij, duo Presbyteri, vnus Epiſcop vnus Diacon. & duo Subdiaconi: ex horum ſubſcriptionibus plura deduci poſſunt notatu digna.*

*Et primò. Cum in Eccleſia Cathedrali Capuana fuerint olim quatuor Canonicorum ordines id eſt Presbyterorũ, Diaconorum, Subdiaconorum & Acolitorum, cumq; habuerint Acoliti ſuum Archiacolitum, Subdiaconi ſuum Archiſubdiaconum, Diaconi ſuum Archidiaconum, æquè fatendum eſt habuiſſe Presbyteros ſuum Archipresbyterum: porrò nomen Archiacoliti hodie durat, ſed ille cum Acolitis nullum neque in choro, neq; in capitulo ordinem facit, omnes enim ex libito & ſolo (vt aiunt nutu) poſſunt amoueri: nomen Archiſubdiaconi alibi non lectum, & prorſus inauditum: nomen & dignitas Archidiaconi viget: nomen Archipresbyteri hactenus à me nõ lectum, ſed re & dignitate fuiſſe Archipresbyterum, qui dictus eſt & dicitur Decanus, certò conſtat ex iure Canonico: nam diſ. 50. c in capite: & cap. Ad hæc de off. Archidi legitur Archipresbyteri, & Decani nomen ſignificare eandem dignitatem.*

*Deinde cum ſubſcribãt duo Primicerij videmus ab antiquiſs. tẽpore duos Primicerios extitiſſe in Cathedrali Capuana: At alter ſubſcribens appellat ſe Leuitam & Primicerium; alter appellat ſe Subdiaconum, & Primic. ita quoq; in inſtrumento S. Io. Moniaium, quod eſt ſcriptum anno 986. legitur* Iãnnes Subdiaconus, & Primicerius, atq; Bibliothecarius *Quid putabimus? fortaſſe illo antiquiſſimo tempore Primicerij non erant in ordine Presbyterorũ ſed alter in Diaconorũ, & alter in Subdiaconorũ ordine iuxta id quod ſcribitur in iure de off. Primicerij: vel fortaſſe vnus in eadem Eccleſ. duos etſi diuerſi ordinis Canonicatus obtinebat.*

*Poſtremò cum hic ſubſcribat Iaquintus Epiſ. etſi cuius Eccleſ. ſit Epiſc. non explicatur, tñ videre licet et illo antiquiſs. tempore conſueuiſſe Epiſcopos in Eccl. Capuana Canonicatus obtinere.*

*Bull. Epiſ Sueſ.*

Digitized by Google

## *Bulla Epiſcopi Sueſſani.*

IN nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Triceſimo ſecundo anno Principatus Domini Paldolfi,& viceſimo octauo Principatus Domini Paldolfi eius filij, glorioſis Principibus,& primo anno Principatus Domini (A) Landolfi . . . . . . . ac nepos ſuperiùs dicti Domini Paldolfi magni, & excellentiſsimi Principis, menſe Martio quintadecima Indictione (B) Adenulfus diuina fauente gratia humilis Archipræſul, clero, ordini, & plebi Ciuitatis Sueſſanæ Eccleſiæ dilectiſsimis filijs in Domino ſalutem (C) Probabilibus deſideriis nihil attulimus tarditatis, Fratrem iam, & Coepiſcopum noſtrum Benedictum vobis ordinauimus præſulem, cui dedimus in mandatis, ne vnquam ordinationes præſumat illicitas, nec bigamũ, aut qui Virginem non eſt ſortitus vxorem, neque inlitteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expenitentem, vel Curiæ, aut conditioni obnoxium, notatumq; ad ſacrum ordinem permittat accedere: ſed ſi quis huiuſmodi fortè repperit, non audeat promouere: Igitur quoniam, dilectiſsime frater Benedicte, ad Epiſcopatum prouehimus, concedimus,& confirmamus tibi, tuiſq; ſucceſſoribus Epiſcopatum Sueſſanum,& tuam ſedem, ſicuti iam conceſſum, & confirmatum eſt à noſtris anteceſſoribus, tuiſque deceſſoribus. In primis incipientibus à prima parte, Mare: à ſecunda parte, ab ipſo fluuio de Gariliano: de tertia parte riuo, qui dicitur Viuo, & quomodò aſcendit per locum, qui dicitur Caſtelluzzo ſarracinisco, & vadit per ſerra de monte, qui nominatur totellitu, qui decernit inter Comitatum Theanenſem, & Sueſſanum, & ſicut vadit directum in riuo, qui dicitur Pontefractus, & proindè exijt in Silice: de quarta vero parte, fine de Serra de Monte Marſico, & quomodo vadit in mare, qui decernit

Eeee

A
B
C

Digitized by Google

cernit inter Comitatum Calinolenſem, & Sueſſanum: cum omnibus Eccleſijs, quæ ſunt inter has prædictas fines, & cum iſtas Eccleſias, quæ nominatim declaramus. Hæc eſt Eccleſia ſanctæ Mariæ, & ſancti Petri intus iam dictam Ciuitatem, quæ eſt tua Sedes: Et Eccleſia ſancti Ioãnis ante portam. & Eccleſia ſanctæ Mariæ in Caſtellone: & Eccleſia ſancti Angeli, ibiq; & Eccleſia ſancti Nicolai, ibiq; & Eccleſia ſancti Euſtaſij, & Eccleſia ſancti Nicolai, & Eccleſia ſancti Siluestri in prædictam Ciuitatem: foras Ciuitatem nominamus has Eccleſias, Eccleſia ſancti Andreæ, & Eccleſia ſanctæ Mariæ, & Eccleſia ſancti Ioannis, & Eccleſia ſancti Secundini, & Eccleſia ſancti Seueri, & Eccleſia ſanctæ Agathæ, & Eccleſia ſancti Martini, & Eccleſia ſancti Nazarij in Pompiniano: & Eccleſia ſancti Ioannis, & Eccleſia ſancti Thomæ, & Eccleſia sãcti Angeli ad Trentola: & Eccleſia ſanctæ Mariæ ad Suptiliano: & Eccleſia ſancti Angeli, & Eccleſia ſancti Geruaſij, & Eccleſia ſancti Mauri, & Eccleſia ſanctæ Mariæ in Gualdi: & Eccleſia ſancti Stephani in piſcinole: & Eccleſia ſancti Eraſmi ibique non longè: & Eccleſia ſancti Vrbani, & Eccleſia ſancti Laurentij, & Eccleſia ſancti Roſi, & Eccleſia ſancti Eleutherij, & Eccleſia ſanctæ Barbaræ, & Eccleſia ſanctæ Luciæ, & Eccleſia ſancti Viti, & Eccleſia ſanctæ Cæciliæ, & Eccleſia ſancti Gregorij, & Eccleſia ſancti Petri de Centora: & Eccleſia ſancti Thomæ de Porcile: & Eccleſia ſancti Marci de Anticolu: & Eccleſia ſancti Martini, & Eccleſia ſancti Eraſmi ad pede de monte: & Eccleſia ſancti Stephani, & Eccleſia ſanctæ Mariæ flaui: & Eccleſia ſancti Stephani, & Eccleſia ſancti Donati, & Eccleſia S. Antemi, & Eccleſia S. Mariæ de Baloneo: & Eccleſia S. Petri, ibiq; & Eccleſia ſancti Ioannis ad ipſi currenti: & Eccleſia S. Laurentij, & Eccleſia S. Angeli, & Eccleſia ſancti Arcangeli, & Eccleſia ſancti Eraſmi de ſaltu: & Eccleſia ſancti Caſti, & Eccleſia

ſan-

Digitized by Google

ſancti Felicis de Caſtano: & Eccleſia ſancti Eraſmi; ibiq; & Eccleſia ſancti Eraclij, & Eccleſia ſancti Ioannis ad forum Gariliani: & *E*ccleſia ſancti Angeli ad Baloneo picinula: & omnes alias *E*ccleſias, quæ conſtructæ ſunt, atque conſtruendæ pertinentes ſuprascriptæ veſtræ Diœceſim, cum omnibus hæreditatibus ad eaſdem *E*ccleſias pertinentibus, quæ modo habere, & poſsidere videtur, & quæ in antea pro parte ipſarum *E*ccleſiarum acquirere potueris, & cum omnibus presbyteris, omnibuſq; *E*ccleſiaſticis ordinationibus ad tuam Diœceſim pertinentibus; excepto, quòd non concedimus tibi, tuiſq; ſucceſſoribus, *E*ccleſias quæ infra tuam Diœceſim conſtructæ ſunt, vel conſtruendæ ſunt, & hæreditates, ſeruos, ancillas, qui hæreditates prædictorum ſeruorum pertinentes noſtro Archiepiſcopatui, ſeu noſtris Abbatijs, quæ modo ibidem habemus, & quæ in antea parare, & conquirere potuerimus: quæ omnia noſtra, noſtrorumq; ſucceſſores reſeruauimus poteſtati: Afros paſſim ad *E*ccleſiaſticos ordines prætendentes nulla ratione ſuſcipias, quia aliquot eorum Manichei, aliquot rebaptizati ſæpius ſunt probati: miniſteria tanquam ornatu *E*ccleſijs, vel quidquid illud eſt in patrimonio eiuſdem non minuere ſtudeas, ſed augere. De reddita verò *E*ccleſiæ, vel oblationes fidelium quatuor facias portiones: quarum, vnam tibimetipſi retineas, alteram clericis pro officiorum ſuorum ſeduſitate diſtribuas, tertiam pauperibus, & peregrinis, quartam *E*ccleſiaſticis fabricis noueris reſeruandam. De quibus diuino eris redditurus iudicio rationem: ordinationes presbyterorum, ſeu Diaconorum nonniſi primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſium ieiunijs, ſeu in ingreſſum quadrageſimali, atque mediante, veſpere ſabati noueris celebrãdas. Sacroſancti baptiſmi Sacramentum nonniſi in Paſchali feſtiuitate, & Pentecoſtem noueris eſſe præbendum, exceptis his, qui mortis



Digitized by Google

vrgentur periculo, nè inbaptizati pereant talibus oportuerit remedijs ſubuenire. Damus interim in præceptis, vt tu, & ſucceſſores tui veniatis cauſa manducandi nobiſcum, & cunctis ſucceſſoribus, quando vos accerſire facimus ad celebrandum miſſarum ſolemnia, ſeu peragendum quaſcumque Eccleſiaſticas cauſas. Poſt diſceſſum ſiquidem tuum, ſucceſſores tui, quoſ in Epiſcopatu Sueſſano eligendi ſunt, conſenſu noſtro, noſtrorumq; ſucceſſorum, veniant Capuam, & à nobis, ſiue à noſtris ſucceſſoribus conſecrationem Epiſcopatus accipiant, ſicut continetur in priuilegio, quod ab Eccleſia Beati Petri Apoſtolorum Principis accepimus, & corroboratum apud noſtrum Ar-
D chiepiſcopatum habemus à D. Benedicto (D) Summo Pontifice, & vniuerſali Papa. Huic ergo Sedis noſtræ præcepta ſeruantes, deuotis animis obſequi vos oportet, vt inreprehenſibilem, placidumq; fiat corpus Eccleſiæ per Chriſtum Dominum noſtrum; ex iuſsione autem prædicto ſancto Antiſtiti ſcripſi Ego Ioannes Diaconus, & ſcriba ipſius ſanctæ Capuanæ Eccleſiæ, & in ſacratiſsimo eius Palatio in annos viginti quinque Archipræſulatu eius, in menſe Martio, & quinta decima dicta Indictione. Datum 24. Kalendas Aprilis. locus ſigni.

*Huius Bullæ exēplum tradidit D. Bartholomæus Chiocarellus Neapol. I.C. quem ſæpè citaui: de gratijs actis volo hanc paginam eſſe teſtem.*

## NOTATIONES.

A LAndolfi. *Nominatur Paldolphus pater, Paldolphus filius: Landolphus nepos, Paldolphus pater fuit Paldolphus cognomento de ſancta Agatha, qui Principatus eſt ab anno 1001. Paldolphus filius Paldolphi de ſancta Agatha, factus eſt à Patre conſors Principatus anno 1005. Landolphus*

*phus, aũt alterius Paldolphi nepos, & alterius Paldolphi filius, principatus eſt an. 1032. & hoc an ſcripta eſt praeſẽs Bulla.*

Adenulphus. *Duo fuerunt Archiepiſcopi huius nominis; primus fuit tempore Landenulphi Principis, ideſt ann. 981. alter fuit hic, principante Pandulpho de ſancta Agatha; & cum annus trigeſimus ſecundus Pandulphi ſit viceſimus quintus Athenulphi, cumq; annus ille 32. ſit annus Chriſti 1032. conſequens eſt Athenulphum tenuiſſe Archiepiſcopatum ab anno 1008.* B

Probabilibus. *Igitur haec forma Bullae eſt eadem ac illa ſancti Stephani Caiacienſis Epiſcopi, vt ſupra notauimus: & videtur fuiſſe communis: nam ea vſus eſt Archiepiſcopus Surrentinus ann. 1110. qui fuit ſanctus Barbatus, vt habet Capacius fol. 530.* C

Benedicto. *Poſt Ioannem Papam XIII. qui Capuanam Eccleſiam in Metropolitanam erexit, fuit Benedictus VI. ann. 973. Benedictus VII. ann. 975. Benedict. VIII. ann. 1012. cui ſucceſſit Ioannes XIX. ann. 1024. igitur Benedictus Papa, à quo Adenulphus Archiepiſcopus Capuanus accepit priuilegium, fuit Benedictus VIII. nam ab ann. 1008. quo Adenulphus accepit Archiepiſcopatum, vſq; ad an. 1032. quo ſcripta fuit haec Bulla, Benedicti VIII. tantum concurrere tempora, & Sergij IV. & Ioannis XVIII.* D

## Bulla Epiſcopi Caſertani.

IN Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Amen. Sennes ſeruus Ieſu Chriſti, eius ſola miſericordia Capuanus Archiepiſcopus, Legatus Apoſtolicæ Sedis, ac in Principatu Capuano Domini noſtri Papæ Vicarius, Clero, & Capitulo Caſertano, dilectis in Chriſto filijs ſalutem, & benedictionem in Chriſto. Condecet omnes in Eccleſiaſtico regimine A

gimine poſitos, ac in dominici gregis ſpecula conſtitutos, de iuſtitiæ obſeruantia eſſe ſollicitos, & ſingulis ſua iura integerrimè conſeruare, quatenus commiſſæ nobis Eccleſiæ, conſeruante Domino, nullis in aliquo diminuantur temporibus, nullis confuſionibus inuoluantur. Nos itaq; qui, licèt indigni, ſola Dei miſericordia huius Capuani Archiepiſcopatus regimen obtinemus, neceſſarium duximus Eccleſiarum noſtrarum vtilitatibus, in quantum Deo adiuuante poſſumus, prouidere. Notum ſit igitur tam præſentibus, quàm futuris Eccleſiæ Dei fidelibus, quoniam poſcentibus Eccleſiæ noſtræ Canonicis, concedimus, & confirmamus tibi venerabili confratri noſtro Rannulfo Caſertano Epiſcopo, tuiſq; ſucceſſoribus in perpetuum, totam & integram Diœceſim Caſertani Epiſcopatus, illis finibus, quibus noſtri Anteceſſores tuis conceſſere, & confirmauere prædeceſſoribus. Imprimis ſcilicet à Ponte rupto incipiendo, qui eſt in lanco, & quatenus pro-
B tenditur per viam, qua itur iuxta caſam (B) auream: & ſicut directè pergitur per Toianum, & exitur ad Eccleſiam ſanctæ Mariæ, fundatam à filijs Paldi, & Adenulfi Comitum:
C & inde itur in (C) ſexanta, & exitur in ſtradam Beneuentanam, & qualiter directè pergitur ſub monte cupo, & per ſaxeta, & exitur in fluuium Vulturnum, & in [illegible] quæ decurrit, & coniungitur cum riuo Valleron & ſicut itur per ipſa tora ſancti Vincentij, & exitur ad caput montis Lógani: & quomodo reuoluitur per eundem montem, & exitur vſq; ad finitas ipſas plancellas propè Sueſſulam: cum omnibus ſubſcriptis Eccleſijs tuo Epiſcopatui per-
A tinentibus, ſitis hos intra fines, nominatim ſuperiùs declaratos. Concedimus, itaque tibi, tuiſque ſucceſſoribus Eccleſiam ſancti Michaelis Archangeli, quæ eſt ſedes tua Epiſcopalis: Eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt cappella: & Eccleſiam ſanctæ Fidis, & Eccleſiam ſancti Petri, Eccleſiam ſancti

Digitized by Google

ſancti Valentini, & Eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Bucca muzzi: & Eccleſiam ſancti Blaſij, Eccleſiam ſancti Andreæ, Eccleſiam ſanctæ Suſannæ, & Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Summana: Eccleſiam ſancti Ioannis de puteo veteri: Eccleſiam ſancti Nicolai: Eccleſiam ſancti Vitaliani de Atellano: & Eccleſiam ſancti Angeli de monte: Eccleſiam ſancti Euſtaſij: Eccleſiam ſancti Stephani de Iuliano: Eccleſiam ſancti Marci de Caſola: Eccleſiam ſancti Petri: Eccleſiam ſancti Eraſmi . . . . . . . . . . Eccleſiam ſancti Marci de monticello: Ecclesiam ſancti Stephani, & Ecclesiam ſancti Nicolai ad Torum: Ecclesiam ſanctæ Barbaræ ad montem: Ecclesiam ſancti Saluatoris de ſtaturano: Eccleſiam ſancti Rufi de Pedemontis: Ecclesiam ſancti Vitaliani de Carzano: Ecclesiam ſancti Angeli ad pinos: Ecclesiam ſanctæ Mariæ de mezzano: Ecclesiam ſancti Silueſtri: Ecclesiam ſancti Andreæ de Puccianello: Ecclesiam ſancti Vincentij (D) de Sala: Ecclesiam ſancti Simeonis de Ciuecorna: Ecclesiam ſancti Angeli de monte cupo: Ecclesiam ſanctæ Iulianæ (E) de . . . . . . Ecclesiam ſanctæ Crucis de Caſa noua: Ecclesiam ſancti Petri alla Refreda (F) Ecclesiam ſancti Leuci de monte: Ecclesiam ſancti Eleuterij, & Ecclesiam ſancti Ioannis, & ecclesiam ſancti Clementis: ecclesiam ſanctæ Mariæ: ecclesiam ſancti Stephani, quæ eſt in loco Macerata: ecclesiam ſancti Nazarij: ecclesiam ſancti Petri, ecclesiam ſanctæ Mariæ de Fauzano: ecclesiam ſancti Benedicti: ecclesiam ſancti Coſmæ de ſtrada: ecclesiam ſancti Sebaſtiani . . . . . . . . ecclesiam ſancti Martini: ecclesiam ſanctæ Anaſtasiæ sitam propè ſtradam: ecclesiam ſancti Nicandri. In Caſtro Limatulæ, & territorium eius, ecclesiam ſancti Nicolai, quæ eſt intra Caſtellum: ecclesiam ſancti Blasij . . . . . . ecclesiam ſancti Petri: ecclesiam ſancti Ioannis, quæ eſt propè portam: ecclesiam ſancti Eraſmi: ecclesiam ſancti Archan-

D
E
F

Digitized by Google

changeli ad Pirum: eccleſiam ſancti Iacobi à Puzzaniſij: eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Ciprianum: eccleſiam omnium Sanctorum de Turone: eccleſiam ſãcti Thomæ: eccleſiam ſancti Adiutorij: eccleſiam ſancti Euſtachij: eccleſiam ſanctæ Mariæ ad gruttulas Murroni: eccleſiam ſanctorum Coſmæ, & Damiani, ſancti Pancratij: eccleſiam ſancti Angeli in Plancono: In Caſtro Murrone, & territorio eiuſdem eccleſiam ſancti Saluatoris: eccleſiam ſanctæ Mariæ: eccleſiam S. Nicolai, S. Cæſarij, S. Marci, ſancti Blaſij ad gradillum, ſancti Michaelis, ſancti Stephani, S. Nazarij, ſancti Andreæ, ſancti Ioannis de foreſto: in terra . . . . eccleſiam ſancti Eraſmi: eccleſiam ſancti Angeli de Cupa. In Caſtro Madaloni, & territorio eiuſdem eccleſiam ſancti Ioannis intra Caſtellum: eccleſiam ſanctæ Mariæ, quæ eſt in cappella: eccleſiam ſancti Angeli de monte: eccleſiam ſancti Ioannis maggranelli: eccleſiam ſancti Nicolai: eccleſiam ſanctæ Mariæ: eccleſiã ſancti Agnelli: eccleſiam ſancti Leuci, et ſancti Ioannis; ſancti Petri . . . . . . . ſancti Laurentij: ſancti Blaſij, ſancti Saluatoris, ſancti Pauli à corazzoli, eccleſiã ſanctæ Mariæ . . . . . . ſancti Euſebij, ſancti Pauli, ſancti Nazarij, ſanctæ Mariæ ad Guadum: eccleſiam ſãctæ Mariæ de Calatia, eccleſiam ſancti Cæſarij: eccleſiam ſancti Terentiani, ſanctæ Mariæ ad Iunianum. In terra lanei eccleſiam ſanctæ Fidis: eccleſiam ſanctæ Crucis: in loco Gruttulæ eccleſiam ſanctæ Mariæ, & S. Caſtrenſi in loco Trentulæ eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſancti Nicolai, & ſancti Viti: In loco Grummo eccleſiam ſancti Maximi: In loco Luriano ſancti Marcelli: Ad ferrarios eccleſiam ſanctæ Mariæ: In loco Predolæ eccleſiam ſancti Laurentij: In loco Airolæ eccleſiam ſanctæ Mariæ, & ſancti Ioannis: In loco Sale eccleſiam ſancti Laurentij: In Lauriano eccleſiam ſancti Angeli: In loco . . . . eccleſiam ſancti Viti: In Puzzianello eccleſiam ſancti Iu-

liani:

Digitized by Google

liani: In loco Triuio eccleſiam ſancti Simeonis: In loco Ducenta eccleſiam ſancti Silueſtri, eccleſiam ſanctæ Maciæ, quæ dicitur ad Paganos: In loco Capitriſij eccleſiam ſancti Andreæ, & ſancti Donati: In loco Caſole, eccleſiam ſancti Rufini: In loco ad Ilicem, eccleſiam ſancti Petri, ſancti Viti: eccleſiam ſancti Petri à Pelluni, & eccleſiam ſancti Marcellini ad Lurianum, cum terris, quas modo habent, & beneficijs, quæ Canonici ibi per nos in eis poſſident, ita vt in vita ſua quietè habeant, & fruantur: poſt debitum verò carnis ſolutum, in tuam, tuorumque ſucceſſorum deueniant poteſtatem. Has itaq; prædictas eccleſias tibi, tuiſq; ſucceſſoribus concedimus, cum prædijs, & decimis, cunctiſq; ſuis pertinentijs, cum omnibus, quas modo habent, & quæ ex hinc pro parte earum iuſtè acquirere poteritis . . . . . . . . . Porrò tertias eccleſiarum prædictarum, ſcilicet ſancti Petri à Pelluni, & ſancti Marcellini ad Laurianum, quæ noſtro Archiepiſcopatui pertinere videntur, tibi, aut tuis ſucceſſoribus non concedimus, ſed illas tãtùm, quas modo habent, vnà cum beneficijs Canonicorum noſtrorum, vt in ſuperioribus habetur: ſed ſi infra iam ſubſcriptos fines veſtri Epiſcopatus noſter Archipiſcopatus, ſeù noſtra Abbatia, quandocunq; ſeruus noſtri Archiepiſcopatus ſuas hæreditates, aut poſſeſſiones habent, aut in antea parare, acquirere iuſtè poterunt, in noſtra, noſtrorumq; ſucceſſorum ſint poteſtate. Sed neq; damus, aut concedimus tibi, tuiſq; ſucceſſoribus eccleſiam ſancti Cæſarij, & eccleſiam ſanctæ Iulianæ eccleſiam ſancti Martini, eccleſiam (G) ſancti Angeli, eccleſiam ſan- G
cti Viti in loco Herculis, & eccleſiam ſanctæ Mariæ, & eccleſiam ſancti Ioannis, ſancti Petri, & ſancti Felicis, & eccleſiam ſancti Stephani, quas habemus infra montem, neque eccleſiam ſancti Leontij in partibus Madalonis. Hanc ergo conceſſionem tam tibi, quàm tuis ſucceſſori-

bus, vt prædictum eſt, facimus. Tu autem, tuiq; ſucceſſores, quoties vocati fueritis, niſi canonicam prætendatis excuſationem, ad nos, & ad noſtros ſucceſſores venire debebitis. Poſt diſceſſum vero tuum ſucceſſores tui, qui noſtro, noſtrorumq; ſucceſſorum Caſertanæ Eccleſiæ sũt eligendi conſ. . . . à nobis, ſeu à noſtris ſucceſſoribus Epiſcopatus conſecrationem ſuſcipiant, ſicut in Priuilegijs à ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificibus, Eccleſiæ noſtræ conceſſis, continetur. Quiſquis igitur mortalium cuiuſcunque conditionis, huius noſtræ . . . . . . concesſionem violare præſumpſerit, niſi canonicè commoniti reſipiſcerent, à liminibus ſanctæ Matris Eccleſiæ vſque ad condignam ſatisfactionem tempore ſequeſtretur. Piè verò cuſtodientes, atq; fideliter obſeruantes, omnipotentis Dei benedictione, & gratia repleantur.

Ego Sennes Dei gratia Capuanus Archiepiſcopus, & Domini Papæ Vicarius.

Ego Ioannes Sueſſanus Epiſcop.

Ego Pannolfus Theaneñ. Epiſcop. legi, ſubſcripſi.

Ego Maurus Iſernienſis Epiſcopus ſubſcripſi.

Ego Giroldus Epiſcopus Calinenſis ſubſcripſi.

Ego Alferius Abbas, & Archidiac.

Ego Lando Presbyter, & Primicerius

Ego Adenulphus Sacerdos, Primicerius, & Abbas.

Ego Otto Decanus

Ego Ioannes Sacerdos, & Abbas

Ego Bonus Sacerd.

Ego Io. Sacerdos.

Ego Audoaldus Sacerdos, & Abbas.

Ego Pandulphus Sacerdos.

Ego Auioaldus Diaconus.

Ego Petrus Diaconus.

Ego Carlus Abbas.

Ex

Ex iuſsione Domini Petri Diaconi,& Cancellarij ſcripſi Ego Prudentius Subdiaconus anno Dominicæ Incarnationis milleſimo,& centeſimo, atque tertiodecimo, Indictione (k) Septima; Pontificatus verò præfati Domini Sennes Archiepiſcopi anno 18. Actum Capuæ, in ſacroſancta Aula Archiepiſcopi. K

In nomine,&c. *Huius Bullæ plura vidi exempla: omnia mendis ſcatent: & propterea Archiepiſcopus Coſta in quadam lite hanc ſibi obiectam conceſſionem facili redarguit: auctographum non viſum eſt hac ætate: aſſeritur tantum inter manuſcripta Illuſtriſſimi Iulij Antonij Santorij S.R.E. Cardinalis de Santa Seuerina nuncupati, inuentum fuiſſe quoddam exemplum. Credo auctographum factum antiquitate carioſum; fideliter exſcribi non potuiſſe; ſed quamuis hæc Bulla non cenſeatur authentica ad decernendos fines Caſertani Epiſcopatus; tamen inſtituto noſtro vtiliſſima eſt, cum ex hac appareant nomina Sanctorum, qui in illa parte Capuanæ Diœceſis attributa Caſertano Epiſcopo, colebantur.* A

Caſam auream. *Caſertani contendentes de finibus Diœceſis, dicunt Caſam auream eſſe locum, qui dicitur Caſalba: & non aduertunt hunc locum à Ponterupto, qui eſt in laneo, multùm diſtare, nec vllam eſſe proportionem in finibus: igitur* Caſa aurea *eſt locus vulgò dictus* Caſoria, *non Caſoria circa Neapolim, ſed in finibus lanei.* B

Sexanta. *Caſertani dicunt* Sexanta, *ideſt* Quaranta; *locus hodie notus: quis non miretur ſexaginta dici quadraginta? profectò eſt hodie locus propè Caturanum, qui dicitur ad quaranta; & erat alter locus, qui dicebatur ad quaranta vecchia: ſed neuter eſt locus hic deſignatus in Sexanta: nam* Sexanta, *vt patet ex quodam antiquo Quinternione noſtri Capituli, erat locus inter Caturanum, & Rigale, qui dicebatur ad Sexanta, ſeu ad ſanctum Stephanum, & in* C



Digitized by Google

Taſſa decimarum notatur Eccleſia ſancti Stephani in Sexanta inter eccleſias Capuanæ Diœceſis. Qui ergo locus propè Rigale dicitur ad ſanctum Stephanum, ille eſt, qui dicebatur ad Sexanta.

D S. Vincentij de Sala. *Videtur hic ineſſe mendum: nulla enim fit mentio de villa Vreiani, in qua eſt Parochialis ſub titulo ſancti Vincentij: In villa Sala, quæ eſt propè Breianum, Eccleſia Parochialis eſt ſub titulo ſancti Simeonis, Videtur ergo legendum ſancti Simeonis de Sala, ſancti Vincentij de Breiano.*

E S. Iulianæ de . . *De Maniceſi habet quodam exēplum: profectò hodie 22. Aprilis 1626. legi in Inſtrumento Theſauri eccleſiam ſanctæ Iulianæ circa montem Cupum.*

F Refreda. *Nomen pagi: vera nuncupatio* Aldifreda, *quod eſt mulieris nomen Longobardum.*

G Eccleſiam ſancti Martini, eccleſiam ſancti Angeli. *Hic videtur aliquid deeſſe: & meo iudicio deeſſe ſancti Angeli de Marcianiſo: nam iſtæ quatuor eccleſiæ, ſcilicet ſācti Caſarij, ſanctæ Iulianæ, ſancti Martini, ſancti Angeli omnes sūt in finibus Marcianiſi imo, vt apparet ex antiqua Taſſa decimarum Capuanæ Ciuitatis, & Diœceſis anni 1375. eccleſia ſancti Martini iam facta ruralis, annexa fuit eccleſiæ ſancti Angeli: notatur enim in illa,* Rectoria eccleſiarū ſāctorum Angeli, & Martini de villa Marcianiſi in tarenis quatuor: *Et in Priuilegio* Papæ *Alexandri III. quod conceſſit Alphano anno 1173. quodq; à Ioanne XXII. petente Philippo Archiepiſcopo, confirmatum fuit anno 1412. Legitur;* In loco Marcianeſi Eccleſiam ſancti Angeli, & ſancti Martini (*ſcilicet* confirmamus) *Propterea ergo quando ſupra in hac Bulla dicitur Eccleſiam ſancti Angeli in loco Manculi, non benè aliqua exempla habent in loco Marcianiſij: imò tanto minùs benè habent, cum nomen Marcaniſij ſit recentiſſimè introductum, & in antiquis nonniſi*

*Mar-*

Digitized by Google

*Marcianiſi, vel Marcianeſi legatur.*

Otto Decanus. *Nota antiquum morem ſubſcribendi, obſeruatum à Decano: nam Dominus Archiepiſcopus ſubſcribebat à parte dextera folij & erat ſubſcriptio eius caractere rubro notata: Decanus ſubſcribebat à parte ſiniſtra eiuſdem folij, ſed caractere nigro. Habemus in ſcripturis monialium ſancti Ioannis diploma Archiepiſcopi Sennetis cum ſubſcriptione eiuſdem, & Ottonis Decani, & aliquot Canonicorum, in quo hic idem mos obſeruatur: idem etiam obſeruatur in multis Inſtrumentis Theſauri: ego vix in vno, aut altero inſtrumento ex recentioribus animaduerti ſubſcriptionem Decani in eadem columna poſt ſubſcriptionem Archiepiſcopi. Hic ergo mos obſeruatus fuit in iſta Bulla, & ita habet exempla quot ego vidi. Sed quorſum hæc? vt cognoſcas lector, ſi quando incideris in quemdam librum Viſitationum cuiuſdam Vicarij, & inueneris hanc Bullam, & videris nomina ſubſcribentium alio ordine poſita, cognoſcas, inquam, vel ex incuria exſcribentis, vel ex mala fide aliter actum.* I

Indictione ſeptima. *Et hoc quoque mirum eſt, cur præter ſolitum morem non ſit annotatus menſis: tamen cum indictio incipiat à menſe Septembri, oporteт, non ante hunc menſem ſcriptam eſſe Bullam: nam anno 1113. eſt indictio ſexta vſque ad Septembrem, & à Septembri incipit ſeptima, & hac computatio valet, ſi accipimus nomen Incarnationis vt confunditur cum Nomine Natiuitatis, quod paſſim obſeruare licet; alioquin infinita corruerẽt diplomata puto autem mendum eſſe in anno Pontificatus Sennetis, & pro 18. ponendum eſſe 16. nam ita ſcribendum perſuadet mihi diploma monialium, in quo anno 1116. menſe Iunio Indictione nona notatur annus Sennetis decimus nonus.* K



Digitized by Google

## Priuilegium Alexandri Papæ.

A ALexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabili fratri (A) Alfano Capuano Archiepiſcopo, eiuſq; ſucceſſoribus canonicè ſubſtituẽdis in perpetuum. Cũ ex iniuncto nobis à Deo apoſtolatus officio, quo cunctis Chriſti fidelibus ex superni diſpoſitione arbitrij præminemus, ſingulorum paci, & tranquillitati debeamus intendere, præſertim pro illorum quiete oportet nos eſſe ſollicitos, qui paſtorali dignitate ſunt præditi, & ad officium Pontificale promoti; niſi enim nos eorum vtilitatibus intendentes ipſorum dignitates, & vna in quantum Deo permittente poſſumus integra conſeruemus, & auctoritate Apoſtolica eos ab iniquorum hominum incurſibus defendamus, de illorum ſalute non verè poterint eſſe ſolliciti, qui ſibi ad regendum Domino ſunt diſponente commiſſi. Huius vtique rei conſideratione Venerabilis in Chriſto fratrer Archiepiſcope, tuis iuſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Eccleſiam, cui Domino auctore præeſſe demonſtraris, ſub Beati Petri, & protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti priuilegio communimus, ſtatuentes, vt quaſcunq; poſſeſsiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum iuſtè, & canonicè poſsidet, aut in futurum conceſsione Pontificum, largitione Regum, vel Principum; oblatione fidelium, ſeu alijs iuſtis modis præſtante Domino poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis: Epiſcopatum

B (B) Aquinatem: Epiſcopatũ Venafranum, & Iſerniẽſ. Epiſcopatum Theanẽſ. Sueſſañ. Calinenſem; Epiſcopatum Caluẽſ; Epiſcopatum Caiacẽſ: Epiſcopatum Caſertanum

C (C) In Capua Abbatiam ſãctæ Mariæ Maioris, Eccleſiam Domini Saluatoris, Eccleſiam ſancti Ioannis ad Curtim, Eccle-

Digitized by Google

(D) Eccleſiam ſancti Michaelis, Eccleſiam ſanctæ Mariæ de Arcu, Eccleſiam ſanctorum Apoſtolorum, Eccleſiam ſancti Iacobi in Caſtello. In Diœceſi Eccleſiæ Theanẽ. Eccleſiam ſācti Eraſmi, Eccleſiam ſanctæ Mariæ, Eccleſiam ſanctæ Helenæ, & Eccleſiam ſancti Nicolai quæ ſunt in territorio Scarpati: In loco Bauzani Eccleſiam ſanctæ Heliæ (E) & Eccleſiam ſancti Martini: In Fontana de Corregijs Eccleſiam ſanctæ Mariæ. In Diœceſi Eccleſiæ Sueſſanæ, Eccleſiam ſanctæ Luciæ de loco Sorbelli. In Diœceſi Eccleſiæ Caſinẽ, In Rocca montis Draconis Eccleſiam ſancti Rufini, & Eccleſiam ſancti Martini: In territorio Canẽ. Eccleſiam ſancti Pangratij. In Diœceſi Eccleſiæ Calnẽ. Eccleſiam ſancti Andreæ ad Cementa: Eccleſiam ſancti Germani ad Palera: Eccleſiam ſancti Tammari de Monte: Eccleſiam ſancti Pauli de Formello: Eccleſiam ſancti Petri de Borlerano: Eccleſiam ſancti Symmachi, & Eccleſiam ſancti Eraſmi de Moſtardino: Eccleſiam omnium Sanctorum de loco Sanguinarij: Ad Sclauos Eccleſiam ſancti Michaelis, Eccleſiam ſancti Petri, Eccleſiam ſanctæ Mariæ, Eccleſiam ſancti Nazarij: Eccleſiam ſancti Angeli de Iano: Eccleſiam ſanctæ Mariæ: In loco Camillani Eccleſiam ſancti Angeli, Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & Eccleſiam ſancti Nicolai. In Diœcis: Eccleſiæ Caiacẽ. Eccleſiam ſancti Angeli de Melanito, & Eccleſiam ſancti Petri à li Bagnatori. In Diœceſ. Eccleſiæ Caſertañ. Eccleſiam ſancti Viti de Hercole: Eccleſiam ſancti Nazarij in campo Puzañ: Eccleſiam ſancti Petri ad Goſſoli: Eccleſiam ſancti Secundini, & Eccleſiam ſancti Felicis (F) In territorio Murrone Eccleſiam ſanctæ Mariæ, Eccleſiam ſancti Felicis, Eccleſiam ſancti Petri, & Eccleſiam ſancti Stephani: Iuxta ipſam Diœceſim, Eccleſiam ſanctæ Eufemiæ, Eccleſiam ſancti Ioannis ad Gaianum, Eccleſiam ſanctæ Mariæ ad Lupinum, Eccleſiam ſancti Felicis, Eccleſiam ſancti Priſci: In loco Caſapuli Ec-

cleſiam.

D

E

F

Digitized by Google

ſiam ſancti Nicolai, Eccleſiam ſancti Arpij: Eccleſiam ſancti Petri de Sarzano. In loco Marzaniſi Eccleſiam ſancti Angeli, & Eccleſiam ſancti Martini. In loco Campurcipi, Eccleſiam ſancti Cæſarij, Eccleſiam ſancti Procapij, Eccleſiam ſanctæ Veneræ. In loco Airolæ Eccleſiam ſanctæ Iulianæ, Eccleſiam ſancti Nicolai ad Ronulas. In territorio Caſtelli Mare Eccleſiam ſancti Adiutoris, Eccleſiam ſancti Marcelli, & Eccleſiam ſancti Blaſij, Eccleſiam ſancti Stephani, & aliam Eccleſiam ſancti Blaſij, Eccleſiam ſancti Ioannis, Eccleſiam ſancti Nicolai, Eccleſiam ſanctæ Seuerinæ, Eccleſiam ſanctæ Crucis. In loco Cancelli Eccleſiam ſancti Angeli, & Eccleſiam omnium Sanctorum, Eccleſiam ſancti Ioannis, & Eccleſiam ſancti Apollinaris de Parrazzano, Eccleſiam ſancti Georgij, Eccleſiam ſancti Ioannis de Turre, Eccleſiam ſancti Viti, Eccleſiam ſancti Petri, Eccleſiam ſancti Nicolai, Eccleſiam ſancti Martini, Eccleſiam ſancti Caſtrenſis, Eccleſiam ſancti Martini de Roſella, Eccleſiam ſancti Flauiani, Eccleſiam ſanctæ Barbaræ, Eccleſiam ſanctæ Iulianæ, Eccleſiam ſancti Andreæ. In loco Arnone Eccleſiam ſanctæ Mariæ, & Eccleſiam ſancti Blaſij, & Eccleſiam ſancti Pauli, Eccleſiam ſancti Eraſmi de Cazoli. In loco Grazzaniſi Eccleſiam ſancti Ioannis, Ecclesiam ſanctæ Mariæ, & Ecclesiam ſanctæ Maſſimilianæ, & Ecclesiam ſancti Nicolai. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius poſſeſsiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia, & integra conſeruentur, eorum, pro quorum gubernatione, & ſuſtentatione conceſſa ſint, ſibus omnimodis profutura, ſalua Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiaſtica, ſecularisue perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temerè venire tentauerit, ſecundo, tertioue commonita

monita

monita, niſi præſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat, iramque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſsimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redemptoris noſtri Ieſu Chriſti aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ vltioni ſubiaceat. Cunctis autem eidem loco ſua iura ſeruantibus sit pax Domini noſtri Ieſu Chriſti, quatenus, & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant. Amen. *E*go Alexander Catholicæ *E*ccleſiæ Epiſcopus. *E*go Gubaldus Hoſtieñ. *E*piſcopus. *E*go Bernardus Portueñ. & ſanctæ Rufinæ *E*piſcopus, *E*go Gualterius Albaneñ *E*piſcopus. *E*go Ioannes presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Anaſtaſiæ. *E*go Guglielmus presbyter Cardinalis tit. ſancti Petri ad Vincula. *E*go Boſo presbyter Cardinalis de Pudet. tit. Caſtoris. *E*go Petrus presbyter Cardinalis tit. ſancti Laurentij in Damaſo, *E*go Ioannes presbyter Cardinalis tit. ſancti Marci, *E*go Manfredus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Ceciliæ. *E*go Petrus presbyter Cardinalis tit. ſanctæ Suſannæ. *E*go Petrus presbyter Cardinalis tit. ſancti Griſogoni, *E*go Oddo Diaconus Cardinalis ſancti Nicolai in Carcere Tuliano, Ego Cynthius Diaconus Cardinalis ſancti Adriani. Ego Vgo Diaconus Cardinalis ſanti Euſtachij iuxta templum Agrippæ, Ego Vitellius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergij, & Bacchi. Ego Vgo Diaconus Cardinalis ſancti Angeli. Ego Laborans Diaconus Cardinalis ſanctæ Mariæ in porticu. Datum Anagniæ per manum Gratiani S.R.E. Subdiaconi, & Notarij, Calendas Martij Indictione ſeptima Incarnationis Dominicæ Anno milleſsimo centesimo ſeptuagesimo tertio. Pontificatus verò Domini Alexandri Papæ III. Anno quintodecimo.



Digitized by Google

## NOTATIONES.

A **A**Lfano. *Hic eſt ille Archiepiſcopus Capuæ, ad quem, & quo cum ad Petrum Abbatem Caſſinenſem Alexander Papa Tertius Venetijs commorans anno 1177. ſex Kalend. Auguſti literas vt ad fideles amicos dedit, & ſignificaret quæ pro Eccleſiæ pace cum Imperatore Friderico geſſiſſet. Vt verò cognoſcas quanti Petrus Abbas, & Alfanus Archiepiſcopus ab Alexandro Papa fierent, accipe literarum initium.* Exigunt gratiſſimę deuotionis obſequia, quæ Nobis, & Eccleſiæ tam deuotè, quàm fideliter exhibuiſſe noſcimini, vt felices ſucceſſus ipſius Eccleſiæ vobis ſcilicet deuotis, & ſpecialibus filijs, ſpecialibus literis deſcribamus. Cum dignum ſit, conueniens, &, honeſtum, vt quos ita habuimus in noſtra deuotione firmos, & ſtabiles, de proſperitate noſtra, & ipſius Eccleſiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vnà nobiſcum gratias omnipotenti Deo &c. *Cæterum Petrus Abbas commemoratus, eſt, qui in Catalogo Abbatum Caſſinenſium nominatur Petrus de Inſula, videturque ſediſſe ab anno 1173. per annos tredecim. Literas Alexand. PP. refert Baron. anno iam dicto.*

B Epiſcopatum. *In hoc priuilegio Alexander Papa confirmat Archiepiſcopo Capuano ius Metropoliticum: nouem Eccleſiæ ſuffraganeæ recenſentur, ſed abſque dubio Ioannes XIII. plures adſcripſerat. Eccleſia Atinenſis olim Epiſcopalis erat Capuanæ Eccleſiæ ſuffraganea, & Adenulphus Capuanus Archiepiſcopus Leonem Atinenſem Epiſcopum conſecrauit, vt ex monumentis illius Eccleſiæ Petrus Paulus Florius Vrbinas habet in libello de Sanctis Atinenſibus, Italicè ſcripto, & nos quoque retulimus. Eccleſiam quoque Soranam fuiſſe Capuanæ ſuffraganeam, indicat Bulla Sancti*

Digitized by Google

*ſancti* Stephani Caiacenſis *Epiſcopi: illi namque Bullæ ſub-ſcribunt duo Epiſcopi, duo* Presbyteri*, duo Diaconi, & duo* Subdiaconi*: fuiſſe illos Epiſcopos* Comprouinciales*, ſacro-rum* Canonum *diſtin. 64. præcepta nobis confirmant: ſub-ſcriptiones verò, vt ſuo loco notauimus, ſunt Epiſcopi Cal-uenſis, &* Sorani. *Præterea cum ſanctus Anſelmus conſi-ſtens intra fines Teleſinos, dicatur ab Auctore conſtitiſſe in* Capuana *Prouincia argumento eſt, & ipſam Teleſi-nam Eccleſiam ad Capuanam Eccleſiam pertinuiſſe. Quod ſi quis arbitrabitur nomen Prouinciæ in vita ſancti Anſel-mi ſignificare prouinciam laicam non Eccleſiaſticam, cupio vt ille recordetur, Capuam iuxta ſuum ſtatum laicum nunquam habuiſſe nomen prouinciæ, ſed tantùm nomen* Priucipatus*, quod quidem* Principatus *nomen illo ipſo tem-pore* Rogerij Regis *adeo retinebatur, vt Rogerius ipſe ap-pellaretur* Rex *Siciliæ, Ducatus Apuliæ, &* Principatus *Capuæ: Itaque Scriptor Eccleſiaſticus Eccleſiaſtico more prouinciæ nomen vſurpauit.*

Sanctæ Mariæ. *Abbatia ſanctæ Mariæ Maioris intra Capuam: profectò non eſt alia Eccleſia, nec alia Abbatia, quàm Monaſterij ſanctæ Mariæ Monialium: illa Eccleſia dicebatur ſancta Maria Maior, cum cæteris Eccleſijs eiuſ-dem nuncupationis antecelleret. De illa oportuit ſpecilem haberi mentionem in hoc diplomate Alexandri, quia Ab-batiſſæ, & Moniales prætexebant Eccleſiæ, & Monaſte-rij libertatem, nec Archiepiſcopo obedire volebant: anno aũt 1171. cauſa cognita, Alexander Papa pro Archiepiſco-po Capuano ſententiam tulit, illi Monaſterium ſubdidit: ideo in hoc diplomate, dato anno 1173. de illa Abbatia meminiſſe oportuit. Pari quoque ratione facta eſt mentio de quibuſdam alijs Eccleſijs, quæ propter iuſpatronatus exemptionem à iuriſdictione Archiepiſcopi prætexere po-terant. Eccleſia ſancti Saluatoris, ſancti Ioannis, ſancti* C



Digitized by Google

*Michaelis, quæ dicebantur ad Curtim fuerant Cappellæ Principum, & quidem inſignes: ideo igitur hic ſpeciatim nominatæ fuerunt.*

*Nunc poſſumus coniectare, imò certò diffinire, quando quaue occaſione pictæ fuerint illæ tabulæ, quæ intra Epiſcopium ſupra portam, licèt ex magna parte collapſæ, conſpiciuntur: in nouem ex illis ſunt imagines Epiſcoporum, in duabus Imagines Caſtrorum, & in vna Sanctimonialis. Illis aliæ alternis vicibus tabulæ cum quibuſdam veluti gentiliciorum ſtegmatum picturis intercedunt: habent ſeptem Epiſcopi, & duo Caſtra non deletas, nec amotas inſcriptiones, ſub pedibus primi legitur* Caluenſis Epiſcopus; *ſub ſecundi,* Caſertanus Epiſcopus, *ſub tertij* Caiaccian̄ Epiſcopus, *ſub quarti* Theanenſis Epiſcopus; *ſub quinti* Benefran̄ Epiſcopus, *ſub octaui* Sueſſanus Epiſcopus; *ſub noni,* Calinas Epiſcopus: *in vno Caſtro,* Caſtrum Marzaniſij, quod eſt de Demanio Eccleſiæ Capuanæ: *In altero,* Caſtrum Maris de Vulturno, quod eſt Demanium Eccleſiæ Capuanæ. *Quando igitur Alexander* Papa *III. hoc diplomate confirmauit Archiepiſcopo ius ſupra nouem in ipſo diplomate nominatos* Epiſcopos, *& ſupra inſigne monaſterium ſanctæ Mariæ, tunc ad futuram perpetuā rei memoriam oportet huiuſmodi tabulas fuiſſe pictas: & quæ perierunt tres inſcriptiones, abſque vllo dubio erant vna Aquinenſis Epiſcopi, altera Iſernien. Epiſcopi, & tertia Abbatiſſæ Sanctæ Mariæ. Olim illæ tabulæ extabant in giro ſupra chorum antiquum exiſtentem in medio templo, ſed Patriarcha Antiochenus Iordanus Gaytanus Archiepiſcopus, extructo nouo choro, illas ſupra portam collocauit.*

D Ad Curtim. *In hoc autem priuilegio fit mentio ſancti Ioannis ad Curtim; & eccleſia ſancti Saluatoris maioris etiam legitur dicta ad Curtim; ſicut & hodie eccleſia ſancti Michaelis ad Curtim. Quæ ratio nominis.*

No:

Digitized by Google

Nomen Curtis frequentiſſimum eſt in Chronico Caſſinenſi, necnon in inſtrumentis antiquis. Profectò Latini Auctores dixerunt cobortem, ſeu Chortem, locum in villa, vndique ſeptum, in quem pecus cogeretur; & in Vrbana quoq; domo, Cobors locus ſeptus, in quo gallinæ, anſeres, & id genus aues paſcuntur: Adueniente Barbarie, O in V commutatum eſt, & factum nomen Curtis, ſignificans Villam vndique ſeptam, quam hac ætate, diceremus Palco, ſeu Murata, vel ſignificat domum ſeptam in campo, nunc la Maſſaria: Deinde cœpit ſignificare magnificas domos ruſticas; & tandem palatia Principum & in villis, & in vrbibus. De his fusè Ducaeus in notationibus ad ſanctum Paulinum: Nunc intelligere poſſumus, quare intra ciuitatem eccleſia ſancti Michaelis, & ſancti Ioannis dicantur ad Curtim: nimirum, quia palatium Principis, quod illo tempore dicebatur Curtis, inter illas eccleſias poſitum erat: Adhuc propè eccleſiam ſancti Ioannis apparent ædificiorum reliquiæ, indicantes ibi fuiße palatium.

Sanctæ Heliæ. *De Eccleſijs Sanctorum Martini, & Heliæ, conſiſtentibus in Diœceſi Theanenſi, ſubditis autem Archiepiſcopo* Capuano *meminit Innoc.* Papa *Tertius in diplomate dato Abbati ſanctæ Mariæ de Ferraria, habet enim :* Sed & cambium, quod feciſtis cum bonæ memoriæ Matthæo quondam Capuan. Archiepiſcopo, & Eccleſia Capu. à quibus recepiſtis duas Eccleſias dirutas, ideſt Eccleſiam ſancti Martini, in qua Ciſtercienſem ordinem ſtatuiſtis, & ſanctæ Heliæ cum omnibus tenimentis earum, ſicut habetis in publico inſtrumento ſuo &c. *Verùm qui incides in Codicem Innocentij* Pa*pæ impreſſum Venetijs anno* 1578. *dum leges diploma datum poſt mortem Archiepiſ. Matthei* 14. *Kalend. Febr. Indictione tertia, Incarnationis Dom. ann.* 1198. *& Innocentij anno ſecundo, rogo nè arguas computationem an-*

*norum*

Digitized by Google

*norum Matthæi aliàs factam, imò firmiter teneas, & agnoscas mendoſum eſſe impreſſum Codicem: mille enim tres annorum conſignationes ſibi non cohærent: annus Domini 1198. erat Innocentij Primus, non Secundus: currebatq; cum Indictione, prima non tertia: datum potiùs eſt diploma Indictione decimatertia, & ſic anno 1105. & Innoc. Octauo.*

F Felicis. *Supra Ianuarij die 14. plures ſancti Felicis Eccleſias commemorauimus: hanc ex obliuione prætermiſimus; nunc memoriæ lapſum vberiori notatione cõpenſamus. Addimus Capuanos antiquos vnà cum alijs populis Nolam confluere conſueuiſſe ad Natalitium ſancti Felicis concelebrandum, Teſtatur ſanctus Paulinus in tertio Natali.*

Lucani coeunt populi, coit Appula pubes
Et Calabri, & cuncti quos adluit æſtus vterq;
Qui læua & dextra Latium circumſonat vnda:
Et qua bis ternas, Campania læta per vrbeis
Ceu proprijs gaudet feſtis, *quos mœnibus amplis*
*Diues habet Capua* & quos pulchra Neapolis, aut
quos Gaurus alit.

# TASSA DECIMARVM ANTIQVA.

IN Nomine Chriſti Amen. Anno Incarnationis eius milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto: Pontificatus Sanctiſsimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini noſtri

noſtri Gregorij diuina prouidentia Papæ XI. anno quinto, die decimoſeptimo menſis Decembris, quartæ decimæ Indictionis. Ego Chriſtophorus Merulus Canonicus Capuanus publicus Apoſtolica auctoritate Notarius præſenti ſcripto publico notum facio, atque teſtor, quod in mei, qui ſupra Notarij, & teſtium ſubſcriptorum præsẽtia prædicto die congregatis Canonicis, & clericis Maioris Eccleſiæ Capuanæ in choro ipſius Eccleſiæ Capuanæ, vbi pluſquam duæ partes exiſtebant, necnon Archipresbyteris, Sacerdotibus, & clericis ipſius ciuitatis Capuæ, & eius Diœceſis pro maiori, & ſaniori parte in eodem choro ſimiliter congregatis, ad (A) quaternam pulſationem Campanæ, vt moris eorum eſt, de mãdato Reuerendi in Chriſto patris, & Domini Domini Stephani Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Capuani Archiepiſcopi pro tractandis eorum vtilitatibus, & commoditatibus, ibique coram Canonicis de Capitulo eiuſdem maioris Eccleſiæ Capuanæ prædictis, ac Archipresbyteris, Sacerdotibus, & clericis ipſius ciuitatis, & eius Diœceſis iam dictis, congregatis in choro eiuſdem maioris Eccleſiæ Capuanæ præfatus Dominus Archiepiſcopus expoſuit viua voce, quod olim ex poteſtate ſibi traddita per Canonicos de Capitulo ipſius Maioris Eccleſiæ Capuanæ prædictum, ac totum clerum ipſius Ciuitatis, & eius Diœceſis vt ſupra, ſuper Taſſatione, & renouatione taſſationis decimæ facienda per eum, ſeu alium, vel alios deputandos in taſſatione ipſa, ſecundum facultates fructuum, beneficiorum ipſorum, certos deputauit taſſatores, prouiſores, & appretiatores quõdam Abbatem Lillum de Angelo, & Donnum Dominicum de Blaſio clericos ipſius maioris Eccleſiæ Capuanæ ſuper facultatibus, fructibus, iuribus, redditibus, & prouentibus tam menſæ ſuæ Archiepiſcopatus, ac dicti Capituli eiuſ- A

dem

dem maioris *Eccleſiæ* Capuanæ, quam aliarum *Eccleſia*rum,& beneficiorum ipſius Ciuitatis,& eius Diœceſis, vt habita informatione per eos de annuis valoribus; tam dictæ menſæ ſuæ, ac dicti Capituli quam aliarum *Eccle*ſiarum,& beneficiorum ſecundum facultates dictæ menſæ ſuæ,& dicti Capituli, ac aliarum *Eccleſiarum*, monaſteriorum, & beneficiorum ciuitatis, & eius Diœceſis ſummam decimæ, quæ debetur Apoſtolicæ Cameræ pro modo facultatum vniuſcuiuſque taſſarent inter ipſum Dominum Archiepiſcopum pro menſa ſua Archiepiſcopatus prædicta,& præfatum Capitulum, ac alios beneficiatos, & monaſteria, cum eodem Domino Archiepiſcopo in decimis papalibus, & alijs oneribus concurrere debentia, ipſius ciuitatis,& eius Diœceſis: *E*xpoſuit etiam præfatus Dominus Archiepiſcopus ibidem, quod dicti deputati per eum prouiſores, appretiatores,& taſſatores procedentes ad inquiſitionem omnium facultatum tam dictæ menſæ ſuæ Archiepiſcopatus, ac dicti capituli eiuſdem *Eccleſiæ* Capuanæ, ac aliarum *Eccleſiarum*, Monaſteriorum, & beneficiorum ipſius ciuitatis,& eius Diœceſis adhibita per eos informatione diligenti de annuis valoribus, ac facultatibus tam dictæ menſæ ſuæ Archiepiſcopatus ipſius *Eccle*ſiæ Capuanæ, ac dicti capituli, quam aliarum *Eccleſiarum*, & beneficiorum, ac monaſteriorum ipſius ciuitatis,& eius Diœceſis, dictam ſummam aſcendentem ad decimam, quæ debetur Apoſtolicæ Cameræ per ipſum Dominum Archiepiſcopum, ac dictum capitulum, ac alios beneficiatos, pro *Eccleſijs*, & beneficijs ipſius ciuitatis, & eius Diœceſis prout taſſari, & contribui debuit in decima ipſa ſecundum facultates eorum taſſauerunt, & fecerunt particulariter,& diſtinctè prout infra deſcribitur: ipſamque taſſam factam per deputatos eoſdem, præfatus Dominus Archie-

piſco-

piſcopus publicè legi fecit, ac inſpici, videri, & diſcuti inter Canonicos de Capitulo prædictos, & alios Archipresbyteros, Sacerdotes, & clericos memoratos, ipſaq; taſſatione inter eos viſa, & diſcuſſa, ac diligenter examinata tanquam idonea, æqua, & iuſta fuit ab omnibus ſupradictis generaliter approbata, ipſamq; taſſationem factam, vt præ[illegible]gitur infraſcriptā prout in ſolutione prædicta vnius integræ decimæ, ac alijs oneribus quoquomodo eis incumbentibus vnanimiter, & concorditer deliberauerunt, & decreuerunt inuiolabiliter oſſeruari, & ſecundum taſſationem infraſcriptam præfata pro infraſcriptis *E*cclefijs, & beneficijs, ac monaſterijs tā in decima prædicta, quam in alijs oneribus quibuſcumq; pro tempore eis incumbentibus, quoque modo concurrere, & contribuere, ac ſoluere ſingulis vicibus tam per ipſum Dominum Archiepiſcopum pro menſa ſua Archiepiſcopatus, & dictum capitulum, quam alios beneficiatos quoſcunque infraſcriptarum *E*ccleſiarum, monaſteriorum, & beneficiorum firmiter debeant: *E*ccleſiæ verò, & beneficia, ac monaſteria cum taſſationibus, quæ aſcendunt ad ſummam prædictam vnius integræ decimæ, hæc eſſe noſcuntur. In primis Dominus Archiepiſcopus Capuanus pro menſa ſua Archiepiſcopatus in vna integra decima taſſatur in vntijs trig[illegible]nta: Capitulum Maioris *E*ccleſiæ Capuanæ taſſatur in vntijs quindecim: Item capitulum (B) ciuitatis Capuæ extra chorum *E*ccleſiæ Capuanæ taſſatur in vntijs ſex: Item Archipresbyteratus terræ Lanei cum Sacerdotibus, & iaconis ſuis in vntijs duabus: Item Archipresbyteratus terræ Canciæ cum Sacerdotibus, & iaconis ſuis in vncia vna, & tarenis quindecim: Item Archipresbyteratus terræ Capuanæ, cum Sacerdotibus, & iaconis ſuis in tarenis duodecim: Item Archipresbyteratus Caſtri Murroni, cum Sacerdotibus, & iaconis ſuis in tarenis otto: Item monaſterium ſan B

cti Angeli in formis propè Capuam in vncijs ſex: Item monaſterium ſancti Benedicti in Capua in vncijs quinque: Monaſterium ſanctæ Mariæ monialium in Capua in vncijs ſex: Monaſterium (C) S. Ioannis monialiũ in Capua in vncijs quatuor: Monaſterium ſanctæ Mariæ de Magellis in Capua in vncia vna, & tarenis quindecim: Monaſterium ſancti Vincentij in Capua in vncia vna, & tarenis quindecim: Monaſterium ſancti Laurentij in Capua in tarenis ſeptem, & granis decem: Monaſterium Trinitatis Cauenſis in Capua in tarenis ſeptem, & granis decem: Hoſpitale ſancti Lazari in Capua in tarenis decem: Rectoria ſancti Andreæ de portu Fluuiano in tarenis quindecim: R. S. Saluatoris minoris in tarenis quatuor: R. ſancti Martini ad Iudaicam in tarenis tribus: R. ſancti Marcelli minoris in tarenis quatuor: R. *E.* ſanctæ Mariæ de porta in tarenis duobus: R. *E.* ſanctæ Mariæ in Abbatis in tareno vno, & granis decem: R. *E.* ſancti Andreæ de Maximiliana in granis decem: R. *E.* ſancti Leucij in vncia vna, & tarenis ſex: R. E. omnium Sanctorum in tarenis nouem: R. E. ſancti Pauli propè flumen in tareno vno, & granis decem: R. ſancti Laurentij ad Crucem in tarenis decem: R. E. ſancti Petri ad Ciguaniſcos in tarenis ſex: R. E. ſancti Andreæ de Polita in tarenis tribus: R. ſancti Ioannis ad Curtim in tarenis duodecim: R. E. ſancti Saluatoris Maioris in vncia vna: R. E. ſancti Bartholomei de Arcu Loiſij in tarenis quatuor, & granis decem: R. Medietatis E. ſanctæ Mariæ de Petris erectis, in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Coſmæ de Porta noua in tarenis quatuor, & granis decem: R. E. ſancti Ioannis ad Turripaldi in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Pamphili in tarenis duobus: R. E. ſancti Leonardi in tareno vno, & granis decem: R. E. Sanctorum Apoſtolorum in tarenis quatuor: R. E. ſancti Angeli Adildiſcos in tarenis quatuor, & granis decem: R. *E.*

Digitized by Google

R. E. ſancti Marcelli Maioris in vncia vna, & tarenis ſex: R.E. ſanctæ Scolaſticæ in granis duodecim: R. E. ſanctorum Philippi, & Iacobi in tarenis duobus: R.E. ſancti Bartholomei ad monterone in tarenis duobus: R. E. ſancti Rufi in tarenis quinque: R.E. ſancti Nazarij in tarenis nouem, & granis decem: R. E. ſancti Michaelis ad Curtim in tarenis nouem, & granis decem: R. ſancti Heraſmi ad Iudices in granis quindecim: R.E. ſancti Germani in tarenis quindecim: *R.* E. ſancti Nicolai ad Iudaicam in tareno vno, & granis decem: *R.*E. ſancti Benedicti pizzuli in tarenis tribus, & granis decem: *R.* Cappellæ ſancti Pauli conſtructæ in Archiepiſcopali hoſpitio in tarenis nouem: *R.* E. ſancti Auguſtini de Capua veteri in tarenis viginti duobus, & granis decem. In terra Lanei v3. R. E. ſancti Priſci in tarenis quatuor: *R.*E. ſancti Elpidij in tarenis tribus: R.E. ſancti Auguſtini in tarenis quatuor; *R.* E. ſancti Michaelis de villa Curtim in tarenis tribus: *R.* E. ſancti Ioannis de villa Campuli in tareno vno, & granis decem: *R.* E. ſancti Martini de villa Maceratæ in tarenis ſeptem, & granis decem: *R.*E. ſancti Marcelli de villa Muſicili in tareno vno, & granis x. R. E. ſancti Marci de dicta villa Muſicili in tareno vno, & granis decem: *R.*E. ſancti Heraſmi de turri in tareno vno, & granis decem: *R.*E. ſancti Petri de villa Portici in tarenis quatuor: *R.* E. ſanctæ Mariæ de villa Caſaluæ in tarenis quatuor: *R.*E. Sanctorum Angeli, & Martini de villa Martianiſij in tarenis quatuor, & granis decem: *R.*E. ſancti Procopij de villa campi cipri in tareno vno, & granis decem: *R.*E. ſanctæ Iulianæ de villa Airolæ in tarenis duob. *R.* E.S. Nicolai de villa prædicta Ayrolæ in tareno vno, & granis decem: *R.* E. ſancti Giorgi de villa Cuzzoli in tareno vno, & granis decem: R.E. ſancti Marci de villa Vicuſgaudij in tareno, & granis decem: *R.*E. ſanctæ Mariæ de villa Iullanelli in tareno vno, & gra-



Digitized by Google

nis decem: R. E. ſancti Ioannis de villa Picugnani in tarenis quatuor: R.E. ſancti Anelli de villa ſancti Anelli in tareno vno: R. E. ſanctæ Luciæ de villa ſanctæ Luciæ in tarenis tribus: R.E. ſancti Tammari de villa ſancti Tammari in tarenis tribus: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Vrticella in tarenis ſex: R. E. ſancti Andreæ de campo ſancti Andreæ in tarenis duobus, & granis decem: R. E. Sancti Viti de Villa Herculc in tarenis quatuor: R.E. Sanctæ Mariæ de Villa Caſacellulæ in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Stephani de Capua veteri in vncia vna, & tarenis ſex: RR. Eccleſiarum Ruralium terræ Lanei v3. R.E. ſancti Ioannis de banila in granis duodecim: R. E. ſanctæ Mariæ ad quaranta in tareno vno, & granis decem: R.E. ſancti Stephani ad Siſſanta in granis decem: R.E. ſancti Quirici de . . . in tareno vno: R. E. ſancti Nicolai de villa Caſapulli in granis quindecim: R.E. ſancti Nicolai in Iullanello in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Petri ad pumarum in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Ioannis ad rumulum in granis ſex: R. E. ſancti Saluatoris propè villam Vicuſgaudij in granis duodecim: R. E. ſanctæ Eufemiæ de Caſanoua in granis quindecim: R.E. ſancti Felicis de villa ſancti Priſci in granis duodecim: R. E. ſancti Martini de aqua ſparta in tarenis ſex: Beneficia dependentia, v3. Beneficium ſancti Pauli in hoſpitio Archiepiſcopali, in tareno vno, & granis quinque: R.E.S. Saluatoris ſitum in villa Vrticella in tareno vno: Beneficium aliud ſancti Saluatoris ſitum in villa Cauæ in tareno vno: aliud Beneficium ſancti Saluatoris in grana decem: Beneficium ſancti Leucij ſitum propè ſanctam Mariam Maiorem, in tarenis tribus: Beneficium ſancti Andreæ de portu flauiano ſitum propè villam Ricali in tareno vno: aliud Beneficium ſancti Andreæ ſitũ propè ſanctum Nicolaum de ſtrada in granis decem: aliud Beneficium, quod dicitur

terra

terra de petra mala, in tarenis tribus: Beneficium ſancti Bartholomei de arcu loiſij ſitum propè Reſronſula in granis decem: Item terra Cantiæ v3. R. E. ſanctæ Mariæ de Caſtro Maris in granis quinque: R. E. ſancti Caſtrenſis, & ſancti Martini de . . . . in tarenis tribus: R. E. ſanctæ Barbaræ de villa Caſtellutij in tarenis duobus, & granis decem: R. E. ſanctæ Iulianæ de dicta villa in tarenis tribus, & granis decem: R. E. ſancti Martini de villa roſellæ in tarenis quatuor, & granis decem: R. E. ſancti Stephani de villa Caſanouæ in tarenis tribus: R. E. ſancti Ioannis ad Turrim in tarenis quatuor: R. E. ſancti Laurentij de villa Garzani in tareno vno, & granis decem: R. E. ſanctæ Crucis de dicta villa Garzani in tarenis ſex: R. E. ſancti Giorgi de dicta villa in tarenis duobus: R. E. omnium Sanctorum de villa Cancielſi in tarenis tribus: R. E. ſancti Martini de villa Britiæ in tarenis tribus: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Maranni in tarenis tribus: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Aenoni in tarenis decem: R. E. ſancti Andreæ de dicta villa tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Heraſmi de villa Cactoli in tarenis tribus: R. E. ſanctæ Maſſimilianæ de villa Grazzaniſij in tarenis duodecim: R. E. ſanctæ Mariæ de Foſſæ in tarenis otto: R. E. ſancti Heraſmi de dicta villa in tarenis tribus: R. E. ſancti Nicolai de dicta villa in tarenis duobus: R. E. ſancti Petri de villa Amiriani in tarenis duobus: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Longi in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Nicandri de dicta villa in tarenis duobus: R. E. ſancti Apollinaris de terra Cantiæ in tarenis viginti duobus, & granis decem: R. E. ſancti Ioannis ad Petrazzanum in tarenis quatuor: R. E. ſancti Paris de villa à Cellaiulo in tareno vno, & granis decem: Beneficium Campi ſancti Stephani in tarenis ſex. In terra Capuana v3. ſancti Ioannis de villa Paroliani in tarenis quatuor, & granis decem: R. E. ſancti Secundini de villa ſancti

Secun-

Secundini in tarenis duobus, & granis otto: R. E. ſanctæ Mariæ ad Rotam de villa Leborani in tarenis duobus, & granis decem: R.E. ſancti Nicolai de villa Camilliani in tareno vno: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Tituni in tarenis duobus: R.E. ſancti Secundini de villa Bellonæ in tarenis duobus, & granis decem: R.E. ſancti Viti ad Palmentatam in tarenis duobus: R. E. ſancti Clementis de villa ſancti Clemētis in tareno vno, & granis ſexdecim: R. ſancti Germani de Pizzone in granis duodecim: R. E ſancti Laurentij de villa ſancti Laurentij in granis decem: R. E. ſanctæ Mariæ de villa Vitulatij, & ſancti Silueſtri in Capua in tarenis tribus. Nomina Eccleſiarum campeſtrium v3. R. E. ſancti Petri ad Raitum in granis decem: R. E. ſanctæ Mariæ de Campoliſio, in granis decem & otto: R. E. ſancti Ioānis ad Paldiſcos in tareno vno, & granis decem: R. E. ſanctæ Mariæ de preta mala in granis duodecim: R. E. ſancti Simeonis à Bozzolam in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Laurentij ad plumarum in tareno vno, & granis ſexdecim: R. E. ſancti Angeli de glutta in tarenis tribus: R. E. ſancti Felicis ad paludem in tarenis tribus: R. E. ſancti Petri ad venulam in tareno vno. R. E. ſancti Petri, & . . . . . in tarenis duobus, & granis quatuor: R. E. ſancti Nazarij ad Rumagnanum in tareno vno, & granis quatuor: Beneficium de Petris latis in tarenis ſex: R. E. ſancti Giorgij de Vitulario in tareno vno, & granis decem. R. E. ſancti Potiti propè Campuliſium in . . Caſtri murroni v3. R. E. ſanctæ Mariæ in valle Murroni in tarenis quatuor, & granis decem: R. E. ſanctæ Lucæ in tareno vno, & granis decem: R. E. ſancti Petri in tarenis tribus. R. E. ſancti Felicis in granis ſexdecim: Quibus omnibus ſic peractis tam Dominus Archiepiſcopus, quam alij Canonici de Capitulo ipſius Eccleſiæ Capuanæ, & alij Presbyteri, Archipresbyteri, & Clerici ſupradicti me prædictum

dictum Chriſtoforum Merulum Canonicum Capuanum publicum Apoſtolica auctoritate Notarium requiſiuerunt, & rogauerunt attentè meum ſuper hoc officium . . . . omnibus pro futuri temporis memoria, & omnium quorum intereſt, & poterit intereſſe, certitudinem, & cautelam facere deberem publicum Inſtrumentum, quorũ requiſitiones, & preces ego prædictus Chriſtophorus vtpotè admictens vt iuſtas, de præmiſſis omnibus præſens ſcriptum publicum conficere curaui, præſentibus Notario Iacobo de Cancello, & Notario Maſſutio Notarii Annibalis teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis.

Ad quaternam, &c. *Nota modum antiquum congregandi vniuerſum clerum Ciuitatis, & Diœceſis, quando aliqua emergebant negotia, ſingulos quoſq; tangentia.* A

Capitulum ciuitatis Capuæ extra chorum. *Hac noſtra ætate vulgariter dicimus l'eſtrachoro, & intelligimus clerum Ciuitatis extra Cathedralem Eccleſiam. Ipſam verò cleri, quam hodie dicunt Congregationem, Capitulum appellatum eſſe, & appellari poſſe hinc apparet: Similiter legi in in alia quadam recentiori Taſſa.* B

*Igitur ſemper vnus fuit Archipresbyter Vrbanus, & quatuor rurales, ideſt in terra Lanei, in terra Canciæ, in terra Capuana, in terra Murroni. Cãcia antiquitus dicebatur terra citra, & vltra flumen verſus mare; ſicut terra vltra Laneum verſus Veſuuium Neapolim, & Patriam dicebatur Liburia. Hodie quicq; ad Archipresbyteratum terræ Canciæ pertinet terra intra viam nouam Neapolitanam, & flumen; & terra vltra flumen verſus Mare. Terra Capuana eſt vltra flumen, verſus montes, ſed inueni dictam terram Capuanam locum, qui dicitur alla fontana del* Rè.

Monaſterium ſancti Ioannis. *Licet in hac Taſſa Monaſte-* C

*naſterium ſancti Ioannis taxatum fuerit in vncijs quatuor, ideſt in ducatis viginti quatuor: tamen ſequenti tempore, reclamante Abbatiſſa Vrſolina de Maio anno 1539. obtinuit moderationem à Domino Papa, & ad decem ducatos redacta fuit antiqua Taſſa: & ita in libris etiam Nunciaturæ apud Neapolim reperitur annotatum.*

*In hoc Inſtrumento, & Taſſa omittuntur nomina plurium Eccleſiarum, quæ abſq; vllo dubio antiquiſſimæ ſunt, & ante hunc annum 1375. reperiuntur in alijs inſtrumentis nominatæ. Omittuntur Eccleſia ſancti Petri ad pontem, ſancti Ioannis nobilium, ſancti Thomæ Apoſtoli, & in Diœceſi ſanctæ Mariæ Maioris, ſancti Petri ad corpus, ſancti Secundini de Sauignano, ſancti Ioannis de Grazzaniſio. Quidnam cauſæ eſſe potuit, nè Rectoriæ harum eccleſiarum taxarentur? An fortaſſe hæ ſolæ eccleſiæ rectorias non habebant? Profectò ex effectu cognoſcimus cauſam, cognoſcimus (inquam ex hac Taſſa & aliundè certiſſimò conſtat) Rectorias illas prætermiſſas eſſe, quia iam olim annexæ fuerunt eccleſiæ Cathedrali. Eſt ſanctæ Mariæ Maioris Rectoria Archiepiſcopali menſe annexa, aliarum verò menſæ Capitulari: ſicus intra ciuitatem Rectoria ſanctæ Crucis annexa monaſterio Monialium ſanctæ Mariæ. Et profectò de annexione ſanctæ Mariæ Maioris, præter ea quæ diximus in ſancto Symmacho, nuper in inuentario facto ab Ingeranno Archiepiſcop. ann. 1316. inuenimus fol. 304. hæc ipſa totidem verba:* Eccleſia ſanctæ Mariæ Maioris eſt & pertinet dictæ Maiori Eccleſiæ Capuanæ, cuius oblationes cum decima, & fructibus iardeni ipſius Eccleſiæ valent, & vēdi conſueuerunt per annū vncijs 34. quandoq; plus, quandoq; minus. *Non ergo taxari oportuit Rectorias illas, cum, habita ratione fructuum, ex illis ad Archiepiſcopum, & ad Capitulum prouenientium, taxata ſit Archiepiſcopalis, & Capitularis menſa. Omittitur etiam Eccleſia*

*ſancti*

Digitized by Google

*ſancti Marcelli de Caturano, & ſancti Michaelis de Caſanoua. Non eſt cogitandum eccleſiam ſancti Marcelli poſt hanc taxam erectam eſſe, cum villa Catorani ſit multùm antiqua & extaret in terra Lanei anno 1272. ſicut docent inſtrumenta Monialium ſancti Ioannis, cogitandum potius alteri eccleſiæ, nobis ignota rectoriam olim vnitam.*

*Fortaſſe vnita sancto Marcello maiori intra Capuam: antiquitus enim eccleſia Diœceſis ſolebant vniri eccleſijs exiſtentibus in ciuitate, vt ſupra habuimus in S. Franciſco, eccleſia S. Petri ad Monteronem intra Capuam fuiſſe vnitam eccleſiam S. Petri ad corpus. Accedit coniectura (etſi leuis) ex campo ſancti Marcelli maioris propè Caturanum. Eccleſia verò S. Michaelis de Caſanoua an habuerit aliquãdo Rectoriã, nõ cõſtat, quia videtur illa Eccleſia à monialib. S. Ioannis pro ipſarum cõmodo antiquitùs conſtructa fuiſſe.*

## Catalogus Comitum, & Principum Capuæ.

*CVM in Sanctuario ſæpius mentio Principum Capuanorum inciderit; gratum, imò neceſſarium arbitror Comitum, Principumq; Catalogum à me elaboratum attexere. Præmitam Caſſinenſe M.S.C. 135. quem Pater D. Euſebius à Capua exſcriptum ad me iampridem miſerat, quodq; nunc opera P. Caraccioli Clerici Regularis impreſſum extat; ita ſe habet.*

Landulfus Senior tenuit Capuã veterem an. 25. menſibus 4. & fecit ciuitatem nouam in monte Triſiſco, quam dominatus eſt anno vno, & menſibus octo, quo deficiente ſucceſſit Lando filius eius, & dominauit iam dictam ciuitatem ann. 13. menſibus nouem: qui nono menſe, antequam moreretur ad pontem Theudæ multos virili certamine Neapolites interfecit, cepitq; nongentos. Cum autem cremata eſſet ciuitas Capuæ ab igne venit cum fratribus ſuis Landone, Pandone, Landolpho Epiſcopo, &



Digitized by Google

Landenolpho ad pontem caſulini, & condiderunt ibi ciuitatem, quæ nunc eſt Capua, in qua iam dictus Lando vixit ann. 4. menſ. 9. & defunctus eſt, cui ſucceſſit Lando filius eius, & tenuit Capuam menſ. ſex, & proiectus eſt de eadem ciuitate à Pādone Thio ſuo, qui Pando tenuit Comitatum Capuanæ ciuitatis ann. vnum menſes quatuor cui ſucceſſit in regimine iam fatæ ciuitatis Landolphus Epiſcopus frater eius, quam dominauit annis tribus, & menſibus nouem, quibus expletis venit Ludouicus Imperator in Capuam menſe nono & adijt Barium, ſuper quam ſedit ann. 4. & cepit eam, ſimulq; Seodam Regem Saracenorum, cum aliis plurimis, qui Beneuentum reuerſus, captus eſt à Beneuentanis menſe Auguſto, ſed dimiſſus ab eis diſtrictus Sacramentis, receſſit à Beneuento, & infra tres dies, ac noctes habuit Berole, in qua deguit menſ. vndecim. Inter quos poſtulatus à Landulpho Epiſcopo, iterum venit, & per quoſdam Comites ſuos, antequam ille Capuam aduenirer, multi interfecti ſunt Saraceni, ita vt de 12. millibus pauci remanerent, qui à magno exercitu Saracenorum ſuper Salernum reſidente, venerunt, ſed audientes mortem proximorum ſuorum, rurſum paululum ſuper eandem ciuitatem commorantes, reuerſi ſunt in terram ſuam. Ludouicus Imperator hoc audiens, quia volebat ire ſuper eos, reuerſus, eſt Capuam, in qua vno anno commoratus, reuerſus eſt in Franciam in qua eodem anno defunctus eſt. Landulphus autem Comes, & Præſul ante aduentum iam fati Imperatoris, & poſt deceſſum eius tenuit Capuam ann. 12. quo recidente Pandenolphus nepos eius factus eſt Comes Capuæ, & Landolphus filius Landonis factus eſt Epiſcopus eodem tempore: ſed ſuggerente aduerſario Chriſtianæ fidei facta eſt in eodem anno diuiſio eiuſdem Epiſcopatus à iam dicto Pandenolpho, qui odij, & inuidiæ accenſus ardore, Lande-

nulphum

Digitized by Google

nulphum fratrem ſuum laicum inordinatè tondens, direxit Romam, eumque à Ioanne Papa multa prece depoſcens, Epiſcopum fecit: qua de re non parua inter parentes vtrorumque Epiſcoporum diſcordia nata eſt, ita vt odium fieret plurimo valens tempore. Denique Ioannes Papa tali comperto flagitio, aduenit Capuam, & vt diſcordem ad concordiam reuocaret, diuiſione facta, vtrumque conſtituit, ideſt in ciuitate Capuæ Landenolphum Epiſcopum: Landolphum verò Epiſcopum in ſancta Maria, cognomento Suricorum, & facta pace inter eos, ſed paulum perdurante, Romam reuerſus eſt ad ſedem propriam: Iterumq; facta eſt inter eos diuiſio, quam non poſt longum tempus pax ſequuta eſt: Denique iam factus Pandenolphus completis in Comitatu annis tribus, & menſibus octo, fecit conuiuium cunctis parentibus ſuis pluribus, eos Sacramentis alligans, vt ei quolibet modo nocerent, ſed ſtatim periurantes cœperunt eum, & diuiſerunt inter ſe comitatum Capuanum, & Landolphus Epiſcopus adeptus eſt in totum Epiſcopatum, Lando autem pater Landolphi Epiſcopi factus eſt Comes Capuæ ann. duos, & menſes decem, cui ſucceſsit Landenolphus frater eius, vicem illius tenens ann. vno, menſ. quatuor, quo viuo decedente menſe Ianuario, cepit Capuam Athenolphus Comes qui ann. 13. mirificè regens, poſtea factus eſt Princeps Beneuenti, complenſq; in Principatu annos decem, & menſes ſex, vita priuatus, reliquit eum filijs ſuis Domino Landulpho, & Domino Athenulpho Chriſtianiſsimis Principibus. Secundo anno poſtquam Comes Capuæ factus eſt Dominus Athenulphus, commiſſum eſt prælium inter Capuanos, & Neapolites in Liburia ad ſanctum Carterium; ſed ita interfecti Neapolites à Capuanis vt valdè pauci remanerent ex eis, inter quos Neapolites Græci, & Saraceni fuerunt pro adiutorio eorum. Indictione ſexta poſt dies vn-



Digitized by Google

decim capitur Beroalis à Domino Athenulpho, eadem hebdomade Aio Princeps cum quodam patritio Conſtantinopolitano ex vtraq; parte certatim pugnantes, ad poſtremum ille patritius victor effectus eſt. *Hactenus M.S. Caſſinenſe. Nunc ſcito me in conſignandis temporibus*

*Incar.* *vſum duplici ſigno; vnum eſt annus ædificatæ Capuæ nouæ,*
*anno* *ideſt annus 856. ex Chr. Caſſ. alterum eſt Indictio ſignata*
*curr.* *in Inſtrumentis monialium S. Ioannis.*

856 *Lando Comes, Capuæ nouæ conditor, filius Landolfi Co-*
861 *mitis in Capua veteri, & in monte Triſiſco, conditam Capuam tenuit an. 4. & menſ. 9.*

861 *Lando II. filius I. Landonis, poſt ſex menſes expul-*
862 *ſus à Pandone Patruo ſuo, comitatum amiſit.*

862 *Pando frater Landonis I. & expulſor Landonis II.*
863 *tenuit Capuam anno vno, & menſ. 4.*

863 *Landulfus I. Epiſcopus in Capua noua, frater Landonis*
878 *I. & Pandonis, & Patruus Landonis II. tenuit comitatum per annos 15. & menſ. 9. Poſt tres annos, & menſ. nouem, ideſt anno 866. Ludouicus Imperator venit Capuam. Concordat Candin. Baronius.*

878 *Pandenolfus nepos Landolfi Epiſcopi. Hic, cum dicatur*
882 *nepos Landolfi Epiſcopi, fuit filius Pandonis, vt habet Herempertus. Hic fuit auctor ſchiſmatis in Eccleſia Capuana. Noſtræ annorum ſupputationi concordant Epiſtola Papæ Ioan. VIII. De hoc Chr. Caſſ. lib. 1. cap. 42.*

882 *Lando III. hic fuit pater Epiſcopi Landolfi, electi poſt*
885 *mortem Landolfi Epiſcopi, & Comitis. Qui tenuit Capuam an. 2. & menſ. 10.*

885 *Landenolfus frater Landonis III. viuens Comitatum*
886 *dimiſit poſt ann. vnum, & menſes 4.*

886 *Athenolfus Comes ex Caſtaldo. De hoc Chr. Caſſ. lib. 1.*
887 *cap. 48. & infra.*

*Princi-* *Hic Athenolfus Comes poſt ann. 13. & proinde vel ann.*
*patus.*

889.

Digitized by Google

889. egrediente, vel 900. ingrediente, factus eſt Princeps Beneuenti, & reſidens Capuæ, voluit appellari Beneuentanorum, & Capuanorum Princeps. Hic ab initio ſui Principatus conſortem habuit Landolſum filium ſuum: Deinde anno 910. aſſumpſit ad principandum alterum filium, Athenolſum nomine: circa eundem annum 910. miſit Landolſum filium, & Principem ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, vt Saracenorum expulſione tractaret: quo manente Conſtantinopoli, ipſe pater Athenolſus obijt Capuæ ann. 911. 889 911

Landolfus primogenitus Athenolſi anno 911. ab Imperatore Conſtantinop. creatus eſt Patritius. Hic, mortuo patri, principatus eſt cum Athenolſo fratre, & deinde cum altero Athenolſo filio ab anno 933. & deinde cum altero Landolſo, etiam filio, ab anno 940. Hunc arbitror obijſſe anno 943. quando Landolfus filius eius aſſumpſit ad principandum Paldolſum filium ſuum. 911 943

Landolfus II. Landolſi modo dicti filius, & Athenolſi I. nepos ab anno 940. principari cœpit, aſſumptus à patre: Anno 944. vel egrediente 43. Paldolſum filium Principatu decorauit: & anno 959. Landolſum ſecundogenitum: creditur mihi, mortuus ante annum 960 quo Paldolſus, & Landolfus fratres abſque illo principabantur. 943 960

Paldolſus, cognomento Capiteferreo ſucceſſit patri Landolſo II. cum quo principari cœperat ab anno 944. Principatus conſortem habuit Landolſum fratrem. Ann. 969. coaſſumpſit Landolſum filium. Sub hoc Principe Eccleſia Capuana facta eſt Metropolis à Ioanne Papa XIII. & Monaſterium Monialium ſancti Ioannis conſtructum eſt ab Aligerno Abbate Caſſinenſi circa annum 966. vt colligitur ex vita ſancti Nili mortuus eſt, hic verè magnus Princeps anno 980. 960 980

Lan-

980 *Landolſus III. filius Paldolfi, qui cum patre principa-*
983 *tus eſt ab ann. 969. mortuus eſt in Calabria dimicans cum Othone contra Saracenos ann. 983. in qua pugna occubuit etiam frater eius Athenolſus. Chr. Caſſ. lib. 2. cap 9.*

983 *Landenolſus filius Paldolfi, principari cæperat vnà cum*
991 *fratribus ab anno 982. & ab Othone principatus confirmationem accepit viuente Aloara matre ſua. Hic anno 990. ſeu 991. nequiter occiſus eſt propè Eccleſiam ſancti Marcelli. Eius innocentiam teſtatus eſt Dominus: nam vt legitur in citato M.S. Caſſinenſi,* Concilium fecerunt Capuani qualiter interficerent Landenolfum Principem filium Paldolfi eximij Principis: quod effecerunt, dum procederet ad ſanctum Marcellum peractis Miſſarum ſolemnijs à Præſule eiuſdem ciuitatis, Aio nomine, egreſſus prædictus Princeps foras Eccleſiam, irruerunt in eum, proh dolor, cum gladijs, & fuſtibus interfecerunt eum, atque exutum veſtibus, nudum in platea eum reliquerunt. Quem rapientes monachi ex monaſterio ſancti Benedicti, in eodem monaſterio ante ſecretarium eum ſepelierunt. Archiepiſcopus vero ſupradictus fugit in iam dicto monaſterio, quem etiam poſtea ibidem iam dicti Capuanites veneno perimerunt, ſepultuſq; eſt ante Regia ſecretarij. Sed Omnipotens Deus illis, qui hunc innocentem peremerunt Principem, oſtendere eſt dignatus, quia in ſuo eum regno recepit: nam quadam die claudus quidam ad eius ſepulchrum veniens, obnixè Chriſtum rogare cæpit, atque intercess. . . . Dominum Landenolfum Principem, cuius corpus illic requieſcebat, qui etiam ſine cauſa à ſuis occiſus fuerat, ei priſtinam ſanitatem reddere dignaretur: mira res; ſtatim ſuper eodem ſeplchro ſoparatus, totam quietauit noctem: mane autem facto ita ſanus ſurrexit, ac ſi nullam debilitatem membrorum vnquam habuiſſet.

991 *Laidolſus, Landenolſo fratri ſucceſſit: hic anno 996. quie-*

te

ſe in principatu viuebat, illo etiam anno, qui erat nonus 996
Manſoni Abbati Caſſinenſi, priuilegium quoddam Caſſinen- 1000
ſi Monaſterio conceſſit. Chron. lib. 2. cap. 14. Hic tandem ab Othone III. Imperatore depoſitus eſt, eo quod in fratris necem conſenſiſſe videretur. Vt ego ſentio depoſitus eſt anno Milleſimo, ideſt in ſecundo aduentu Othonis in Italiam, quando ad Garganum perrexit: ita ſentio, tum quia in primo aduentu Otho an in Campaniam venerit, ignoratur: tum quia illo anno, vt modo notauimus, Laidolfus in principatu pacificè videbatur viuere: tum quia in noſtris inſtrumentis habemus Indictione 14. nomen Principis Vuaimarij, principantis anno primo, qui non poteſt eſſe niſi annus milleſimus primus.

Aldemarius filius Balſami, Othonis III. Imper. fami- 1000
liaris, depoſito Laidolfo, principatum accepit, ſed non multo 1001
poſt, inquit Chr. lib. 2. cap. 15. à Capuanis principatu depellitur, ſcilicet anno (vt ego ſentio) milleſimo primo poſt menſem Maium. Hic eſt qui in Inſtrumento dicitur Vuaimarius. Nec facienda eſt multa vis in modo pronunciandi illa nomina barbara; Paldulſus, Pandolfus, Paldulfus, & Pandulfus, vnum idemq; nomen eſt: & vt aculatus pater Caracciolus in Nomenclatore ad Herempertum annotauit, Godefredus, Giffredus, Ioffredus & Loffredus idem nomen eſt; & ita Vuaimarius, Aldemarius, Guaimarius non erunt diuerſa nomina.

Paldolfus cognomento de ſancta Agatha, filius Landolfi 1001
Beneuentani Principis, extincta iam recta linea Athenolfi Primi Principis, expulſoq; Aldemario, Principatum Capuanum obtinuit. Hic in Chr. lib. 1. cap. 20. appellatur Landulfus, ſed ex errore; debuit enim appellari Paldulfus, vt appellatur infra cap. 31. Hic anno 1005. Paldolfum filium Principem nuncupauit, & vnà principati ſunt ad annum vſq; 1022. quo anno ab Henrico Imper. depoſiti ſunt.

Pal-

Digitized by Google

1022 *Paldolſus Comes Theauenſis, depoſito Paldolſo, princi-*
1030 *patum accepit ab Henrico anno* 1022. *& principatus eſt cum filio ſuo Ioanne: Ioannes tamen ante ann.* 1030. *mihi videtur mortuus, cum ſolus Paldolſus illa Indictione nominetur in inſtrumentis. Hic poſt annum* 1025. *ſeu poſt ann.* 1027. *ideſt poſt primum annum Conradi Imperatoris, ſoluto à vinculis Paldolſo de ſancta Agatha, ad annum vſq;* 1030. *inquietè, & in armis viuens, tandem pulſus, Neapolim ſeſe recepit.*

1030 *Paldolſus de ſancta Agatha, reuerſus à Germania, prin-*
1031 *cipatum recuperauit: ſed non diù ſuperuixiſſe inde coniicio, quia Paldolſus filius ann.* 1032. *Landolſum filium ſuum principem fecit.*

1032 *Paldolſus filius Paldolſi, dicti de ſancta Agatha, qui cum*
[illegible] *patre principatus eſt ab anno* 1005 *hoc anno (mortuo iam vt creditur patre) Landolſum filium coaſſumpſit ad principandum: Sed anno* 1038. *ab Imperatore Conrado priuatus fuit, & ipſe aufugit Conſtantinopolim; ſed ab Imperatore Græco relegatus, in partibus illis manſit vſque ad obitum illius Imperatoris.*

1038 *Guaimarius Princeps Salernitanus, fugato per Conradum Imperatorem Paldolſo Principatus accepit honorem, quietè poſſedit, donec mortuus eſt Imperator Græcus, qui Paldolſum relegatum habebat, ideſt vſq; ad annum* 1041. *quo mortuus eſt Michael Imperator, poſt quem annum Paldolſus reuerſus eſt, & in armis fuit vſque ad annum* 1047.

1047 *Paldolſus vnà cum filio Landolſo, Principatum recupe-*
1049 *rauit ab Henrico II. Imperatore, Guaimario Salernitano renunciante: hic miſerè obijt anno* 1049.

1049 *Landolſus alter, filius vltimi Paldolſi, Principis nomen*
1056 *acceperat ab anno* 1044. *nam, & ſi pater eius Conſtantinopoli reuerſus, Capuam principatus Caput non recuperauit:*

*tamen*

Digitized by Google

*tamen habebat nonnullas ciuitates ſuæ parti fauentes, vt ex Chr.Caſſ.cap.68. & 74. colligitur: quare ante annum* 1047.*Princeps appellatus eſt à patre* P*aldolfo.*

*Hic extinguitur Capuæ dominium Longobardorum.*

C*Enſent eruditiſſimi viri Athenolphum, & ſucceſſores eius cum* C*apuano Beneuentanum quoq;* P*rincipatum obtinuiſſe: diſſentire nollem, contrarijs tamen vincor argumentis.* E*cce colloquium Luitprandi Epiſcopi* C*remonenſis cum Imperatore Græco habitum anno 968. oſtendit Principatus* C*apuanum, & Beneuentanum fuiſſe aliquando ſub vno viro* P*rincipe conſtitutos; at illo ipſo anno 968. vt duo erant Principatus, ita non vnius, ſed duorum diſtinctorum Principum extitiſſe. Accipe verba ex relatione apud Baronium anno dicto numero 16.* Terram (*verba ſunt Luitprandi ad Imperatorem*) quam Imperij tui eſſe narras, gens incola, & lingua Italici Regni eſſe declarat: Tenueruntque illam poteſtatiuè Longobardi; quam & Ludouicus Longobardorum, ſeu Francorum Imperator, de manu Saracenorum, multitudine proſtrata, liberauit. Sed & LANDVLPHVS Beneuentanorum, & Capuanorum Princeps ſeptennio poteſtatiuè eam ſibi ſubiugauit. *Infra num. xx.* Si vero amicitiam (*verba ſunt Imperatoris*) abſque parentela deſideratis, Romam liberam eſſe dominus tuus permittat, Principes autem, Capuanum ſcilicet, & Beneuentanum ſancti noſtri Imperij olim ſeruos, nunc rebelles, ſeruituti priſtinæ tradat. *Infra num.xxv*II. His expletis, ventum eſt ad nobiliſsimos Principes Capuanum, & Beneuentanum, quos ipſe ſeruos nominat, & ob quos inteſtinus ipſum agitat dolor; ſeruos (inquit) meos dominus tuus in tutelam recipit ſuam, quos ſi non dimiſerit, & in priſtinam ſeruitutem redegerit, noſtra amicitia carebit; ipſi in Imperium



Digitized by Google

noſtrum vt recipiantur flagitant, ſed recuſat eos noſtrum Imperium; vt cognoſcant, & experiantur quàm periculoſum ſit ſeruos à dominis declinaſſe, ſeruitutem effugere. Eſt & decentius domino tuo, vt mihi eos tradat amicus, quàm mihi dimittat inuitus. Experientur planè, vita comite, quid ſit herum fallere, quid ſit ſeruitutem deſerere, & puto ſentiunt nunc quod dico, operantibus hoc noſtris, qui ſunt vltra mare, militibus. *Et infra num. xxxiv.* vnum ſaltem, quod facere iuſta ratione poſſis, efficito, ſcilicet dominum tuum Principibus Capuano, & Beneuentano ſeruis meis, quos oppugnare diſpono, nullum conſilium collaturum. Sua qui non largitur, noſtra ſaltem dimittat. Noua res eſt quod eorum patres, & Aui noſtro Imperio tributa dederunt: at ad iſtos breui tempore fracturos Imperij noſtri exercitus laborabit. *Iſta ibi leguntur. Igitur* Pandolphus *Capoferreus* Capuæ *Princeps anno* 968. *Beneuentum non obtinebat: igitur Pandolphus Beneuenti Princeps, qui captiuus legitur fuiſſe apud Nicephorum Conſtantinopoli, atque inde dimiſſus anno* 971. *non eſt Capoferreus noſter Capuanus. Igitur anno* 968. *Capuæ, & Beneuenti dominabantur diſtincti Principes, diſtinctorum patrum filij, diſtinctorum Auorum nepotes. An clariora deſiderabimus? Ecce ex Caſſinenſi* Chronico *patet, Beneuentum illo tempore, quo Aldemarius* Princeps *Capuæ à Capuanis fuit expulſus, habuiſſe ſuum proprium, diſtinctumq;* Principem*, cuius filio,* Pandolpho *de ſancta Agatha nuncupato,* Capuani Princi*patum detulere. Inde etiam patet anno* 1011. Principan*tibus* Beneuenti *patre* Pandolphi*, & Capuæ* Pandolpho *ipſo filio, Athenolphum illius* Principis *Beneuentani alterum filium, & noſtri* Capuani *fratrem, Abbatia Caſſinenſi fuiſſe potitum.* Lege *Chron. lib. 2. cap. 15. & cap. 29.*

Hæc

*Hæc mihi ſatis clara videntur, & propterea videtur dicendum, poſt mortem Athenolphi I.* Principis Capuani, *filios eius Athenolphum, & Landolphum æquo iure Principatos* Capuæ, *& Beneuenti ſimul: deinde inter fratrueles, ideſt inter Athenolphi, & Landolphi liberos, diuiſos* Prin*cipatus; obtinuiſſeq; Beneuentanum Athenolphi liberos, Capuanum vero Landolphi. Ita iure optimo Luitprandus appellare potuit Landolphum Beneuentanorum, & Capuanorum* Principem*, licet ille conſortem principatus haberet Athenolphum fratrem: Ita iure optimo Nicephorus memorare potuit* Patres*, & Auos* Principum*, de quibus conquerebatur. Hæc hactenus nunc ad Normannos.*

Digitized by Google

- Sico
  - Landulfus
    - C. Landolfus, Epiſcopus in Capua noua P.
    - Landenolfus
      - Lando
      - Landenolfus
      - Atenolfus qui fuit primus Princeps
        - P. Atenolfus--Landolfus--Paldolfus--
          - P. Beneu. (Landolfus)
          - P. Beneu. B. 971. (Paldolfus)
            - Atenulfus Abb. Caſſinẽſis
            - Paldolfus de S. Agatha Pr. Capuæ--Paldolfus Pr. Cap.
              - Landolfus †
              - Landolfus alter. P. Cap. vltimus Longobardorũ. 1056. †
        - Principes Capuæ, & Beneuenti ſimul
          - Atenolfus--Lãdolfus † Capuæ
          - P. Capuæ Lãdolfus----P. Paldolfus Capo ferreus Vxor Aloara
            - Vxor Gemma pr. Cap.
            - Landolfus P. †
            - Atenolfus P. †
            - Landenolfus P. †
            - Laidolfus P. †
        - P. Landolfus
    - Lando 956. C. Cap. nouæ.
      - C. Lando
        - Lando
        - Landolfus Epiſcopus in ſchiſmate.
      - Landolfus
    - Pando C.
      - C. Pandenolfus
      - Landolfus
      - Pandolfus
      - Landenolfus qui fuit Epiſcopus

Digitized by Google

*Hanc arborem formauimus ex Epithome Heremperti nuper impreſſo opera P.D. Antonij Caraccioli.*

*Sico progenitor, Capuæ (ſ. veteri) ſingulariter imperauit fol.66.*

*Landolſus, Caſtaldus Capuæ veteris Sicopolim ad Triſiſcum ſe recepit, fol. 38. & vocatus Capuæ Comes, relinquit quatuor filios, Landonem, Pandonem, Landonulſum, & Landulſum, qui fuit Epiſcopus Capuæ, fol.43.*

*Primus filius Landolfi Lando, dictus Paradiſi, fol. 46. habuit filium Landolſum, qui Sueſſam tenuit, fol.45.47. & Caſertam fol.48. habuit alterum filium Landonem, & ideo dictus Lando Senior, filius autem Lando Iunior, fol.46.47. Landolſus, & Lando fratres fol.48.55. Lando Iunior genuit Landolſum, qui fuit Epiſcopus Capuæ in ſchiſmate fol. 58. & Landonem, qui, viuente patre, dictus eſt Lando Iunior, fol.66. ſicut Lando Secundus dictus eſt Lando Senior fol.68.*

*Secundus filius Landolfi Pando habuit filios Pandenolſum, Pandolſum, Landolſum, & Landenolſum, fol.49. de Pandenolſo, & Landenolſo fratribus, fol.62.*

*Tertius filius Landolfi Landenolſus genuit Landonem, Landenolſum, & Adenolſum. De Landenolſo, & Adenolſo fratribus fol.58. & de Landone germano Adenolfi fol.71. 72. filij Landonis expelluntur fol. 65. Adenolſus à germanis, & Patruelibus fit Caſtaldus: occupat Caſtaldatum ciuitatis deinde dicitur Comes, deinde Princeps fol.71.*



Digitized by Google

## Sequuntur Principes Normanni.

1058 Richardus Normannus, Comes Auerſanus, Capuam obſedit, & fortiter reſiſtentem plures annos oppugnauit; tandem, cedente Landolfo Principe, illam obtinuit, anno 1058. vel parum ante. Hic anno 1059. Principatus confirmationem obtinuit à Papa Nicolao II. in ſynodo Amalphitana: & ab illo anno principatus eſt cum filio ſuo Iordano. Hi Richardus, & Iordanus Principes obtinuerunt Ducatum Caietæ anno 1064. Richardus anno 1073. Præſtitit Iuramentum fidelitatis Gregorio Papæ VII. obijt anno 1077. Capuæ quinta feria Cœnæ Domini vt habet Anonymus Caſſinenſis, & mihi placet: vel 1078. à Natiuitate: ipſe enim iam mortuus erant quando menſe Aprile Indictione ſecunda. ideſt anno à Natiuitate 1078. currente, vel ab Incarnatione 1079. inchoato Gregorius Papa redarguit Iordanum Principem.

1078 1093 Iordanus Richardi filius, à Gregorio VII. Papa grauiter redargutus fuit, & inde mutatus in melius. Extat Epiſtola apud Baronium ann. 1078. Hic anno 1080. Richardum filium nominauit Principem. Obijt ann. 1093. vt ex Chr. Caſſ. lib. 4 cap. 10.

1093 1106 Richardus II. qui cum patre Iordano principabatur anno 1080. cœpit anno 1093. principari ſolus: ſed renitentibus Capuanis principatum obtinuit. Obijt ann. 1106. Chr. lib. 4 cap. 26.

1106 1120 Robertus filius Iordani, & fratrer Richardi II. Obijt anno 1120. Chr. lib. 4. cap 65.

1120 1128 Iordanus II. filius Roberti. Hic Iordanus perperam in Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 65. dicitur Richardus. Obijt anno 1128.

1128 Robertus II. Iordani II. frater: is ann. 1136. à Rogerio Rege Siciliæ à Principatu expulſus fuit: & Anſuſius



Digitized by Google

*Rogerij filius* Princeps *à* Patre *creatus eſt, & Anfuſio mortuo factus eſt Princeps Gulielmus ann. 1145. Gulielmus, inquam, Rogerij Regis quoque filius: Robertus verò ann. 1137. recuperauit Principatum, ſed eodem anno iterum amiſit: recuperauit iterum anno 1155. & anno ſequenti menſe Iunio cum Guillelmus Siciliæ Rex iniquis conditionibus pacem à* Papa *Adriano extorſiſſet, ipſe Robertus, vtpotè excluſus à fœdere, fugit; captus eſt in tranſitu Garíliani, traditus Regi, obcæcatus, & carceri perpetuo mancipatus, obiuit: Robertus tam miſerè principatu priuatus, habuit filium Iordanum, qui apud Imperatorem Conſtantinopolitanum deguit. Toto cœlo errant, qui Robertum Tertium inducunt, & illum appellant Robertum de Surrento: nam Robertus de Surrento dictus ab Auctore hiſtoriæ ſacræ, fuit Robertus ipſe ſecundus.*

*Vt autem rei veritas elucidetur. Accipe verba Vuillelmi. Tyrij quæ ita ſe habent:* Interea Rex Siciliæ Beneuentanam vrbem, Eccleſiæ Romanæ familiare domicilium, principibus ſuis mandat obſidere, & vrgentiſsimis anguſtijs eius præcipit arctare habitatores. Quod verbum Dominus Papa moleſtè ferens ſupra modum, vicem ei æqua lance volens refundere, principes proprios contra eum nititur armare, nec in ea parte fraudatus eſt deſiderio ſuo. Nam potentiſsimum Regni ſui Comitem, eiuſdem Regis amitæ filium, Robertum videlicet de baſſauilla cum multis alijs viris nobilibus, quibus auxilium, conſiliumq; Romanæ Eccleſiæ perpetuò non defuturum pollicebatur, contra eum inſurgere perſuaſit. Exules quoq; quos tum ipſe, quàm pater eius de Regno eijciens, bonis fecerat extorres paternis, viros inclitos, & armis potentes, Dominum videlicet Robertum de Surrento Principem Campanum, Comitem quoque Andream de Rupe Canina, & alios multos exhortationibus ſuis procurauerat, vt in Re-



Digitized by Google

gnum redirent, & ad iure hæreditario ſibi debitas accederent poſſeſsiones, Romanã Eccleſiam eis in perpetuum non defuturam, in verbo Pontificali ſpondens eis firmiſsimè. *Hæc Tyrius lib.* 18. *cap.* 2. *& à Baronio collocantur anno* 1155.

*Primò ſine vllo dubio hic Robertus de Surrento Campanus* Princeps, *non eſt alius, quàm Robertus Secundus, filius* Iordani: *hic enim principatus eſt ab anno* 1128. *& anno paulum ſupra notato* 1155. *menſe Decembri principatu Campano recuperato, degebat* Capuæ, *& anno* 1156. *menſe Maio, ſcilicet antequam iterum principatu, & ſimul oculis orbaretur donauit monaſterio S.* Ioannis *campum Maianum. Accipe ſaltim partem aliquam inſtrumentorum.*

In Secundo nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno ab Incarnatione eius milleſimo centeſimo, triceſimo: & tertio anno Principatus Secundi Domini Roberti glorioſi Principis, menſe Decembro, nona Indictione: Ego mulier nomine Aloara, filia quondam Petri, qui dicem Denarella, & vxor cuiuſdam Petri cognomento Comite, filij quondam Petri eiuſdem cognominis, quæ ſum habitatrix intus hanc Capuanam ciuitatem propè Eccleſiam ſancti Pauli, ſicut mihi aptum, & congruum eſt bona mea voluntate &c.

In nomine Dñi N. Ieſu Chriſti ab Incarnatione eius anno milleſimo cẽteſimo quinquageſimoquinto, & viceſimo octauo anno Principatus Secundi Domini Roberti glorioſisſimi Principis menſe Decembro. Indictione quarta. Nos Adenulphus &c.

*In Inſtrumento, quod eſt priuilegium donationis poſt crucem rubram, & nomen Roberti. ita legitur.*

Ex iuſsione præfatæ Sereniſsimæ poteſtatis, ſcripſi ego Guilielmus Iudex in anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo Centeſimo quinquageſimo ſexto, & viceſimo nono anno principatus præfati Domini Secundi Roberti

glorio-

Digitized by Google

glorioſi Principis datum Capuæ menſe Apreli per Indictionem quartam.

*At verò ſi hic Robertus Secundus, erat genere Normannus filius Iordani, ex fratre nepos Roberti Primi, atque Richardi II. Nepos ex patre Iordani Primi, & pronepos Richardi Primi Capuanorum Principum? quonam pacto ab Auctore hiſtoriæ ſacræ appellatus eſt Robertus de Surrento? profectò potuit appellari de Surrento, quia cum mater eius fuerit Surrentina, nempè filia Surrentini Principis, Surrenti verſatus, & educatus eſt. At vnde conſtare poteſt matrem Roberti Secundi fuiſſe Surrentinam? profectò ex Inſtrumento, quod in monaſterio S. Ioannis aſſeruatur.*

In nomine Domini Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Dei eterna Secundus Robertus, diuina ordinante clementia Capuanorum Princeps petitioni ſuorum fidelium clementer fauet. Igitur nos prænotatus Secundus Robertus ſola Dei prouidente miſericordia Capuanorum Princeps. Notum fieri volumus vniuerſis fidelibus noſtris, quoniã ob ſalutem, & remedium animarum quondam glorioſorum Principum anteceſſorum noſtrorum ac ob ſtatum noſtri principatus, conſilio quoque, & interuentu Rodulphi Raelis filij, noſtri conſtabilitoris, & Rainaldi Iupini, atque Vgonis de la Bolita noſtri œconomi, Nec non PHILIPPI DE SVRRENTO AVVNCVLI, noſtri, & CANSOLINI, ac RICHARDI CEDRI, & aliorum noſtrorum dilectorum fidelium. In Monaſterio ſancti Ioãnis Baptiſtę ſito intra hanc noſtram Capuanam ciuitatem, in quo Domna Gemma religioſa ac Deo digna Abbatiſſa præeſt &c.

*Et in fine poſt crucem rubram cum nomine Roberti, legitur ita.* Ex iuſſione præfatæ ſereniſſimæ poteſtatis ſcripſi ego Philippus Palatinus Iudex, in anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo viceſimonono; & ſecundo



Digitized by Google

anno Principatus pręſcripti ſecundi Domini Roberti glorioſiſsimi Principis Capuæ datum Capuano Palatio in menſe Ianuarij per Indictionem ſeptimam.

*Non ne legiſti Philippum de Surrento Auunculum Roberti Secundi? Si Philippus de Surrento, erat Auunculus Roberti: ergo Robertus erat Philippi nepos ex ſorore: ergo Roberti mater, Philippi de Surrento ſoror erat? Ita quidem nunc vnde conſtat matrem Roberti Surrentinam, Surrentini Principis extitiſſe filiam? profectò hoc habet Inſtrumentum monaſterij Cauenſis citatum à Capaccio. verba ſunt fol.* 515. Dum eſſem ego Ademarius Iudex, in partibus Nuceriæ in loco vbi dicitur à Cammarella, & vna mecum adeſſent Dominus Iordanus, filius quondam Domini Iordani Principis Capuani, & Dominus Sergius Princeps Surrenti ſocer eius &c.

*Non ne legis Sergium Principem Surrenti, ſocerum Iordani Secundi? & hic Iordanus Secundus, qui filiam Sergij Surrentinorum Principis accepit vxorem, fuit pater Roberti Secundi. Cum ergo dicitur Robertus de Surrento non niſi matris cauſa hoc nomen ſortitum fuiſſe oportet.*

*Tandem lector, dum legis Iordanum, Iordani Principis filium fuiſſe in partibus Nuceriæ, volo ſcias Nuceriam fuiſſe ſub dominio Principum Capuanorum, vt apertè colligitur ex inſtrumento, quod habemus in monaſterio noſtro ſancti Ioannis.*

*Ne putes cum Roberto Secundo extinctos Capuæ Principes: ipſi etiam Siciliæ Reges, erant Duces Apuliæ, & Principes Capuæ: Nam etſi Regnum Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ ſub vnius manum redacta ſunt, diù tamen inter ſe diſtincta iura, diſtinctique tituli permanſerunt. En Rogerius Primus Rex, eiuſque ſucceſſores vſque ad Ladiſlaum, vt in Inſtrumentis legitur, appellati ſunt Reges Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ: En*

*Ha*

Digitized by Google

*Hadrianus Quartus recipiens in gratiam Gulielmum Regem, eidem vtriuſque Regni legitimos, & certos titulos tribus vexillis traditis, vtriuſque Regni, & Principatus Capuæ tradidit: En in Kalendario. Obitus Ladiſlai notatus ita.*

Anno Domini 1314. die Lunæ ſexto Auguſti, ſexta Ind. obijt Sereniſſimus Princeps, Dominus Rex Ladiſlaus.

*Hæc ergo eſt ſeries Principum Capuanorum, res verò geſtas alijs colligendas relinquimus. vnum tamen præterire non poſſumus, quod eſt Principes ſolemni ritu ab Archiepiſcopo benedici, & vngi conſueuiſſe. De hoc more Chron. Caſſ. lib. 4. cap. 10. & Falco Beneuentanus fol. 239. & fol. 214.*



Digitized by Google

# Principum Normannorum linea

Locū chr. Caſs. l. 4. cap. 65 sup corrigend. emendo melius ex Falcone Beneuentano.

Iordanus

3. P. & vltimus Robertus

Filia P. Surrenti cuius Vxor Iordanus 6. P. Frater Roberti.

5. P. Richardus filius Roberti anno 1120 vixit dies decem.

4. P. Robertus

Richardus 3. P.

Iordanus 2. P. cuius Vxor Gaitelgrima

P.P. Riccardus ex Comite Auerſano P.

Vxor Frediſſenna

Digitized by Google

# Capita Inſtrumentorum.

| | Anno ab Incar. | Indictione |
|---|---|---|
| *1. Landol. P* | 900 | 3 |
| | 901 | 4 |
| | 902 | 5 |
| | 903 | 6 |
| | 904 | 7 |
| | 905 | 8 |
| | 906 | 9 |
| | 907 | 10 |
| | 908 | 11 |
| | 909 | 12 |
| *Conſtantinus.* | 910 | 13 |
| | 911 | 14 |
| *1. Atenolfus. P* | 912 | 15 |
| | 913 | 1 |
| | 914 | 2 |
| | 915 | 3 |

915

IN nomine Dñi Saluatori noſtri Ieſu Chriſti Dei eterni ſeptimo anno Domini noſtri Cõſtantini Imperatoris, & quinto anno patriciatus domini noſtri Landolfi, necnon quinto anno pater domini noſtri Atenolfi menſe Aprilis tertia Indictio. Ideoq; ego Sadelgardo filius quod Sadelchiſi abitator de Caſtello Calbu. bona & cum mea voluntate, & per hanc cartulam benumdedi tibi Mileperti &c. *Hoc Inſtrumentum eſt anni 915. ſignati Indictione tertia hinc retrogrediendo inuenitur primus annus Cõſtantini qui fuit filius Leonis ann. 909. & primus annus patriciatus Landolfi, & principatus Athenolfi ann. 911.*

| | Anno ab Incar. | Indictione |
|---|---|---|
| | 916 | 4 |
| | 917 | 5 |
| | 918 | 6 |
| | 919 | 7 |
| | 920 | 8 |
| | 921 | 9 |
| | 922 | 10 |
| | 923 | 11 |
| | 924 | 12 |

935.

IN nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Viceſimoſeptimo anno Imperij domini noſtri Conſtantini Magni Imper. & triceſimo ſexto ann. principatus domini noſtri Landolfi glorioſi Priñ. & viceſimoſeptimo anno principatus Domini noſtri Atenolfi exim. Priñ. Simulq; & quarto anno principatus domini noſtri Atenolfi magnifici Priñ. filij ſuperius dicti domini Lãdolfi glorioſi Priñ. menſe Martio nona Ind.

Ideoq;

Digitized by Google

Ideoq; ego Landolfo Capuano fili cuiuſdam Landenolfi ſicut mihi aptum, & congruum eſt per hanc cartulam in cambium dedi, & tradidi tibi Iuliani fili Criſiani tres petiæ de terre meee quem abeo ad ſancta Maria loco vbi nomen Peti &c. *Hoc Inſtrumentum eſt anni 935 iam egredientis, & retrogrediendo inuenimus annum primum Conſtantini eſſe ann. 909. & primum annum Landolfi eſſe anno 900. & primũ ann. Atenolfi an 909. egredientem, & primũ an. alterius Atenolfi an. 932. egredientẽ quoque.*

2. Atenolſus.

*Hoc ipſum Inſtrumentum, quoad pertinet ad annos Atenolfi, videtur à primo leuiter differre.*

941

